

Dell' Colegio della Comp. de S. Pedro de Granada.

R/8617a

94-7676

R V F F I N I

A Q V I L E I E N S I S


PRESBYTERI. IN LXXV.

DAVIDIS PSALMOS

COMMENTARIUS.

*Ex vetustissimo manuscripto exemplari Bibliothecae monasterij
Insulae Barbatae iuxta Lugdunum, nunc pri-
mum in lucem editus.*



Cum rerum copiosissimo Indice.



L V G D V N I,
A P V D G V L I E L M V M R O V I L L I V M,
S V B S C V T O V E N E T O.

M. D. LXX.

Cum priuilegio Regis.



30
30

Dell' Accademia della Comp. de' Letterati de' Granada.

R/8617a

R V F F I N I

A Q V I L E I E N S I S

PRESBYTERI, IN LXXV.

DAVIDIS PSALMOS

COMMENTARIJS.

*Ex vetustissimo manuscripto exemplari Bibliothecae monasterij
Insulae Barbatae iuxta Lugdunum, nunc pri-
mum in lucem editus.*

Cum rerum copiosissimo Indice.



L V G D V N I,

APVD GVLIELMVM ROVILLIVM,

SVB SCVTO VENETO.

M. D. LXX.

Cum priuilegio Regis.



EPISTOLA.

ac vocatione testimonium, sic me in tot laboribus, ac tanta bonorum omnium calamitate confirmavit, ut certo semper sperarim legationem nostram, qua pro Christo fungimur, non inanem, sed salutare multis, ac fructuosam futuram esse. Ut enim qui se in hanc non euocati vitæ rationem ingerunt, manumque nullo auctore ac duce, huius tam præstantis nauiculæ malo, ac remis admouent, pœnam semper suæ temeritatis, audaciæque referunt, studij, ac industriæ suæ inanitatem: sic ij, qui publica sanctione, tanquam suffragio quodam cœlesti, his muneribus, ac officiis designantur, modò ne otio ac inertia diffuant, nihil non spei, ac præsidij in felicissimo rerum suarum successu vident esse collocatum. Et ac enim dum illi accuratè meditantur, et in his sunt, profectus eorum (ait Apostolus) sunt omnibus manifesti, et de iis qui stant in consilio Domini rectè dictum est, eius verba populo suo nota fecisse, eosque à via mala et cogitationibus pessimis auersos fuisse.

1. Timot. 4

Hierem. 23

Alterum quod in hoc meo me gradu vehemèter consolatur, spèque ingenti meos omnes, ac certè meorum etiam coepiscoporum conatus confirmat, est rebus hoc ipsum in quod episcopatus nostri inciderunt, quo Iesus Christus tam eximios, ac verè summos pontifices ecclesiæ suæ Catholice ac Romanæ præfecit, qui sic omnes curas, ac studia sua in eius vniuersi inſtauratione et recta cõstitutione defixerunt, ut iam diu sit, cum nihil aliud meditentur, quàm morum quidem, ac vitæ in Christianis reformationem, doctrinæ verò, et dogmatum in hæreticis emendationem. Quæ duo cum tam prudenter, ac magnificè sacrosanctæ synodus Tridèntina nuper adornarit, summòque consensu et deprauatam nostrorum viuendi consuetudinem castigarit, et errorum, ac hæreseon omnium perniciem optimis sanctionibus sustulerit, tu vnus, Pater beatissime, datus es nobis à Deo optimo maximo tanquam princeps, qui hæc tam sacrosanctæ senatusconsulta, quocumque sese Romani pontificij nomen et auctoritas diffundit, confirmes, ac stabilias, nihilque omittas eorum omnium, quæ ad pristinum illum nitorem, et veterem Christianæ reipub. dignitatem pertinere videantur. Ac ne quisquam huius tam castigatæ vitæ exemplum sibi forte præferri desideret, tu tam exactam viuendi legem tibi ipsi indixisti, omnesque tibi libertatis, ac propè dicam maiestatis fasces ita summisisti, ut si quam iam bene agendi formam aliis, quibus præes, præscripseris, se faciles, ac morigeros tuis edictis statim præbeant, modò tuas actiones, tuam continentiam, parsimoniam, tuam denique pietatem, ac diligentiam intueantur. Quis enim non illud iure admiretur, quod neque te à vitæ austeritate atas iam morbis, ac labore confecta, reuocat: neque summi illi tuæ sedis apices ad ambitionem te inflammant, neque in tuos affines, ac nepotes, quos habes optimos, ac religiosissimos magna rerum affluentia profusum te reddit: sed ita virtutes vn-

di-

EPISTOLA.

dique constipant ut nihil ad te vitij possit irrumperere, nulla ne summorum quidem principum maiestas, si fortè id tentarit, de recto mentis statu dimouere, sed obtutu sic firmo, ac constanti in Christum et Apostolos intendis, ut nihil tibi rectum, nihil magnificum, nihil denique magnopere laudandum existimes, quod ad illius legem atque voluntatem non effingatur. Hinc illæ ad nos ceterosque totius Europæ pastores literæ curarum, et amoris plenissima: hinc ad potentissimos Ecclesiæ monarchas tam crebræ de morum inſtauratione, ac improbiſſimarum opinionum interitu legationes: hinc denique tot ac tam præclara in omne genus erroris, ac ambitus diplomata, ut ego verè meique omnes collegæ sub pastoris re, ac nomine Angelici vexillo militare aſſerere audeamus. Et profectò cum ex teipſo tanquam à capite nostro ex quo in nos omnes veluti in ceteras corporis partes veri sensus, ac motus certissimi influere solent, tam præclara inſtaurationis Christianæ et ecclesiasticæ principia proficiſcantur, speramus hæc tam præluſtri ſanctimonia, reliquæ membrorum multitudinem ſecuturam, et tam alacri atque composita functionum suarum vicissitudine tuis vestigiis ingreſſuram: ut quantum mali nominis nimia hæreticorum licentia, et hominum ſecundum carnem prudentium calumnia pridem in Gallias inuexerat, tantum nunc laudis ac gloria ſecundum Deum te duce, summi ſenatus, ac patrum cardinalium integritas huicipsi Gallie nostræ inferat. Et ſentimus planè ac ipsis auribus quotidie haurimus sermones deprauatiſſimorum hominum, qui de tua vitæ ac morum integritate loqui non poſſunt, niſi magna cum laude, et in ſuperiora quoque (quod ſuis potius aſcribere debebant) tempora reiciant quicquid erroris in fide, ac in moribus ſlagitij in reipub. Christiana à plurimis annis pullulauit. Itaque ſic ſtatuo, tempus me idem prope intueri, quod illi maiores nostri episcopi, tum, cum ad extinguendam Nouati doctrinam excitatus est Romæ summus pontifex Stephanus, et (ne exiguam illam turbam antiquiſſimorum temporum, cum hæc rerum omnium perturbatione comparem, ſed aliquid aſſeram quod malum iſtud noſtrum ex æquet) iſſdem mihi videor diebus agere, quibus Iulius ille primus aduerſus Arrianos tam acriter dimicauit, omnesque ſui tēporis episcopos ad ſpirituale bellum incitauit: et tam ardens fuit Innocentiij primi ſtudium aduerſus Pelagianos, et tam grauiter summus ille Leo Eutybianorum, ac ceterorum transfugarum errores expugnauit. Nam ceteros ego non connumero pontifices, quibus tanquam ducibus certisſimis uſa eſt ſemper Christiana eccleſia ad improbiſſimorum hæreticorum ſui temporis inſaniam refringendam, et ad Catholicorum fidem, ac pietatem maxima diligentia et contentione ſumma retinendam: ſi qua enim unquam victoria, ſi quis triumphus de hæreticis nobis atque maioribus noſtris contigit (contigerunt au-

* 3

tem quamplurimi) ecclesie tue Romana reliquarum omnium parenti optima, acceptum referimus. Quae cum à Christo adificata super firmam petram, aduersus inferorum portas toties dimicarit, permansit semper quod semel esse cepit, columna atque veritatis firmamentum, illudque non per quadam temporum interualla exstructum, sed perpetua summorum hominum & sanctissimorum Pontificum serie sic fultum, ut qui se huic tam caelesti prouidentiae & Diuino ordini permiserunt, nunquam hominum errore, ac nequitia perculsi, in omnem doctrina ventum astuarint: sed veritatem (ut ait verbis Apostoli) facientes in Christo, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministratio- nis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri in cha- rittatis adificationem incredibile sui ceperint incrementum. Nam cetera quidem Ecclesiae, earumque pastores aduersus quamplurimos fidei, ac reli- gionis Apostolicae hostes saepe ubique fere gentium, in Asia vero maxi- me, & Libya, decertarunt, & non sine summa laude victos profligarunt: sed cum sese eorum posteri ad normam, & censuram Rom. sedis, quam veteres illi tantopere venerati sunt, accommodare noluerunt, sed sponte se, ac imprudenter eius legibus subduxerunt, incredibile est dictu, quanta cla- de paucis annis accepta, quam infeliciter ac miserè conciderunt. Et profe- cto ut permulta in hac Ecclesia nostra Gallicana ab haereticis fiant de- prauate ac flagitiosae, hoc tamen unum fidesima semper anchora instar illi fuisse in summa fidei conflictatione existimo, quod boni Pastores, atque eorum omnes incredibili numero olim quidem coactae, tum verò diuersis lo- cis, ut in publica calamitate fieri solet, dissipatae, te unum, tuumque, similes in Romana sede conspexerint, atque ab Apostolica auctoritatis maiestate pendere voluerint. Quae res cum ab improbis ferè hos populos dogmatibus atque opinionibus flagitiosissimis magna ex parte vindicari, & in anti- qua fidei statu retinuerit, equum est in his, quae reliqua sunt, propulsandis, ut in huius tuae Ecclesiae matrisque, nostrae iudicio, atque voluntate quiesca- mus, iisque duntaxat armis contendamus, quae nobis illa per te, tuoque con- silio praescripserit. Ac ego quidem, Pater beatissime, de statu, & earum rerum summa, quae ad religionem pertinent, sic sentio, nobis in primis, qui sumus Episcopi, esse admitendum, ne doctrina careant nostrorum hominum ingenia, sed iis argumentis, eaque eruditione imbuantur, quae ad retinen- dam eorum in Ecclesiam beneuolentiam, & alendam in Christum pieta- tem pertineant: alioqui enim coacervatis sibi ad sua desideria magistris, aures rerum nouitate prurientes accommodabunt, ducésque, ac parentes veritatis contemnent. Fecit hac mea cogitatio planè, ut ea in re, mea dili- gentia, atque auctoritas non deesset iis, qui tum in hac urbe magnis desi- deriorum

Ephes. 4

deriorum fructibus astuanti, tum in aliis quoque ciuitatibus & oppidis hanc operam meo nomine atque voluntate populo, ac plebi nostra nauant. Et si qua ad populi huius & iuuentutis erudienda rationem industria de- sideratur, eam accuratissime nobis Collegium Patrum societatis Iesu quod hic habemus felicissime inchoatum, suppeditat. Si quid porro est quod la- tius etiam in vicinarum, atque externarum quoque nationum utilitatem à me proficisci queat, ad curo in primis proferrè in medium, & iis, qui com- munitibus bonis nobiscum libenter vtuntur, impertiri. Quod cum alias sanè non semel, tum certè nunc in hac Ruffini mei editione conatus sum tibi in primis, Pater beatissime, testatum relinquere, ne nostra hac etiam tam lan- guens videatur Ecclesia, ut non solum recentiores, sed vetustissimos quo- que Doctores in arenam, ac solem aduersus impios diuinarum literarum, interpretes producat. Quae verò de causa meum esse Ruffinum dixerim, qui tam improuisus ac tam serò hominibus proferatur, & quem in aliis, non semel opusculis viri superioris, ac proinde grauioris aetatis reprehen- dunt, operapretium duxi tibi, summo rerum earum quae ad fidem pertinent, iudici, exprimere. Est in agro Lugdunensi, insula quadam, quam Bar- ba appellant incolae: docti verò Barbatam, medium alueum Araris fin- dens, in qua peruetus ac sanctum monasterium exstructum fuit, & ma- gna totius prouincia ueneratione celebratum: sed ita superiore bello ab here- ticiis disturbatum, atque dirutum, ut nihil in eo nisi loci cuiusdam diuinio- ris vestigia superesse videantur. Id cum ego multis iam superioribus annis auctoritate sedis Apostolicae (vbi sit) gubernandum suscepissem, cum mul- ta in eo offendi pietatis antiqua monumenta, tum verò praecipue bibliote- cam opulentam, quam cum studiosè lustrassem, offendi commentarios Ruf- fini presbyteri Aquileiensis in septuaginta quinque Davidis psalmos no- tis & characteribus qui summam antiquitatem praeseferrent, descriptos, & membranis propemodum exesis, ac ipsa vetustate & situ attritis com- mendatos: quos cum auide perlegissem, aliisque viris eruditis legendos tra- didissem, censui non esse hunc thesaurum denuo defodiendum, sed luci, ac aurae exhibendū. Neque verò me ab hac editione deterruit id quod qui- dam ex mihi amicissimis in hoc opere annotarunt, plerisque ac infinitis prope locis ita cum Augustino in suis tractatibus in psalmos consentire, ut eae- dem saepe sint sententiae, eadem verba, atque adeo similes inter se periodi. Nam id in hoc opere D. Augustino euenisse censeo, quod D. Ambrosio in suis libris Exameron, ac de Spiritu sancto contigit, ut quae admodum hic integras in suum opus ex Diuo Basilio periodos transtulit, sic ex Ruffino, veluti alibi ex Hieronymo, & Cypriano, in suos ille commentarios quam- plurima deriuauit. Fuit enim Ruffinus Augustino antiquior, & magna

EPISTOLA.

apud eum autoritatis, ut ad D. Hieronymum de illo scribat non sine pietatis, ac eruditionis commendatione, eumque cum suo tum aduersario, olim verò sodali amicissimo mella scripturarum studiose lambuisse, utrumque quidem conatus in mutuam benevolentiam reuocare, sed ita causam inimicitiarum dissimulans, ut neutri culpam earum affingat. Hos porro tam luculentos Commentarios tandiu latuisse non mirum debet iis esse, qui norunt ex Trithemio plures adhuc libros ab auctore nostro conscriptos, & silentio tamē & oblivione hæctenus sepultos. Jam verò ex ipsa stili facilitate ac æquabili dicendi genere constat hunc auctorem esse, & eò studiosius à primis à Barbata insula monachis asseruatos fuisse, quòd in eos fere dūtaxat psalmos ille scripserit, quos sine controuersia Davidis esse, docti fere omnes asseuerant. Ac ne quisquā minus hanc operam existimet, quòd quadam ipsius opuscula auctoritati Apostolica suspecta habeatur, id unū tantum dixerim, nihil illo canone omnino aduersus Ruffinum dici, quòd huius libri lectionem impediatur. Nam & Gelasius religiosum eum virū appellat, & nonnullas ab eo scripturas explicatas fuisse tradit (psalmos ego hos septuagintaquinque intelligo) & hoc se nomine suspecta quadam eius habere, quòd à D. Hieronymo scribatur de libero hominis arbitrio minus verè disputasse: sed ut omittam eam quam in dicendo, atque veritatem asserendo præ se tulit libertatem vir sanctissimus idemque doctissimus Hieronymus, ad cuius calculum nos remittit Gelasius, nihil planè in his cõmentariis tam est apertum, quàm quòd pro libero hominis arbitrio, pro bonis operibus, pro mysterio sanctissimæ Trinitatis, & sacrosanctæ eucharistiæ, pro purgatorio, pro vera hominis iustitia, atque aliis huiusmodi permultis non semel, neque vno in loco docet. Neque verò cuiquam noua debet esse (tametsi grauis ac molesta bonis omnibus semper fiat) repentina illa voluntatis inter D. Hieronymum & Ruffinum, alienatio, tum quòd ille zelo ardens ac eruditione fretus nihil in alienis libris nõ depuratum & ad amussim exactum ferre poterat: hic verò sanctimonia, ac multorum præcipuorum ecclesiæ luminum exemplo cõmunitus in Origenianis libris siue legendis, siue in alienam linguam transferendis audacter versabatur. Tum verò maxime quòd ex quadam opinionum varietate, veluti ex D. Augustino comperimus, in hanc contentionem inciderant, in quam forte licet imprudens, cum ipso Hieronymo ille idem incidisset, nisi qua erat animi, ac morum modestia, omne ius in differendo victoria, Hieronymo remisisset, quæ mētis, ac voluntatis dissensionem, atque in ecclesiæ scandalum creare poterat. Atque ut omittam quòd non in dissimili genere inter se contenderint Paulus & Barnabas, D. etiā Petrus & Paulus apostoli (nec profecto sine sententiæ dissidio ab Augustino & Hieronymo

exagit.

EPISTOLA.

exagitata.) Nota est illa ex veteri historia inter Epiphanium, ac D. Chrysostrum controuersia: illa etiam eo modestior, quo antiquior Victoris & Irenæi, quæ tamen omnia non ideo summis viris eam notam inusserant, ut si quid minus rectè in nonnullis quæ non ita ab vniuersali ecclesiæ in conciliis sacrosanctis tractata fuerant, & decreta, sensissent, in cæteris quoque errasse videantur. Sua sit ergo sancta D. Gelasio auctoritas, & sua D. Hieronymo constet innocetia, quæ tamen rectè dicta Ruffini non eleuent, imò quæ ad veritatem ut hic omnia exacta si fuerint integra, non minus ad bene credendū nos instruant, & ad bene agendum inflamment, quàm quæ ab iis perfecta sunt qui speciosius illo fortasse, & ambitiosius legiturique soleant. Te vero, Pater beatissime, sic nostrum hoc munusculum spero excepturum, ut soles ea, quæ quamuis sint luculentiora, tamen quia non ex hoc solo nostro tam infœcundo, ac difficili, in quo excolendo magnopere voce, ac edito nuper Catechismo & Breuiario elaboras, profecta sunt, non æquè forsitan sunt admiratione digna, eoque magis, quòd tanquam manubria, aut exumia potius crudelissima stragis in omnes veteris ecclesiæ, nondum adita in lucem Doctores in hoc Regno tibi exhibentur. Ego sanè si quid haberem præstantius, quo tibi aliquo nomine gratificari possem, tam libenti studio, ac egregia voluntate transmitterem ex hac mea sede Lugdunensi, quàm hoc ipsum opusculū, in cuius lectione si quid offendet ecclesiæ Catholica, quòd non usque adeò probari possit (tametsi nihil tale hic offendimus) id ut cætera curet emendari: sin autem quamplurima reperiet, quæ ad suam, suorumque eruditionem, ac pietatem pertineant, agat illi gratias immortales, qui bonorum est omnium fons uberrimus Deus, à quo tibi felicitatem cum diuturnissima vita coniunctam tibi, Pater beatissime, quotidianis precibus exposco.

Lugduni Idibus Martij.

1570.



INDEX IN COMMENT

RUFFINI PRESBYTERI, SV-

PER LXXV. PSALMOS DAVIDIS.

a, priorem folij faciem, b, verò poste-
riorem demonstrat.



A B I T, sterit, sedit, inter-
pretatio. 3.a
Abnegare semetipsum,
& renūciare omnibus
quæ possidemus, pro-
pter Deum, quid sit. 51
a. 134. b
Abrahæ fides. 87. b
Abyssos in thesauris ponere quid significet
67. b
Adam an filius hominis. 20. a
Adulatores sepulchra patentia dicuntur.
12. b
Adulatoris finis quò tendat. 24. a
Aegyptij oues non comedunt. 100. b
Aenigmatis diffinitio. 112. a
Aequitatis & Iusticiæ scopus. 146. a
Affectus nomē operi nostro imponit. 174. a
Afflictio cordis & corporis, pœna peccati
dicitur. 53. a
Afflictio generat humilitatem. 82. a
Alæ Dei quæ dicantur. 34. a
Altare Dei quid sit & quo pacto & à qui-
bus amplectatur. 54. a & b 97. a
Ambulare in circuitu impios, quid. 28. a
Amen cur geminetur in sacris literis à
Christo. 92. a
Amore & timore ducimur ad Deum mise-
ricordem & veracem. 87. b
Aemulādi diuersa significata in sacris. 76. b
Angeli opera manuū Dei dicuntur & qua-
re. 20. b
Anima pro voluntate quandoque ponitur
in sacris. 56. b
Animam suam in vano accipere quid. 50. a
Animalia munda in veteri testamēto quæ.
107. a
Animæ & conscientiæ operantium mala
in perpetua sunt angustia. 9. b
Animæ turbatae descriptio. 13. b
Annuerē oculis qui dicantur. 73. b
Annus benignitatis quid. 147. a
Antichristi descriptio. 23. b in fine & 24. a

Antichristus à nonnullis Deus esse putabi-
tur. 24. a
Antichristi persecutio in ecclesiā Christiā-
nam qualis futura. 24. b
Apostoli cur riuī dicantur in sacris literis.
147. a
Apostolorum prædicatio perinde erat ac
Dominica. 36. b
Aquarum nomine populus denotatur. 3. b
Aquæ quid in sacris literis designent. 59. a
& b. in principio
Aquilonis latera quid in psalmis significant
109. a & b
Arcus pro factis scripturis sumitur in psal-
mis Davidis plerūque. 18. a. sagittæ item
pro Apostolicis præconiis. ibidem
Arma Dei qualia sint & quæ. 71. b
Arma iustorum qualia. 160. b
Ascendere in montem Dei, & stare, quid sit
50. a
Attollere portas quid in psalmo. 50. b
Aures cordis quæ sint. 97. b
Aures perficere quid sit. 86. b & 87. a
Aures Dei sunt gratia & misericordia. 33. b
& 122. a
Auster & Aquilo in sacris quid. 3. b
Auarus etiā animam suam venalem habet.
85. a

B

B Aculi & virgæ diuinæ discrimen. 49. a
Baptismatis efficacia. 48. b
Beatus nemo potest esse absq; Christo Iesu
2. b
Beatus homo quibus modis efficitur. 86. b
Benedicere in ecclesiis dominum quid sit.
55. a
Bene factum non dicitur quod inuitus fa-
cias, licet bonum sit. 74. a
Bibere aquam de torrente quid sit. 132. a
Bibere calicem domini mixtum qui dican-
tur. 177. b
Bona Deo non placent, quæ sint admixta
malis. 134. a
Bonis

INDEX

Bonis & prospera & aduersa omnia in bo-
num vertuntur. 4. b
Bonis non solum nō deficiunt malorum im-
pugnatione, sed meliores noscuntur.
57. a
Bonum quod boni habent, à Deo procedit,
mali autem malum habent à seipsis. 26. b
Bonum sacrarum literarum bonis prodest,
malis autem obest. ibidem
Bonus homo patiens esse debet. 91. a
C
C Alcanēū quid in sacris significet. 112. a
& b
Calix eorum per quos nomen Dei blasphe-
matur. 26. b
Calumniatorum captiones. 83. b
Canes in sacris literis quid. 134. a
Canticum psalmi quid. 1. a. b
Canticum quid sit. 1. a. 5. a
Caput in sacris eloquiis pro mente. 8. a
Caput omnium vitiorum est superbia. 42. a
Caput oleo impinguare quid sit. 49. a & b
Caro sepulchrum est animæ. 153. b
Cataractarum vox quid in sacris dicatur.
95. a
Carhedra pestilentiae quid. 3. a
Cervi natura. 92. a
Charitas sola legem implet. 3. b & 6. a
Charitas legem, prophetias, & euangelium
prædicat, & consummat. 6. a
Charitas per sagittas significatur. 18. a
Charitatis effectus. 78. b
Charitatis vis & firmitas. 110. b estq; anima
virtutum ipsa charitas. ibid.
Charitatis perfectio. 160. b
Chore caluarie interpretatur. 109. a
Christus regnum mundi contempnit. 6. a
vult enim in cordibus nostris regnare.
ibidem
Christus in carne humili contemptus. 6. b
& quem elata Iudæa repulit, humiliara
gentilitas suscepit. ibid.
Christus salutare nostrum. 27. b & 28. b
Christus nos redemit charitate non necesi-
tate. 31. a
Christus quæ comoda tulerit humano ge-
neri. 32. a
Christus vias duras custodiuit. 33. b
Christus dextera Dei patris dicitur. 34. a
Christus humilis, venit ad superbiam ho-
minum confundendam. 42. a
Christus cur petra dicatur. 56. a
Christus ecclesiæ fundamentum. ibid.
Christianorum firma spes in Christo. ibid.
Christus Iudæorum proximus. 58. a
Christus cur pauper dicatur. 70. a
Christus potentia in cruce non perdidit,
sed potentiam demonstrabat. 73. b
Christus cur orat cum sit Deus. 74. a
Christus est finis nostri operis, & merces
laboris. 84. a
Christus nobis sacerdos & sacrificium. 86. b
Christus firma petra. 88. b
Christus vnde dicitur. 102. b
Christus deus ante carnē & in carne 108. b
Christus cur misericordia dei dicatur. 110. a
Christus accinctus potentia quomodo di-
catur. 146. a
Christus brachium Dei cur dicatur. 166. a
Christi & Davidis antithesis. 5. a
Christi osores, miro modo, consilium Dei
nolentes & nescientes implent. 5. b
Christi generatio duplex. 6. a & b
Christi passio qualis illi à Deo data. 6. b
Christi dormitio & somnus quid. 8. b
Christi iugo colla subire nolunt qui vitiiis
obnoxij sunt. 42. a
Christi mors qualis fuerit. 45. b
Christi vestimenta diuidere quid sit. 46. b
Christi exemplum in tolerandis aduersita-
tibus &c. 58. a
Christi vocis efficacia & virtus. 59. b
Christi anima quo pacto redempta dicatur
62. a
Christi aduentus tēpus opportunum. 87. a
Christi nomen in omni terra auditum est.
110. a
Christianorum securitas est Deum habere
secum. 49. a
Christum annuntiantes non castē, qui sint.
27. b
Ciuitates quibus præest diabolus & eius
ciues qui. 22. a
Clamare ad dominum quomodo oporteat.
64. a
Cleros Græcè, Latine fors dicitur. 155. a
Cogitationes peruersæ iniquorum sunt vin-
cula. 24. a
Cognitio suæ infelicitatis magnus est acces-
sus ad Deum. 14. a
Cognitio nominis Dei quid sit. 22. b
Compungi in cubilibus quid sit. 10. a
Consilium vanitatis quid sit. 54. a
Consilium impiorum quid. 3. a. via pecca-
torum. ibidem
Consilium in anima ponere quid sit. 28. a
Confessio quandoque laudem significat.
40. a
Confessio

I N D E X.

Confessio peccatorū est initium bonorum. 163.a	tales nos esse desiderat. 26.b
Confessionis peccatorū fructus. 90.a. 152.a	Deum concipere & parere quid. 18.b
Cōfiteñtū peccata sua optima spes. 176.a	Deus quos dicatur humiliare. 100.a
Confusione peccati vertitur homo ad Deum. 157.a	Deus & in prosperis & in aduersis rebus benedicendus. 69.b
Consentire malo quàm magnum scelus sit. 116.a	Deus dator est omnium potestatum. 174.a
Consolatio in persecutionibus ob verbum Dei. 23.a	Deus quos in reprobu sensum tradat. 23.b & quos irritare dicatur. ibid.
Conuersio nostra paratum Deum semper inuenit. 14.a	Deus personarum acceptor non est. 26.a
Corda hominum apud Deum velut vasa fictilia. 6.b	Deus iustus in bonos & in malos quomodo dicatur. 19.a
Cor quomodo dicatur derelinquere nos. 88.a. & 90.b	Deus sua misericordia ab æterno humanū genus redimere decreuerat. 51.b
Cor est statio & sedes vitiorum. 98.b	Deus quando pauperem adiuuet in tribulatione. 2.b
Cor voluntatem, affectum & intentionem denotat. 174.a	Deus merita hominum quopacto attendat in exhibenda sua misericordia. 140.a
Cornua vnicornium quid. 47.a	Deus quos reprobare & qua ratione dicatur. 38.a
Cornua peccatorum. 177.b	Deus vt diligendus ita & laudandus. 21.a
Corona qd significet in sacris literis. 147.a	Deus æternus portio est sanctorum. 31.b
Currendum viam, non adhaerendum in via huius seculi. 40.b	Deus nos à vitis abscondit & protegit in Christo, vt in ipso nos exalter ad virtutes. 56.a
	Deus nunc spiritualiter in nobis operatur, quod olim patribus corporaliter exhibebat. 98.b & 99.a
D	Deus bonus per se est. 101.a
Quid tria millia hominum elegit ad psalmos in Dei laudem cātandos. 2.a & centumquinquaginta illis præfedit. ibidem.	Deus terminat gratiam suam, quam distribuit ecclesie. 175.b
Dauidis atymon. 5.a	Deus oculis carnalibus minimè est querendus. 93.a & b
Dauid mortem Christi nō futuro sed præterito tempore narrauit, & quare. 5.a	Deus quorum vias dicatur noscere. 37.a
Dauidis prophetia certissima. 167.a	Deus verba sua igne tribulationis examinat. ibid.
Dauidis prophetiæ de Christi mysteriis. 218.a	Deus dura nobis iubet, sed mira sunt quæ promittit. 33.b
Decem chordæ psalterij quid signent. 2.a	Deus nolentem præuenit, vt bene velit: volentem adiuuat. 49.b
Delectatio rerum terrenarum renibus tribuitur. 17.b	Deus quo pacto nos regat. ibid.
Delectatio curæ finis est. ibid.	Deus est iustorum exultatio & hereditas. 13.a
Delicta oculum cordis obtenebrant, ipsaq; tenebræ dicuntur. 41.b	Deus coacta seruitia non recipit. 58.b
Dentes peccatorū in sacris literis quid significant, & quid mordere. 9.a	Deus in quibus habitare dicatur. 153.b
Deus preces nostras exaudit nō ex nostris meritis, sed sua sancta misericordia. 8.b	Deus suo beneplacito, & gratia sola iustificat hominem. 88.a
Deus labores suorum aspicit, vindictamq; sumet de persequentibus. 25.a	Deus cur differat exaudire orationes suorum. 14.a
Deus verus quis. 114.a & b	Deus iudex iustus vltimo iudicio vltimam pœnam referuat. 18.a
Deus quos amat castigat. 38.b	Deus solus animos & opera nostra nouit, corda & renes scrutatur. 17.b
Deus laudandus opere, mente contemplan- dus, voce prædicandus est, vt recte illi lingua, conscientia & vita consonent. 23.a	Deus reprobatorū preces non audit & quare. 39.a & b
Deus qualis ipse est sanctitate & æquitate,	

Deus

I N D E X.

Deus quo pacto timendus. 47.b	Diuina virtus tunc adest, vbi præsumptio humana deficit. 67.a
Deus non nostris meritis, sed sua bona voluntate ecclesie benefacit. 119.b	Diuini amoris effectus. 172.a
Deus obliuionem nescit. 23.a	Diuinitatis aures sunt pietas & misericordia. 10.b & 11.a
Deus à Domino quid differat. 35.a	Diuites qui verè dicantur. 104.a
Dei bona voluntas præcedit nostrā bonam voluntatem. 13.a	Doctoris sermo confunditur, si actione deprauerur. 33.b
Dei omnipotentis iustum iudicium quale. 23.b	Dolosè agere quid sit. 12.b
Dei gloria tunc percipitur, cum omnia laboriosa terminantur. 23.b	Dolosè agere corā Deo quid sit. 74.b 75.a
Dei verba sagittæ & gladius dicuntur. 102.a.b	Dolus quid sit. 116.a
Dei bonitas quibus sit cognita. 170.a	Domini hereditas quomodo & quibus modis diuidatur. 32.a
Deo seruietes regnare dicuntur. 7.a	Domus & tabernaculi discrimen in sacris. 55.b
Deo scriptura sacra tribuit plerūque quod in nobis ille operatur. 8.b	Dormire & somnus in sacris quid sit. 129.b
Deo pro suis beneficiis nihil præter laudē possumus rependere. 35.a	Dormitione & somni nomine, alienatio mentis à rebus mortalibus prophetice denotatur. 10.b
Deo soli peccare quomodo intelligatur. 117.b	Dona quomodo Deo placeant. 123.a
Deo breue est, quod hominibus tardare videtur. 62.a	Dorsum curuum habere quid. 162.a
Deo minimè attribuenda peccata hominū. 177.a	
Deum timere qui intelligatur. 70.a	E
Deum aliquem præuenire quid sit. 34.b	Ecclesia Christi vbi fundamentum suum habeat. 40.b
Deum terram visitare quid sit. 146.b	Ecclesia domus Dei dicitur constructa ex lapidibus viuis. 11.b & 12.a
Deum præcingere suos quid sit. 39.a	Ecclesiam intrare quid sit. 12.a
Deum qui nunc negligit pacatum, sentiet in iudicio futuro iratum. 5.b	Ecclesia cur dicatur tabernaculum Dei. 96.b
Deum cur oremus omnia scientem. 95.a.b	Ecclesia Christi quibus perficiatur. 19.b
Deum à dextris habere, quid sit. 32.b	Ecclesia vt nauis fluctuans precibus dominum veluti dormientē excitare dicitur. 25.a
Desertū & speciosa deserti quid sit. 147.b	Ecclesie sanctæ oratio per Filium mittitur ad Patrem. 11.a
Desiderium pauperum est vt fiat Dei iudicium. 25.b	Ecclesie pedes qui dicantur. 39.b
Diabolus pessimus scenerator dicitur. 169.a	Ecclesie inimici qui sunt. 56.b
Diabolus perfecte superatur his duobus, amore Dei & odio mali. 39.a	Elemosyna non grata Deo quæ sit. 112.b
Diabolus nūc leo, nūc serpens dicitur. 16.b	Exaltare cornu in altum quid sit. 177.a
Diabolus pater infidelium. 56.b	Exemplum lapsus & pœnitentiæ Dauidis. 118.a
Dies tribulationis quid iuuent fidelibus. 115.b	Exultationis & lætitiæ discrimen. 74.a
Dies hominis quales. 84.a	
Dies in sacris, & nox quid significant. 95.a	F
Dies malorum vita præfens est. 56.a	Facies peccatorum quid dicatur. 81.a
Dilectio Dei & proximi nouum & verus testamentum comprehendit. 34.a	Facies Dei quid sit. 56.b
Dirigi in veritate Dei quid sit. 51.a.b	Facies hominis. ibidem.
Disciplina hominis est emendatoria tribulatio. 7.a. quam qui negligit, à via iustitiæ perit. ibid.b	Fel & acetū offerre Christo quid sit. 162.a
Disciplina & correctionis domini vtilitas duplex. 38.b	Fœlicitatis magnæ pars est mundum despiciere. 89.b
	Feræ & tauri in sacris quid sit. 158.a
	Fiat geminatum quid denotet. 92.a
	Fideles Christo templum Dei dicuntur, quōmnia conuersatio in calis est. 26.a

**

I N D E X.

Fides vera & catholica in quibus consistat. 40. b	lignis spiritibus resistere non potest. 16. a
Fides via domini dicitur, charitas semita recta. 56. b	Humilitas omnium virtutum est mater. 136. b
Fides operans per charitatem impetrat gratiam, gratia autem Dei per spiritum sanctum infusa in cordibus nostris implet iustitiam. 12. b	Humilitatis verae fructus. 71. a
Fidei & charitatis officia. 157. b	Humilitatis verae signa. 90. a
Filius hominis quis dicatur & quare. 20. a	Hymnus quid proprie dicatur. 2. a
Filius per emphasim Christum significat. 21. a	I
Filij hominum qui sint. 11. b	Iacob & Israel quid significant. 30. a
Finis, & ob finem, & in finem quid. 1. a	Ierusalem visio pacis interpretatur. 23. a
Finem suum qui nescit, aberrat. 84. a	Impatentia signum est hominis non boni. 91. a
Foliorum similitudo & verbi diuini. 4. a	Impiorum conuersio ad Deum poena est diabolo. 16. b
Fontes pro Apostolis Christi ponuntur. 157. b	Impiorum nomina a vitiis imposita. 31. b
Fornicatio quid sit. 17. 2. b	Impiorum saeuitia iuuat ad piorum usum. 77. b
Frameam inimicorum deficere quid sit. 22. a	Impius pulueri cur adsimiletur. 4. b
Fratres Christi qui dicantur. 47. a	Impij cur non resurgere in iudicio dicatur. ibidem
Fumus, carbones, ignis, quid in psalmista significant. 35. b	Inebriare homines qui Deus dicatur. 146. b & 147. a
Funes in praeclearis cadere quid sit. 32. a	Infantes ac lactentes qui sint in diuino eloquio. 19. b
Furor Dei quid in sacris. 13. b quid item ira. ibidem.	Ignorantia, cordis est obscuritas. 26. a
G	Ingratitudo beneficiorum Dei. 58. b
Astrimargarum fructus. 98. a	Inimicos confringere quid sit 39. a
Gaudium Christianorum in spe est, & non in re, quando hic afflicti viuimus. 23. a	Inimicus exaltatur, cum peccasse conuincimur. 28. b
Geminatio in scripturis vim quandoque comminandi habet. 4. b	Inimicus singulari numero diabolus significat. 16. b
Gentilitas merito & postulatione Christi saluata. 6. b	Innocentem interficere, est ex innocente nocentem facere. 24. b
Gentilis populi desipientia. 29. a	Innocentia via est qua itur ad Deum. 91. b
Gladus Dei acutus quid. 18. a & quando & qualiter vibratur. ibid.	Innocentia vera est, non nocere inimico. 17. a
Gloria Christianorum qualis & qua sit. 87. b	Innocentium vita qualis. 53. b
Gloria solida apud dominum Deum in conscientia est. 16. b	Iniqui pulueri, aut luto aequiparantur in sacris literis. 39. b
Gratia Dei cur pluuia voluntaria dicatur. 154. a	Ira in iudicio futuro, & furor quales in Deo erunt. 5. b
H	Ira & furoris Dei differentia. 162. a
Aereses cur sint, & unde. 24. a	Iraeci sibi debet peccator ob praeterita crimina, & a peccato desistere. 10. a
Hodie in sacris quid significet. 6. a	Irritare Deum qui dicantur. 13. a
Holocaustum quid sit. 115. a & 150. a	Israel quid sit. 53. b
Homini bus placentes Deus minatur. 16. b	Iubilare quid sit. 148. a
Homo peccati pro antichristo sumitur. 23. b	Iudaei mira Dei dispositione, Christum crucifigentes, voluntatem Diuinam persecerunt, quam putabant destruere. 4. a. b
Honorare Deum qui oporteat. 67. a	Iudaei filij Dei mendaces dicuntur. 39. b
Hostiam vociferationis immolare quid dicatur. 56. a	Iudaeorum argumentum de Christo occidendo. 58
Humana fragilitas, sine Dei adiutorio, ma-	Iudaeorum iactantia. 135. a
	Iudicare terram, quid in psalmis. 7. a
	Iudicare pupillum, & iudicare pupillo, quid differant. 25. b
	Iudicia

I N D E X.

Iudicia duo, vnum occultum alterum manifestum. 21. a	Lingua indomabile membrum. 70. b
Iudicij venturi descriptio. 44. a	Linguae custodia quati emolumentum sit. 83. b
Iudiciorum dei encomium & excellentia. 4. b	Loquacitatis vitio quae damna hominibus contingant. 27. a
Iudicium amare quis dicatur. 67. a	Loqui opera hominum quid sit. 33. b
Iudicium futurum per ignem. 114. a	Lux gratior fit post tenebras. 24. a
Iuramentum iurantis, quid a iuramento prophetantis differat. 16. b	M
Iurare in dolo proximo quid sit. 50. a	Ala quae in hoc seculo pro deo patimur, minima sunt, si cum bonis caelestibus conferantur. 7. b
Iustificatio hominis unde procedat. 158. a	Mala voluntas quid a dolore differat. 18. b
Iustitia duplex, maior, & minor. 12. a	Malignus quasi malo igne plenus. 11. a
Iustitia & rectitudo in quo discrepent. 66. a	Malignantes qui dicantur. 76. b
Iustitia & veritas personam non accipiunt. 30. b	Mali quantuncunque potentes sint, despectui sunt viris sanctis. 31. a
Iustitia sine pugna retineri non potest. 38. a	Mali cur permissu dei floreat hoc in seculo. 171. b
Iustitia in quibus consistit. 70. b	Malignantium & impiorum discrimen. 54. a
Iustitia in quo versetur. 58. a	Mandata dei amara malis, dulcia vero bonis. 41. b
Iustitia Adae quo pacto laesa. 76. a	Mane in sacris quid. 11. a. quid item nox, & quid iacere. ibidem
Iustitiae semitae quae sint. 48. b	Maria virgo velleri comparatur, & quare. 168. a
Iustitiae merces aeterna. 87. b	Martyrem non facit poena, sed causa. 74. a
Iustitiam iudicare ad quem spectet. 21. b in fi.	Martyrem quid efficiat. 100. a
Iustitiam Dei qui abscondunt. 87. b	Martyrij duo genera. ibid. b
Iustitiam vendere qui dicatur, & sapientiam. 55. a	Membra nostra quandoque vitia significant, quae mortificare debemus. 39. a
Iustitias iudicare quid sit. 176. b	Medicinae officia duo: alterum quo sanatur infirmitas, alterum quo custoditur sanitas. 17. b
L	Mendacia suos amatores decipiunt. 10. a
Abia dolosa quid. 33. a	Mendaciorum genera. 11. b
Laqueus occultus malorum, & pes quid sit. 23. a & b	Mendacia loqui qui dicantur. ibid.
Laqueus in psalmis quid denoter. 52. b	Mentiri est occidere animam. ibid.
Laqueum aperire & effodere quid. 19. a	Mensa in sacris pro scriptura diuina plerumque ponitur. 162. a
Laudare Deum tota die quid. 74. b	Mentis caecitas & turbatio. 14. b
Laudare Deum quo pacto homo debeat. 145. a	Mentis excessus quid sit. 64. a
Lauare & rigare lachrymis lectum quid differant. 14. b	Merces Christianorum quae sit. 52. b
Lauare manus inter innocentes. 54. a & b	Merces a deo promissa fidelibus. 88. b
Laus dei in ore peccatoris qualis sit. 45. a	Merita hominum ad quid profint. 109. b & 100. a
Laus deo acceptabilis quae sit. 56. a	Meritis an fiducia habenda. 16. a
Litari & gaudere in domino quid sit. 21. a & b	Meritum exauditionis per Christum. 58. a
Laetitia superba, inanis effectus est. 16. a	Mille, perfectionem monstrat. 136. b
Laetitia & exultationis differentia. 152. a	Mirabilia dei cur narrentur. 21. a
Leo & Draco quid apud Dauidem in psalmis significant. 47. a	Misericordias suas deum mirificare quid. 34. a
Lex dei, testimonium cur dicatur. 41. a & fidele. ibidem	Misericordia dei, & merita hominis. 50. a
Lex litera, & lex gratiae. 52. b	Misericordia domini praue nit suos & subsequitur vt bene operentur. 49. a
Liberi arbitrij efficacia in homine quid pos sit. 56. b & 163. b	Misericordiae Dei velocitas ad indulgen-
Liber dei quid sit. 262. b	
Libri cum pulchra vrbe collatio. 1. b	
Ligni nomine quid scriptura designet. 3. b	
Limus in sacris quid. 159. a	

I N D E X.

dum contritis corde.	65.a	Oratio pro inimicis qui fieri debeat.	57.b
Misericordiae dei occasio.	87.b	Oratio & deprecatio quid differant.	123.b
Misericordiae & miserationis Dei discrimen.	51.b & 117.a	Orationis effectus.	85.b
Mons Sion Iudaeos significat plerunque in psalmis.	109.a & 110.b	Orationis utilitas.	95.b
Montes turbati in praedicatione verbi Dei quid sit.	105.b	Orationis affectus unde procedat.	169.a
Mors est peccati debitum.	159.b	Orationis & deprecationis discrimen.	33.a
Mors Christi hostia pro peccato.	ibid.	Orationis fructus quales.	139.b
Mors & infernus quid.	14.b	Ossa in sacris literis quid significant.	13.b & 62.b
Mors vera quae dicatur.	100.a	Otiosorum qualia sunt studia.	91.a
Mors pessima quae sit.	71.a	Oues & boues & pecora campi quid in psalmo Dauidico significant.	20.b
Mortis umbræ quid in sacro eloquio sint.	49.a		
Multiplicatio bonorum temporalium à bonitate Dei auerit.	28.a	P arabolæ diffinitio.	112.a
Musices officiorum genera & varietates.	5.a	Paruuli qui dicantur in sacris scripturis.	41.a
		Pascua vitæ æternæ hinc per fidem incipit.	48.b
		Patientia Iob à Deo probata.	96.b
N ecessitates homini naturales.	53.a	Pater & Filius vnus Deus, non duo.	11.a
Nesciri à Deo, est idem quod perire.	5.a	Patrem à dextris filij esse quid sit.	32.a
Nequitia consummata quid sit.	17.a	Pauper hinc afflicto, in fine glorificabitur.	25.a
Nouo testamento fortitudine, veteris testamenti edomita est duritia.	18.a	Paupertas Christi, diuitiæ nostræ sunt.	89.b
		Paupertas Deo accepta quae sit.	167.b
O bedientia debita praelatis.	108.	Pax vera quae sit.	74.b
Oblitio nulla in Deum cadit.	51.b	Pax nimia & prosperitas.	171.a
Oculi curiositatem quandoque significant.	20.b	Pax peccatorum quid sit.	170.b
Odiu æquum, & odium iniquum quid sit.	53.a & 54.a	Peccare ex necessitate, & ex abundantia quid.	170.b
Offerre Deo quid debeamus, & quomodo.	59.a	Peccanti & iustum mandatum prætereunti iusta damnatio debetur.	14.a
Offerre hircos quid sit.	150.b	Peccata quibus sint confitenda post Deum.	65.a & tempus opportunum confitendi & orandi.
Omnes declinasse vsque ad vnum, quomodo intelligatur.	29.b	Peccata quæ & quibus non imputentur.	64.b
Opera prauorum conuincunt peccatores puniendos.	23.b	Peccati origo unde.	76.a
Opera non possunt esse bona, nisi deriuentur ab intentione iusta.	37.a	Peccatoribus Deus vtitur ad iustorum probationem.	77.b
Opera vbi perfecta erunt.	145.b	Peccatorem non esse, difficile aut impossibile est in hac vita.	71.a
Operatores iniquitatum qui.	11.b	Peccatorum remissionis occasio.	64.b
Operibus bonis viuendum ad sapientiam adipiscendam.	1.b	Peccatum omne fit aut studio, aut infirmitate, aut ignorantia.	51.b
Opus seruile non fieri in die sabbathi quid sit.	66.b	Peccatum, & peccati impietas quid differant.	65.a
Opus bonum Deo oblatum, sacrificium dicitur.	123.a	Peccatum non abscondendum, si velimus nobis remitti culpam.	90.a
Orandum in tribulationibus incessanter.	ibidem. b	Peccare per ignorantiam, & per inimitiam quid distent.	176.a
Orare in secreto cordis quid sit.	73.a	Peccatum iniquorum clamat ad dominum.	64.b
Orare bene quis dicatur.	ibidem	Pecunia, diaboli iniquitas.	169.a
Orare Deum & deprecari in quo differant.	139.a	Peregrini & extranei differentia.	160.a

Perloc

I N D E X.

Persecutionum ecclesiae tres differentiae.	2.b	Propositio quid sit.	112.a
Persecutiones per torcularia intelliguntur.	19.b	Prosperitas huius seculi quæ & qualis sit.	92.b
Persecutiones propter iustitiam, ignem quo probamur significant.	27.b	Proximus quis nobis dicatur in sacris literis.	27.a & 30.b
Persecutio exercitium est ad rectè viuendum fidelibus.	24.a	Prudentiae diffinitio.	111.b
Persecutorum tria genera.	88.a & b	Pfallere domino quid propriè sit.	19.a 66.b
Personas mutandi vsus frequens apud prophetas.	11.b	Veraciter.	ibid. b. 148.b
Pes superbiae quid sit.	76.a	Psalmi cur soliloquia dicantur.	2.a & dignius & manifestius de Christo loquuntur quam ceteri prophetae.
Pes in scripturis quid significet.	157.a	ibid.	
Pedes pro affectionibus sumuntur plerunq; in sacris.	170.a	Psalmi quidam cur nominibus aliorum quam Dauidis intitulentur.	2.a
Philargyriae fructus quales.	98.a	Psalmorum Dauidis ordo.	2.b vnicus illorum liber.
Pij omnes persecutionem patiuntur exemplo Christi.	19.b	ibid.	
Pingues terræ qui dicantur.	48.a	Psalmodia Deo acceptabilis quæ.	140.a
Penitentia vera non fatio, sed sibi ipsi culpam peccati tribuit.	65.a	Psalmorum superscriptiones & earum interpretationes.	1.b
Ponere in similitudinem.	99.b	Psalmorum liber variis nominibus apud Hebraeos nuncupatur.	2.a
Portæ filia Sion quid.	173.a	Psalmus cantici quid.	1.a.b
Posteriora Dei videre quid sit.	173.b	Psalmus à cantico quid intersit.	5.a 56.a
Portionem ponere cum malis, quid sit.	116.a	Psalmus consonantia vocis cum organo requirit & concordiam operis cum voce laudis.	22.b
Præceptis Dei obediendum amore non timore, voluntate non ex necessitate.	3.b	Psalterium sonat à parte superiori, cythara verò ab inferiori.	130.b
Præceptum præcipuum charitas.	6.a	Pugnantium in ecclesia differentia.	75.a
Præceptum tametsi difficile, amanti tamen facile est.	155.b	Puluis quid in sacris literis significet.	16.b
Præcingere quos dicitur Deus virtute.	38.a	Puluis sceleratos denotat, quos tentationis ventus à fide dispergit.	46.b
Præcingere lumbos quid.	ibid.	Purgatorius ignis qualis sit.	81.a
Præclara hæreditas Dei solis præclaris cognita.	31.a		
Prædestinatio filij Dei.	67.b	R ecti qui dicantur, & eorum exultatio cur perpetua.	66.a
Prædicatores veritatem vendentes.	27.b	Reddere vota quid sit.	140.a
Prædicatoris verbi Dei munus.	110.b	Regi caelesti seruientes, reges sunt.	7.a
Prælatorum munus quale sit.	107.b & 108.a	Regnum Christi quale, & ad quos fines.	6.a
Præliorum varia genera obeunda fidelibus.	38.a	Regum munus quale est.	48.b
Principes cur vulpes dicantur.	143.a	Renum nomine cogitationes intelliguntur in sacris literis.	17.b
Probatio fidelium in tribulationibus exemplo Christi.	33.a & b	Repetitio in psalmis non necessitatem narrantis, sed affectum exultantis ostendit.	15.a
Prodigium quid sit.	106.b	Reprobationis ac cæcitatatis origo à nobis procedit.	39.b
Prophetæ, nubes aeris dicuntur.	36.a	Reprobilitero æquiparantur.	161.a
Prophetæ qua ratione peccatoribus & Dei inimicis malum optent etiã orando.	71.a	Resurrectio Christi à Dauide prædicta in psalmis.	91.a
Prophetarum & euangelistarum harmonia de Christi diuinitate.	6.a	Resurrectionis spes ex Christo.	32.b
Prophetarum vsus, mutandi personas in sacris.	38.a	Resurgent omnes ad vitam, sed non ad gloriam.	5.a
Prophetia dicitur non quia prædicit futura, sed quia prodit occulta.	2.a		
Prophetia Ieremiæ de reditu filiorum Israel ex captiuitate Babylonica.	144.b	S abbathum qualiter obseruandum.	66.b & 107.a

I N D E X.


Sacra scriptura mensa dicitur.	49.a	Serpentis prudentia.	131.b
Sacræ literæ laqueus dicuntur iis qui perpe- ram eas interpretantur.	26.b	Serpentis eleuatio in deserto quid.	173.b
Sacrificia Deo semper gratiora quæ.	115.b	Serui & filij discrimen in sacris.	58.b
Ara, ignis & reliqua sacrificio necessaria. ibidem.		Silentium vbi custodiendum.	83.b & 84.a
Secundum vota pensat Deus sacrificium. ibidem.		Similitudo impiorum cum puluere.	4.b
Sacrificium iustitiæ quid sit.	10.a	Singulares & simplices qui sint in sacris elo- quiis.	10.b
Sacrificium cum lachrymis quanti sit mo- menti.	85.b	Sina mons quid significet.	156.a
Sacrificij & holocausti differentia.	87.a	Sors quid in sacris.	63.a
Sacrificium nouum quale sit.	119.a & b	Spes in Deum immutabilis est.	63.a
Sacrificium quo pacto fiat Deo acceptum. 123.a		Spiritus sanctus cur flumen dicatur.	105.b & 107.a
Sacculum portare, cur Christus apostolis prohibuerit.	87.b	Spiritibus malignis vna nocendi voluntas, licet natura plures sint.	16.a
Sal omnium ciborum condimentum est. 136.b		Studio peccare & ignorantia quid diffe- rant.	29.a
Salutare Dei quid sit.	116.b	Stulti securitatē præsentis vitæ quærentes, de bonis Dei futuris dubitant.	10.a
Salutare Dei Iesus Christus est.	23.a	Stulti & insipientis differentia.	112.b
Salutaris, & salutare, de Christo dicuntur. 140.b		Subannatio & derisio quid differant.	99.b
Sancti viri à Deo probari expetunt.	54.a	Superbia initium est omnis peccati.	16.b
Sanctorum virorum tribulatio pro gloria illis est.	49.a	Superbia per emphasim magnū delictum dicitur.	42.a
Sanctorum merces quæ.	139.b	Superbia confusionem, humilitas autem exaltationem habet.	27.a
Sanctorum excoctio in tribulationibus. 138.a		Superbiæ detestatio & effectus.	171.b & 174.b
Sanctorum virorum proprium munus.	119	Superbiæ soliditas in puluerem deducitur apud Deum.	16.b
Sanguinibus cur plurali numero Dauid sit uius.	119.b	Supernacue agere quid apud reprobos di- catur.	51.a
Sanguis peccata quandoque significat.	31.b	Susceptio hominis est Verbum caro factum. 8.b	8.b
Sapientia lignum vitæ est.	3.b	Sustinere Deum quid sit.	51.a
Scientia vera rerum temporalium quomo- do habeatur.	171.b	Sustinere dominum qui dicantur.	77.a
Sciri à domino, id est approbari.	5.a	Syon specula dicitur, & ecclesiam in sacris significat.	6.a
Scriptura sacra pro arcu quandoque intel- ligitur.	26.a		
Scriptura sacra cibus est paratus à domino Deo fidelibus.	147.a	T emplum & domus Dei quid.	56.a
Scriptura malè intellecta quæ mala produ- cat.	177.b	Templum Dei quale.	146.a
Scriptura sacra affectus Deo quandoque tribuit, & quare.	28.a	Temporalium honorum amissionem ti- mentes ob honorem Dei, ad æterna non perueniunt.	30.a
Scripturas malo voto legentes, malè quoq; coguntur intelligere.	18.b	Tempus præteritum pro futuro apud pro- phetas plerunque ponitur.	43.a
Scripturæ mysteria paruulis reuelata, & pru- dentibus absconsa.	20.a	Tenebræ & latibulum in sacris quid.	36.a
Scripturæ sacræ dicuntur palpebræ Dei & quare.	26.b	Tentatio est vita humana.	7.a
Sedere cum concilio, & sedere in concilio quid sit.	54.b	Tentationis fructus quales.	96.b
Semen iusti quid dicatur.	79.a	Tentationes huius seculi quid fidelibus vtilitatis conferant.	55.b

I N D E X.

Terrigenæ quid in sacris.	111.b	xilla percutienti sanus sensus.	12.b
Testes resurrectionis Christi.	32.b	Via beatitudinis qualis.	3.a
Tharsis idem quod Carthago.	110.a	Via hominis qualis esse debet.	83.b
Tesaurizare in cælo quid sit.	84.a	Via Dei & semita quid differant.	51.a
Thronus Dei, filius est patris.	22.b	Via duræ quæ dicantur.	33.b
Timens Deum neque in prosperis extolli- tur, neque frangitur in aduersis.	32.a	Via quibus ad vitam itur.	32.b
Timentium Dominum fructus.	70.a & b	Vincere iram melius est quàm capere ciui- tatem.	16.b
Timor Domini verus qualis sit.	4.a	Vindictam qui quærit ab homine, à diabo- lo superatur.	16.a
Timor Dei qualis esse debet.	61.b	Virga ferrea Christi, recta bonis, & dura malis.	6.b
Timor Dei frenum est peccati.	74.b	Virgæ significatio in sacris.	173.b
Timoris Dei fructus & effectus.	52.b	Virgæ diuinæ quis nobis vsus.	49.a
Timoris & tremoris differentia.	124.a	Viri sanguinum & dolosi qui dicantur.	11.b
Transire pede quid sit.	149.a	Vasa mortis hæretici cur dicantur.	18.b
Tribulatio seruis Dei vtilis, & quare.	33.b	Vita hæc mortalis seruis Dei tribulatio est. 65.b	
Tribulatio timentibus Deum pro medica- mento est ad salutem.	45.a	Vita duplex anima, scilicet, & corporis. 47.a	
Tribulationis vtilitas in hoc seculo.	42.b	Vita vera quæ sit.	70.b
Tribulationem inuenire, & à tribulatione inueniri quid sit.	105.a	Vitæ humanæ multæ.	142.b
Tribulationum angustiis crescit mentis di- latatio.	9.b	Vitia habemus ex nostra voluntate.	159.a
Tribulationes cordis quæ sint.	53.a	Vitium inanis gloriæ quàm detestabile esse debet perfectis.	16.b
Trinitas euidèter expressa in baptismo Ie- su Christi.	6.a	Viucere Deo quid sit.	48.a
		Vltio an quærenda de inimicis.	88.b
		Vnctio fidelium in hoc seculo, & in futuro. 55.a	
V anitates obseruare quid sit.	62.a	Voce sua ad Dominum clamare quid.	8.b
Velum templi scissum quid signifi- ficet.	46.a	Volucres & pisces qui dicantur in sacris li- teris.	20.b
Vendere sine pretio.	99.b	Votorum differentia.	179.b
Veritas Dei imitatrix est.	30.b	Vouere arbitrij nostri est, persoluerè au- tem non est nostrarum virium, sed gra- tiæ Dei.	179.b
Veritatis & iustitiæ opera.	ibid.		
Veritas iucundior hæreticorum compara- tione.	24.a		
Veritatis luce deseri quàm miserum sit. 24.a			
Veritatem qui vendant prædicando.	27.b		
Verborum, via, veritas, & vita interpreta- tio.	12.b		
Verbum Domini cur rectum dicatur.	66.b		
Verborum Christi de præbenda altera ma-			

Zelus animarum quanti momenti sit
apud Deum. 160.a & b


F I N I S.



RUFFINI AQUILEIENSIS

PRAESBYTERI IN SEPTUAGINTA-
QUINQUE DAVIDIS PSALMOS
COMMENTARIUS.

TITULORVM OMNIVM, QVI
PSALMIS PRÆFIGVNTVR,
ARGVMENTVM.



SVNT superscriptionum omnium tituli diuersi: Nam praeter eos qui auctorum suorum nominibus, aut causarum, aut temporum significationibus praenotantur, sunt alij quibus titulus, In finem est: alij quibus tantum, Psalmus cantici, vel Canticum psalmi. Et necesse est diuersas causas diuersarum superscriptionum extitisse. Non enim sine causa tanta rerum diuersitate hic titulorum ordo conuertitur, ut nunc In finem, nunc Psalmus, nunc Canticum, nunc Canticum psalmi, nunc Psalmus cantici ad distinctionem psalmi qui subiaceat, proponatur. Et quanquam in singulis quibusque psalmis singularum quarumque inscriptionum causas praestare nitamur, tamen ad compendium studiosae intelligentiae, in breui sermunculo virtutem superscriptionum omnium coartamus. Finis est, cuius causa caetera sunt, ipse autem nulli alij causam suam praestat. Ob finem enim omnia: nihil volo aliud post finem. Namque ad finem tenditur, sed in fine desinitur. Ita finis est anteriorum perfectio est, et se in nihil aliud protendens, propria in semet sui ipse possessio est. Psalmi ergo qui inscribuntur In finem, ita intelligendi sunt, ut ex perfectis atque absolutis bonorum aeternorum doctrinis et speciebus existant: quia ad ea quae in his dicuntur, fidei se nostrae cursus extendat, et in his nullo ulteriore tendens pro cursu, ipso suo operata et adeptae beatitudinis sine requiescat. In Musica vero artibus haec sunt officiorum genera et varietates. Psalmus est, cum cessante voce pulsus tantum organi canentis auditur. Canticum est, cum cantantium chorus libertate sua utens, neque in consonum organi astrictus obsequium, hymno canor et tantum vocis exultat. Psalmus autem cantici est, cum organo praecinente, subsequens et amula organi, vox chori cantantis auditur, modum psalterij modulis vocis imitata. Canticum vero psalmi est, cum choro ante cantante humanae cantationis hymno, ars organi consonantis aptatur, vocisque modulis praecinentis pari psalterio suauitate modulatur.

HIS ergo quatuor musicae artis generibus competentes singulis quibusque psalmis superscriptiones sunt coaptatae. Ex virtutibus autem psalmodum, et ex ipsis doctrinae musicae

diuersitatibus causa uniuscuiusque superscriptionis ostenditur. In eo enim psalmo, in quo tantum Psalmus inscribitur, fidelium operum & religiosorum gestorum aut doctrina aut confessio continetur. cum propheta commemorando quae gerit, ad doctrinam nos gestorum similitudinem instituit, motu corporei organi nostri ad pios officiorum usus temperato. At vero cum Canticum tantum in titulo psalmi praepositum, scientia in eo spiritualis, & intelligentia caelestis intelligitur, quam per cognitionem sapientiae consequitur, cum non commemoratis fidei operibus solam doctrinam perfectam de Deo cognitionis ostendit. Non enim statim omnis scientia in bono opere est: neque rursum omne opus bonum veram scientiam consequitur. Ob quod est illud quod in tertio superscriptionum genere est. Canticum psalmi, dicitur, quando cum bonorum operum efficientia scientiae doctrina coniungitur. Prius enim in bonis operibus viuendum est, ut perfecta possit ea quae deinceps succedit, diuini sacramenti esse cognitio, secundum id quod dictum est. *Desiderasti sapientiam: serua mandata, & dominus prestabit eandem. Prestabit ergo sapientiam his qui per merita bonorum operum intelligentiae gratiam consequuntur. Ex his operum doctrinae, studium psalmi illius qui Cantico psalmi superscribitur, erit causa nosceda. Ubi autem est Psalmus cantici, illic per cognitionis scientiam usus boni operis tractatur: quando desiderabilem nobis fidelium gestorum efficientiam praestat anterior de Deo adeptam cognitio. Hac ergo musicae artis quadrifaria diuersitas, psalmodum est diuersitati coaptata, ut est. Psalmus per corporei organi motum in commemoratione gestorum fit. Canticum vero per sapientiae cognitionem habet in se doctrinae scientiam. Psalmus vero cantici est, cum praesente gestorum merito, cognitio scientiae praestatur. Canticum deinde psalmi est, cum per adeptam scientiae cognitionem fidelium gestorum opus inchoatur & geritur. Per has ergo superscriptionum proprietates intelligentiam psalmodum quaerere oportebat: quia uniuscuique generi prophetiae, in proprietate titulorum unumquodque genus musicae comparationis aptum est. Aliae vero superscriptiones, quae aut Res gestas secundum historias significant, aut tempora, aut dies, aut aliud aliquid complexae sunt: vel ex interpretatione nominum, vel ex comparatione gestorum, vel ex consimilitudine speciei, ex quibus rebus psalmus consistat, ostenditur. Et sicubi est, Pro die sabbati, aut, Pro occultis filii, aut, Pro die octaua, per corporalem superscriptionem significationemque speciei psalmi intelligatur editio. vel cum Illius David, vel illi David, vel Absalon, vel Saul, vel Doech prophetia, quae in psalmo sit, consequamur. In diapsalma vero, quod interiectum plurimis psalmis est, cognoscendum est de mutatione aut persona, aut sensus, sub conuersione metri musici inchoari: ut sicubi diapsalma intercesserit, aut aliquid aliud dici, aut etiam ab altero dici, aut in altero artis musicae modulo cantari intelligendum sit. De personis aut sensibus ubi diapsalma intercedere reperimus, rationem asserere tentabimus. Caterum modi musici disciplinam conseruare translatio Graeca & Latina non potuit. Hac autem in compendiosam breuitatem dicta sufficiant. Nunc festinemus ad ipsam psalmodum expositionem stilum conuerrere. Est autem diligens propensumque iudicium expositioni uniuscuiusque psalmi praestandum, ut cognoscatur quae uniuscuiusque eorum clauis intelligentiae aperiendus sit. Nam liber omnis similis est urbi pulchrae atque magna, cui plures ades diuersaeque sint, quarum fores propriis clamibus diuersisque claudantur. Quae cum unum in locum congestae permixtaeque sint, volenti unamquamque eadem aperire, maximam ignaro asserant difficultatem, ut clauis uniuscuiusque adis inueniat: sitque aut familiaris scientiae cognitam clauem cito ex copia illa congesta varietatis in unum eligere, aut ingenio laboris aptam & congruam clauem aperiendi uniuscuiusque aditus inuenire: quia ratio & qualitas*

litas non sinat, non suas clauis claustris disparibus coaptare. Itaque secundum Dei misericordiam aperiendi uniuscuiusque psalmi clauem reperturi, huiusmodi primi Psalmi aditum propria sua & congrua clauis pandamus. Iste liber apud Hebraeos propter diuersas causas tribus modis intitularur: id est, aut Liber hymnorum, aut Liber soliloquiorum, aut Liber psalmodum. Ideo titulus eius est, Liber hymnorum: quia totum istud opus pertinet ad laudem Dei. Hymni sunt cantus laudem Dei concinentes. Si sit laus, & non sit Dei, non est hymnus: si sit laus Dei & non ceterum, non est hymnus. Oportet ergo ut si sit hymnus, habeat haec tria, & laudem, & Dei, & canticum. Dicunt & quidam quod hymnus proprie dicitur, laus Dei metricè composita. Unde proprie in Hebraeo dicitur Liber hymnorum, quia ibi totum psalterium est metricè scriptum. Dicitur etiam apud nos recte liber hymnorum quia licet impediante translatione non teneat metrum, tenet tamen quod praecipuum est, scilicet quod in omni parte apud nos, sicut & apud Hebraeos laudem Dei significat, quod perspicuum est. Liber etiam soliloquiorum non immerito dicitur, eo quod in eo solus Spiritus sanctus sine ullo humano ingenio siue auxilio loquatur. Vel soliloquium, non quia de Christo loquuntur soli psalmi: sed quia dignius & manifestius loquuntur de illo, quam propheta ceteri. Ex qua etiam dignitate haec prophetia in frequentiori usu habetur in Ecclesia. Rursum Liber psalmodum recte appellatus est: quia sanctus David dulce mysterium huius prophetiae dulci sono, dulci organo, id est psalterio, voluit declarare. Volens enim magnificare cultum templi ad honorem Dei, cum Arcam de Sylo reduceret, elegit tria milia hominum musicis instrumentis Deum laudantium: & illis centum quinquaginta praefecit: quibus omnibus quatuor alios, Etha, Eman, Asaph, Idithun praefectos adhibuit. Ipse quoque cum psalterio modulans in tabernaculo ad diuinum cultum ceteros inuicauit. Prophetiam hanc modulabatur in psalterio: Et non sine causa magis in hoc quam in alio instrumento: quia sicut hoc instrumentum decem chordas habet, & superius est concuum unde resonat: ita haec prophetia resonat de superioribus, quae nos instruit de spiritualibus. Neque hoc causa laudis humanae, sed solo appetitu supernae patriae. Decem vero chordae psalterii, decem praeccepta legis significant: quae omnia bene implet, qui ea exequitur quae in psalterio scripta decantantur. Dicitur autem prophetia, non quia praedicit futura: sed quia prodit occulta. Cuius tempora tria sunt: praeteritum, praesens, & futurum. Et ipsa aliquando fit per figuras, aliquando per somnium, aliquando per occultam reuelationem: sicut ista. Quod ipse propheta attestatur ubi ait, Audiam quid loquatur in me dominus Deus. Et, Occulta sapientiae tuae manifestasti mihi. Communis materia totius huius operis, Christus est, tripliciter acceptus: id est secundum diuinitatem, secundum humanitatem, & secundum corpus eius quod est Ecclesia. Quod vero de contrariis, id est daemone & impiis hominibus interfertur: non ideo fit, quod sint de principali materia: sed de principali materiae per quasdam commoditates subseruiant, admiscuntur. Ut in primo psalmo de impiis inducit, quatenus per eorum penas homines ab eorum conformitate deterreat, & ad Christi conformitatem inducat. Queritur à quibusdam cui parti philosophiae supponatur. Quibus respondendum est, secundum quod agit de moribus, Ethicæ: secundum quod tractat de natura, Physicæ potest supponi. Sciendum vero est, quod istos centum quinquaginta psalmos spiritu Dei reuelante sanctus composuit David. Et licet quidam psalmi aliorum nominibus intulerentur, ut est Salomonis, Aggei, filiorum Chore, & aliorum quorumlibet: non ideo factum est, quod ipsi psalmos composuerint: sed propter mysteria nominum, siue officia ad quae sermo sequens videtur pertinere. Nec eo modo ordinati sunt, quo à sancto David compositi. Cum

1. Para. 16.
1. Para. 24.

PSALMORVM VARIJ TITVLI.

enim in uxore Uria peccasset, Misere mei Deus post hac verò pro persecutione Absalom, Domine quid multiplicati sunt, edidit. Item cum à Samuele prius ungeretur in rege, Dominus illuminatio mea, mortuo autem Saul, Diligam te, composuit Hesdras Scriba, qui titulos posuit, psalmos aliter quàm dictati fuerant, ordinavit: hoc fortassis Spiritu sancto ideo disponente, ut cum ordo rerum aut temporum iuxta literam non tenetur, aliter ordo subtilior iuxta spiritualem intelligentiam requiratur. Et sunt quidam qui quinque psalmorum libros esse volunt, quia ibi quater fiat, fiat inveniunt: sed unum librũ esse Actuum.


Act. 1.

Apostolorum liber confirmat, ubi ait, Sicut scriptum est in libro Psalmorum. Hesdras autem cum ceteris psalmis titulos posuisset, huic psalmo ideo non ascripsit, quia iste psalmus omnium aliorum est titulus. Sicut enim titulus illuminat, et totam materiam sequentem prælibat: ita psalmus iste qui præcedit, totam materiam sequentis operis tangit. De hac vero materia hoc modo tractat: ostendendo potentiam diuinitatis, perfectionem humanitatis Christi, vniuersitatem sanitatis membrorum, conversionem peccatorum, patientiam et gloriam omnium, intentio sua est, nos commone, ut beatitudinem in primo parente amissam, studeamus reparare in nobis: et exemplo nostro in aliis: quod ut possimus facere, hortatur nos imagini noui hominis Christi conformari: de quo in hoc primo psalmo agit hoc modo. Remouet ab eo omnia mala, tam cogitationis quàm operis. Commendat in eo omnem perfectionem virtutis. Ostendit eum vtilem esse nobis. Sciendum verò est quòd illas perfectiones de Christo, quas communiter ponit in priori psalmo, in ceteris psalmis qui sequuntur, multipliciter per partes exequitur. Quia ergo omnes ad beatitudinem tendunt, nec beati esse, nisi per Christum, possunt (tantum enim bonum est beatum esse, ut omnes hoc velint et boni et mali) proponit Christum nobis in exemplum. Et incipit à beatitudine sic.


SEQUEN
tis Psalmi
Titulus.

2. Corin. 15.
2. Corint. 3.

PSALM



PSALMVS PRIMVS.



EATVS vir. &c. Postquam dictum est, non abiit, superfluum videtur esse quod additur, non stetit, & non sedit. Qui enim nõ consentit peccato, iam nec in eo stare valet, aut perseuerare. Sed ideo hoc facit, quia ordinem vult exequi, quo primus homo peccauit: ut secundum hominem ostendat à primo penitus esse dissimilem. Beatus vir qui non abiit. De Domino nostro Iesu Christo accipiendum est, qui non

abiit in consilio impiorum, sicut homo terrenus, qui vxori consensit decepta à serpente, ut domini præcepta conteneret. Et in via peccatorum non stetit. Venit quidem in via peccatorum, nascendo sicut peccatores: sed non stetit, quia illecebra secularis eum non tenuit. Et in cathedra pestilentia non sedit. Noluit enim terrenum regnum cum superbia. Quæ cathedra pestilentia ideo rectè intelligitur, quia pauci sunt qui amore dominandi careant, & humanam gloriam non appetant. Pestilentia verò est morbus latè peruagatus, omnes aut penè omnes inuoluens. Vel cathedra pestilentia perniciofa doctrina intelligi potest. Deinde considerandus est ordo verborum, Abiit, Stetit, Sedit. Abiit ille, qui recessit à Deo: stetit, cum delectatus est in peccato: sedit, cum in sua superbia confirmatus, redire non potuit: nisi per eum liberatus, qui neque abiit in consilio impiorum, nec in via peccatorum stetit, nec in cathedra pestilentia sedit. Potest etiam intelligi de quolibet iusto quod dicitur, Beatus vir qui non abiit, &c. In consilio impiorum abire, est prauis consiliis assentire. In via peccatorum stat, qui in malis operibus perseuerat. In cathedra verò pestilentia sedet, qui malum quod agit alios docet. Quisquis ergo beatè viuere studet, praua consilia summopere cauere debet. Scriptum est enim: Corruunt mores bonos colloquia mala. Prava quoque opera & exempla nihilominus vitanda sunt: quia sicut bonorum operibus & exemplis minus boni ad meliora semper proficiunt, sic nonnunquam iniquorum factis & exemplis infirmi ad deteriora tendunt. Hinc Psalmista alibi ait: Cum sancto sanctus eris. Et paulo post subditur: Et cum peruerso peruerteris. Tanto itaque studiosius oportet hæc fugere, quanto facilius incautas mentes possunt decipere. Via ergo beatitudinis est, ut quisquis ad bonum opus tendere desiderat, quo scilicet beatè viuat, prius malũ cauere studeat, ne bonum quod agit, impediatur. Vnde scriptũ est: Declina à malo, & fac bonum. Sequitur de domino nostro Iesu Christo. Sed in lege domini voluntas eius: et in lege eius meditabitur die ac nocte. Quòd Christi voluntas in lege Dei patris fuerit, textus sancti euangelij satis ostendit: ubi Luca narrante dicitur, qualiter in templo domini puer Iesus inuenitur sedens in medio Doctorum & interrogans, cunctis stupentibus super prudentia & responsis eius. Qui inquisitus à parentibus ait: Quid est quod me

Ioann. 18.

Mentider.
1. Corint. 15.

Psal. 17.

Psal. 33.

Luc. 2.

quæ rebatis? Nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse: ergo in lege domini voluntas eius. Nequaquam puer Iesus inuitis parentibus in templo domini remansisset, si in lege domini voluntas eius non fuisset, *Et in lege eius meditabitur die ac nocte.* Nanque in die & nocte prædicauit Christus. In die docebat turbas, nocte verbi mysteria discipulis revelabat.

Ioan. 8. Vel in lege domini voluntas eius fuit, quia à præceptis patris nunquam filius discordauit. Hinc est quod ipse ait: Non veni facere voluntatē meam, sed voluntatem eius qui misit me, patris. Ex quibus verbis quid aliud colligimus: nisi quod præceptis dominicis obedire debemus, non timendo, sed amando: non ex necessitate, sed ex voluntate. Non enim timor aut necessitas, sed sola charitas implet legem, hinc est quod Apostolus ait: Qui enim diligit, legem impleuit. Nec mirum si is qui charitate repletur, in lege domini, die ac nocte, id est, assiduè meditatur: vel die ac nocte, id est, in prosperis & aduersis. Vbi enim est vera dilectio, ibi diuinæ legis est meditatio: & mens quæ amore Dei accenditur, nec prosperis nec aduersis commutatur.

Proverb. 3. *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* De sapientia per Salomonem dicitur: Lignum vitæ est his qui apprehēderunt eam: & qui tenuerit eam, beatus. Quid autem Christus, nisi Dei virtus & Dei sapientia? Quem quisquis amando & desiderando apprehendit, in æternum proculdubio viuuit. Legimus in paradiso lignum vitæ esse, de quo dictum est: Videte ne forte sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum. Si ergo de hoc ligno sumens in æternū viueret, meritò ligno Christus comparatur, qui est cibus vitæ, quo quisquis vescitur vita viuere & non morietur. Solet autem in scriptura sacra aquarum nomine aliquando populus designari, sicut legitur in Apocalypsi, vbi per angelum dicitur: Aquæ multæ, populi multi sunt. Decursus verò aquarum, significat lapsum qui fit per peccatum. Rectè ergo dominus secus decursus aquarum plantatus esse describitur, quia inter homines fluxu mortalitatis & peccati decurrentes nasci dignatus est. Qui tanquam lignum per vitæ nouitatem viruit: per noua verba quasi noua folia immisit: per miracula floruit: remissionē omnium peccatorum, & vitam æternam præstando fructus dedit. Bene ergo subditur, quòd fructum suum dabit in tempore suo. De quo tempore & fructu per Paulum dicitur: Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum in terris, factum ex muliere, factum sub lege: ut eos qui sub lege erant, redimeret. Hinc Abraham dictum est, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Non dicit in seminibus, quasi in multis: sed in semine tuo, quòd est Christus: qui per semetipsum dicit, Ego sum via, veritas & vita. Vel tanquam lignum secus decursus aquarum plantatur, cum quisquis iustus per infusionem sancti spiritus in charitate radicatur & fundatur. Ligni enim nomine sæpe vir iustus, aut etiam iniustus exprimitur: sicut per prophetam dicitur: Ego dominus humilians lignum sublime. Quia iuxta Veritatis vocem, omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Salomon quoque ait: Si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, vbi cunque ceciderit, ibi erit. In die etenim mortis suæ iustus ad Austrum cadit

dit, peccator ad Aquilonem: quia & iustus per feruorem sancti Spiritus ad gaudia ducitur, & peccator cum apostata angelo (qui dixit, Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis) in frigido corde suo reprobatur. Per aquas verò sancti spiritus gratia solet designari. Vnde veritas ait: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Et, Qui biberit ex aqua quam ego do, non sitiet in æternum. Huius aquæ irrigatione agitur, ut anima fidelis per viriditatem fidei & spei in domino proficiat, atque in charitate ipsius fixa permaneat. Et quia charitas nūquam ociosa est (operatur enim magna si est) rectè dicitur quòd fructum suum dabit in tempore suo. In hoc tēpore præsentis fructum suum dant electi: quia bonum quod faciunt, ei attribuunt à quo facti sunt. Vel fructum suum in tempore suo dare, est per hanc vitam æterno iudici opera sua præsentare. Vnde per similitudinem patris familiās à quodam dicitur, Domine quinquetalenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Ex quibus verbis valde notandum est, quia omnipotens Deus quicquid nobis in hac vita tribuit, mutuo dat, & cum lucro requirit. Nec sufficit datum seruare, sed summopere illud oportet quemque multiplicare, ut pigri serui sententiam declinans, mereatur audire quod illic dicitur: Euge serue bone & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui. Ergo si pauca fideliter agimus, dum paruo hinc tempore viuimus (pauca enim sunt cuncta temporalia ad æternitatem comparata) super multa constituemur. Multa sunt quidem bona cælestia, de quibus scriptum est, quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderūt, quæ præparauit Deus diligentibus se. *Et folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet, prosperabuntur.* Per folium intelligitur verbum. Quod enim folia agunt arboris, hoc in nobis per similitudinem agūt verba redemptoris. Fructu quidem eius spiritualiter pascimur: sermone verò ipsius à vitiis obumbramur. Quomodo autem folium, id est verbum, non defluat: ipse in euangelio demonstrat, vbi ait: Cælum & terra transibunt, verba autem mea non trāsient. Et si enim sonus verborum transeat, ea quæ verbis exprimitur, sententia perdurat. Et quicquid voce veritatis dicitur, siue in lege, siue in prophetis, siue in euangelio, siue in apostolicis libris, siue etiam per quosque religiosos: totum per operationem adimplebitur. Vnde scriptum est, Iota vnum, aut vnus apex non præteribit de lege, donec omnia fiant. Et quia potens in opere & sermone Christus dicitur (ipse enim est Dei virtus & Dei sapientia) meritò de ipso subditur. Et omnia quæcunque faciet, prosperabuntur. Vnigenitus Dei filius in carne veniens, quia verus Deus & verus homo extitit, alia vt Deus, alia vt homo, & docuit & fecit: Sed quod fecit, aut docuit, vt Deus, nobis profuit ad rectè credendū. Quod verò vt homo, profuit nobis ad rectè viuendum. Impletum est ergo quod dicitur, Et omnia quæcunque faciet, prosperabuntur. Sed fortasse non creditur prosperè egisse: quando à Iudæis captus, ligatus, flagellatus, crucifixus, occisus est. Immo tunc prosperè egit, quia morte sua mortem nostram destruxit. Nec profuisset nasci in carne, si non contigisset mori & resurgere. Et mira domini dispositione actum est, vt & Iudæi voluntatem suam in

Christum implerent, & Christi consilium, quod putabant destruere, perficerent. Sed hæc verba quæ de capite dicta sunt, etiam membris eius congruere possunt. Quisquis enim Deo perfecte seruire concupiscit, non solum opere, sed & verbo esse iustus appetit. Dicatur ergo de quolibet perfecto viro: *Et folium eius non defluet, & omnia quaecunque faciet, prosperabuntur.* Folium eius non defluit, cuius in veritate sermo consistit. Folium eius non defluit, qui à superfluitate verborum linguam compescit. Hinc per Salomonem dicitur, Sapiens vsque ad tempus tacebit. Psalmista quoque atibi ait, Dixi custodiam vias meas, ne delinquam in lingua mea. Et Iacobus perhibet dicens, Qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir. De hoc ergo perfecto viro rectè dicitur. Et omnia quaecunque faciet, prosperabuntur. Rectorum quidem facta tunc prosperabuntur, quando mala bonis non admiscentur: Cùm bene cæpta vsque ad finem perducuntur: Cùm pro his nec temporale lucrum, nec terrena gloria, nec fauor hominum, sed sola patriæ cælestis merces requiritur. Sed nonnunquam contingit, quia is qui perfecte viuit, in verbo aut in opere delinquit. Nec tamen tunc verbum eius defluit, etiam cùm offendit, nam tandiu culpa corde retinetur, quousque satisfactione pœnitentiæ curetur. Et cùm post culpam cautiore redit ad iustitiam, quod aduersari videtur peccatū etiam prosperatur. Et miro modo fit, quod vnde peccauit, inde iustior existit. Meritò ergo per Paulum dicitur, Omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Omnia quidem, non solum prospera, sed etiam aduersa: non solum bona, sed etiam mala. Quia ergo quisque perfectus vir, & in locutione maturus, est, & in operatione discretus, dicatur rectè: Et folium eius non defluet, & omnia quaecunque faciet, prosperabuntur. Sed iam quid de reprobis subiungat, audiamus. *Non sic impij, non sic.* Vbi repetitio comminatio est, ac si diceret. Nec sic beati eritis, nec sic prosperari poteritis. *Sed tanquam puluis, quem proiciit ventus à facie terræ.* Meritò impius pulueri comparatur, quia peccanti homini dicitur: Puluis es, & in puluerem reuertéris. Qui dum tentationibus agitatur, quasi puluis vento mouetur. Quem dum ira conturbat, superbia inflat, vana gloria eleuat, luxuria eneruat, auaritia subiicit, inuidia diuidit, tristitia prosternit: quottentationū motibus vrgetur, quasi tot vectorum flatibus puluis dispergitur. Quod si facies terræ, species patriæ cælestis accipitur (de qua terra Propheta dicit, Credo videre bona domini in terraviuētū) rectè puluis à facie terræ proiici describitur, quia à visione cælestis gloriæ impius remouetur. *Ideo non resurgunt impij in iudicio.* Ideo scilicet, quia nullo virtutū pondere grauati, tanquā puluis à facie terræ sunt proiecti. Vnde scriptum est, Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. *Neque peccatores in consilio iustorum.* Repetita sententiā videtur, vt, quod superius dicitur, impij, intelligantur peccatores: & quod præmissum est, in iudicio, hoc dictū sit in consilio iustorum. Aut si aliud sunt impij, aliud peccatores (nā omnis impius peccator, non tamen omnis peccator impius.) Impij non resurgunt in iudicio, subaudi, vt iudicentur: quia iā pœnis, certissimis deputati sunt. Peccatores autē non resurgunt in consilio iustorum, subaudi, vt iudicentur: sed vt iudicentur. Sed

cūm David dicat quòd impij nō resurgūt in iudicio, quid est quod Paulus ait: Omnes quidē resurgemus? Nam per omnes vult intelligitā bonos quā malos, tam piōs quā impiōs, tam peccatores quā iustos. Sed sciendum est quia omnes & boni & mali resurgere habēt ad vitā, sed nō omnes resurgēt ad gloriā. Quod satis manifestat idem Apostolus, cū ibidem subiungit. Sed non omnes immutabimur. Resurgēt quidem omnes vt viuāt, boni & mali: sed non omnes immutabuntur, de vita ad gloriā: nisi soli boni. Quare hoc? *Quoniam nouit dominus viam iustorum.* Nouit, id est approbat. *Iter autem impiorum peribit.* Ac si diceret, Iter impiorum non nouit dominus: vt hoc sit nesciri à domino, quod est perire: & hoc sit sciri à domino, quod est manere. Duobus enim modis scire Dei accipitur: Aut scire, id est, cognoscere: aut scire, id est, approbare. Secundum hoc autem, quod scire Dei dicitur noscere, bonos & malos nouit dominus. Sicut scriptum est, Ipse nouit & decipientē, & eum qui decipitur: neq; enim impium quenquam iudicaret, si nequaquā cognosceret. Et tamen iniquum nescit, quia facta eius non approbat. Et nouit ergo, quia deprehendit: & non nouit, quia hunc in suā sapientiæ speciem non recognoscit. Hinc dicturus est eis in iudicio, Amen dico vobis, nescio vos. Iuxta hoc verò quod scire dicitur approbare, non noscit dominus nisi bonos, vnde scriptum est: Nouit dominus qui sunt eius. Quos ideo nouit, quia præsciuit & prædestinauit eos conformes fieri imaginis filij sui. Quia ergo omnipotens Deus operationem iustorum sic nouit, vt approbare: actionē verò impiorum sic non nouit, vt reprobare: dicatur rectè, Quoniam nouit dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit.

T I T V L V S P S A L M I I I.

SECVNDVS Psalmus sic intitatur, Psalmus David. Notandum quòd tituli in quibusdam Psalmis ita præponuntur, vt intentionem designent: in quibusdam, vt materiam, in quibusdam verò vt vtrumque. Psalmus proprie dicitur Melos quod per motum & laborem manuum de psalterio procedit: & ideo pro bona operatione saepe ponitur, quæ sine labore fieri non potest. Et quantum in hoc negotio continetur exhortatio bonæ operationis: idcirco ipsi negotio tale vocabulum competit, vt psalmus appelletur. Psalmus ergo iste, id est sequens exhortatio bonæ operationis, est attribuetus David, id est Christo, qui verus David, id est visu desiderabilis, vel manu fortis interpretatur. Quis enim adeo desiderabilis, sicut ille, de quo scriptū est: Cuius vultum desiderat vniuersa terra, & in quem desiderat angeli prospicere? Et quis fortior eo, qui omnia quaecunque voluit fecit: qui principē huius mūdi de regno suo expulit, qui morte sua nostrā destruxit? Et sciedū quòd quādo psalmi ita intitulantur, vt psalmus præponatur & nō canticū: designatur quia de moribus agit. Quādo verò canticū & nō psalmus, non de moribus, sed de mystico intellectu tractatur. Intentio Christi, cui hæc verba competunt, hæc est, vt omnes fideles spem & confidentiā bonæ vitæ non in seipsis, sed in Christo & secundum principium & secundum finem, constituent. Quia nonnunquā Propheta sancti sic prævident futura, quomodo sciunt præterita. sanctus David quod de passione Christi & persecutoribus eius futurum esse prævidit, non futuro sed præterito tempore narrare voluit: vt ex suis verbis ostenderet quia Spiritu sancto reuelante: tam de futuris quàm de præteritis certus esset. Ait ergo de persecutoribus Christi.

QVARE fremuerunt gentes, Id est gentiles, & populi, id est Iudæi, meditati sunt inania? Et quare astiterunt reges terræ, Herodes & Pilatus, & principes Annas & Caiphas conuenerunt in unum, consilium & locum, aduersus dominum, patrem & aduersus Christum filium eius? Tanta deniq; insania furoris eos inuasit, tanta malitiæ cæcitas percucit: vt auctore suum, quæ credere & adorare debuissent, vnanimiter etiam occidere non timerent. Dicitur est autem *Quare*, ac si diceretur, frustra, Non enim impleuerunt quod voluerunt. Nam qui ideo Christum occiderunt, & vt nomen eius de terra delerent, & ne ipsi locum & gent perderent: ideo quidem nomen eius auxerunt, ideo & gentem & locum perdiderunt, quia innocentem dominum occiderunt. Miroque modo actum est, vt dum suum consilium implere se crederent, consilium domini nolentes & nescientes implerent. Ergo meditati sunt inania. Non est enim sapientia, non est prudentia, non est consilium contra dominum. Sed quæ inania meditati sunt? *Dirumpamus*, inquit, *vincula eorum, & prouiciamus à nobis iugum ipsorum.* id est, destruamus vincula religionis Christianæ, ne nos sui valeant subiugare. Sic, sic superbæ mentes contra suum auctorem frequenter se erigunt, dum suam non eius voluntatem implere appetunt: & tanto deterius cadunt, quanto supra eum tendunt à quo facti sunt. Sed quid sequitur? *Qui habitat in cælis iridebit eos, & dominus subsannabit eos.* Quia habitantes in terra cælestem dominum irridere & subsannare præsumperunt, ab ipso cælesti Deo irrisione & subsannatione digni ostendentur. Nam qui surrexit à mortuis, & regnando iam habitat in cælis, cum ad iudicium veniet, irrisione (vt iam diximus) & subsannatione eos dignos ostendet. Hinc per sapientiam dicitur, *Quia vocaui & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis, quod timebatis, euenerit. Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio & angustia: Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non inuenient me. Tunc loquetur ad eos in ira sua, qui antè tacuit in iniquitate sua. Et in furore suo conturbabit eos: quos in longanimitate patientiæ suæ antè tolerauit. Iram autem & furorem domini non perturbationem mentis oportet intelligi, sed vim qua iustissime iudicat. In ira sua loquetur ad eos, cum in iudicio suo dura illos arguet increpatione: in furore suo conturbabit eos, cum districta impios feriet animaduersione. Ecce misericors Deus non iratus, sed placatus nobis peccatoribus apparet: mala nostra videt, & patienter sustinet. Ideo diu tolerat, vt ad pœnitentiam nos pertrahat. Sed qui modò negligit placatum, profectò sentiet iratum. Et quo quisque nunc durior fit ad pœnitentiam, eo ipse districtior erit ad vindictam. Sed qui in cælis habitat: quomodo etiam in terris regnat, audiamus: ait enim: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, subaudis, à patre meo, super Syon montem sanctum eius, prædicans præceptum**

Ioan. 11.

Luc. 23.

Math. 26.

Ioan. 7.

Ioan. 11.

Prouer. 21.

Marc. 14.

Luc. 24.

Act. 1.

Mat. 16. 25.

Prouer. 1.

Ibid.

Roma 9.

Mat. 25.

Oze. 6.

Math. 9.

Math. 11.

Ezech. 18.

Rom. 9.

Hebr. 5.

ceptum eius. Ego, inquam, cuius vincula illi dirumpere, & iugum meditabantur abiicere. Per Syon, quæ speculatio dicitur, sancta Ecclesia intelligitur: cuius intentio quotidie ad speculandam claritatem Dei erigitur. Sicut Apostolus dicit, Nos autè reuelata facie gloriam domini speculantes. Quam Ecclesiam montem sanctum appellat, propter eminentiam & firmitatem. Super hanc ergo Ecclesiam vnigenitus Dei patris rex constitutus est, non vt terreno regnet imperio, sed cælesti. Ait enim in quodam loco: Regnum meum non est de hoc mundo. Ergo est supra mundum. Et cum eum voluissent rapere in regem, vt temporaliter regnaret, in illis aufugit, & terrenum imperium respuit. Ergo Christus spiritualiter rex constitutus est in nobis, vt expulso maligno principe de cordibus nostris, regnet ipse in interiore homine secundum spiritum, secundum donationes gratiarum, & largitiones virtutum, & ædificationes morum, ad salutem animarum nostrarum: vt iam non regnet peccatum in nostro mortali corpore, nec seruiamus immunditiæ ad iniquitatem, sed potius iustitiæ in sanctificationem. Sic ergo Christus in nobis regnare desiderat, vt ab immundis spiritibus & vitiis nos defendat, vt virtutibus & sacris operibus nos muniat. Sic in nobis regnare appetit, vt ad cæleste regnum suo nos regimine ducere possit. Sed quia adhuc sumus in certamine, suis nos præceptis non cessat admonere. Vnde bene dicitur, Prædicans præceptum eius: quia non præcepta, sed præceptum dicit, fortassis charitatem nobis innuit, in qua cuncta præcepta finiuntur: & quam si quis impleuerit, cætera ab ipso implebuntur. Hoc præceptum nobis quotidie Christus prædicat, hoc præcepto à terris ad cælestia subleuat: & quicquid per alia præcepta dicit, mittere nos ad hoc vnum præceptum semper intendit. Quod quidem duplex est mandatum: nam in dilectione Dei est dilectio proximi. Et scriptum est, quia in his duobus mandatis pendet lex & prophetæ: Quicquid ergo lex, quicquid prophetia, quicquid Euāgelium, quicquid sermo Apostolicus prædicat: omnia vnum præceptum, id est, charitas vna consummat. Sed quia de potentia audiuius, de dignitate huius regis nostri audiamus. Sequitur enim, & dicit: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quod per prophetam audimus, hoc etiam per euangelium legimus. Ibi enim dicitur, quia cum dominus Iesus baptizaretur, Spiritus sanctus in columbæ specie descendit, & vox patris intonuit, Hic est filius meus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Vbi manifestè se Trinitas humanæ naturæ ostendit: quia Filius Dei in specie hominis, & Spiritus sanctus in specie columbæ, & vox Patris in similitudine humanæ vocis apparuit. Quanquam autem possit ille dies in prophetia dictus, videri quo Iesus Christus secundum hominem natus est: tamen hodie quia præsentiam significat, atque in æternitate nec præteritum, nec futurum est, sed præsens: diuinitus accipitur secundum id dictum, Ego hodie genui te: quo sempiternam generationem virtutis & sapientiæ Dei, qui est vnigenitus filius, fides catholica prædicat. Duas ergo in Christo generationes esse credimus: ynam diuinam, alteram humanam: vnam qua ex patre in cælo natus est sine matre, alteram qua in terra ex matre natus est sine patre. Secun

2. Corint. 3.

2. Pet. 1.

Luc. 1.

Dan. 7.

Ioan. 18.

Ioan. 6.

Eph. 3.

Rom. 6.

2. Corint. 5.

2. Tim. 2.

Mat. 22.

1. Corint. 13.

Mat. 22.

Mat. 22.

Mat. 3.

Luc. 3.

Mar. 1.

Ioan. 1.

Mat. 17.

1. Cor. 2.

Mat. 2.

Secundum illam, cum nihil essemus, nos creauit. Secundum istam, cum perditum essemus, nos reformauit. Vnigenitus ergo filius ex patre sine tempore natus, quia caelestem suam hereditatem solus habere noluit, humanam naturam ad contemplationem gloriae suae condidit. Sed quia peccando periit, ille etiam hanc in carne nascendo requisit: & qui hominem fecerat ad imaginem & similitudinem Dei, miro suae charitatis affectu factus est ipse ad similitudinem hominis. Et vnde se ad nostram humanitatem humiliavit, inde nos ad hereditatis suae gloriam subleuauit. In hac igitur carnis generatione & humiliatione ei à patre dicitur: *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrae.* Minor quidem videtur ille qui postulat, eo qui postulatur. Et dum Christus carnem assumpsit, à patre suo per humanitatem se minorauit. In hoc enim quod in forma Dei est aequalis patri, non postulat à patre, sed simul operatur cum patre. In hoc autem quod pro nobis se dignatus est humiliare, minor patre factus, non cessat pro nobis interpellare. Postula (inquit) à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam. Sancti Patriarchae & prophetae postularunt pro Iudaeis. Ipse vnigenitus filius Dei, homo inter homines factus, postulare dignatus est pro gentibus. Illi postularunt genti suae salutem, & misit eis Deus saluatorem. Sed quia hunc in carne humilem viderunt, superbo corde & caeco contempserunt. Quem verò Iudaea elata repulit, huc gentilitas humiliata suscepit. Illa per superbiam hereditatem perdidit: haec per humilitatem ad hereditatem venit. Sed quia hoc non suis meritis, sed Dei filio volente, & patre eius annuente factum est, recte ei dicitur, Postula à me & dabo tibi gentes hereditatem tuam. Non enim ait, Postulet ille gentes, sed postula tu. Ex quibus verbis satis colligitur, quia gentilitas non suis meritis saluatur: sed ille hoc fieri petiit, qui patri pro nobis vsque ad passionem mortis obediuit. Et quia gentilis populus ab extremis mundi partibus ad fidem collectus est, recte dicitur, Et possessionem tuam terminos terrae, subaudis, dabo tibi. Dum enim persecutio in Iudaea agitur, sancta Apostolorum praedicatione in vniuersum mundum dispergitur: sicut scriptum est, *Vobis missum fuerat verbum Dei: sed quia indignos vos iudicatis, ecce imus ad gentes.* Pro crudelitate ergo malitiae quae mentem Iudaeae concremauit, omnipotens Deus gentes in hereditatem sumpsit: quia per hoc, quod illa redemptorem suum ac membra eius persecuta est, sanctis Apostolis per diuersa dispersis, nos qui Iudaeae in circuitu sumus, dono caelestis gratiae splendorem veri luminis videmus. Sed quia in vitae fortitudine nos inuenit, & ad iustitiae regulam reduxit, bene subditur: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Virga ferrea accipitur inflexibilis iustitia, quae ideo virga, quia recta: ideo ferrea, quia dura. Recta bonis, dura malis: Blanda iustis, aspera peruersis. Et quia per hanc dominus spirituales regit, carnales confringit, recte dicitur: *Et tanquam vas figuli confringes eos.* Quid enim terrena sunt corda, nisi vasa fictilia? Vas enim fictile, terrenum, & fragile est. Carnalia ergo corda, quae transitoria appetunt, hoc quod corruptibile & vile est, diligunt, terrenis rebus totis desideriis incumbunt, quid aliud, quam

Genes. 1.

Philip. 2.

Ephes. 4.

Ioan. 14.

Philip. 2.

Ioan. 10.

Philip. 2.

1. Ioan. 2.

Hebr. 7.

Exod. 4.

Isa. 16.

Ioan. 17.

Isa. 19.

Ioan. 1.

Ioan. 4.

Act. 8.

Hebr. 5.

Philip. 2.

Isa. 60.

1. Pet. 2.

Luc. 10.

Act. 13.

Mat. 16.

Mat. 26.

Isa. 40.

Luc. 3.

1. Corint. 4.

2. Tim. 2.

Ioan. 3.

Rom. 8.

quam terrena vasa sunt? Quae dominus per virgam ferream confringit, cum per iustitiae rectitudinem suam in eis carnaliter destruit, cum mentis elationem conterit, cum infirmitas propria ad memoriam reducit, & corruptionis miseria diligenter attenditur, & vitiorum fractura solerter pensatur. Quia ergo pietas summa sic nos ferit, vt regat: sic confringit, vt melius restituat, dum vasa irae commutat in vasa misericordiae, & vasa apta ad interitum facit apta ad gloriam: dicatur recte, Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Quos iam diuinus sermo alloquitur, cum subiungit: *Et nunc reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram.* Et nunc, id est, iam innouati, iam contritis luteis tegumentis carnalibus, vasis erroris, quae ad carnalem vitam pertinent. Nunc intelligite iam reges, id est, valentes regere quicquid vobis seruire & bestiale est: castigantes vestra corpora, & seruituti subiicientes. Qui caelesti regi seruiunt, reges proculdubio sunt: ipsi enim seruire verè regnare est. Nam tanto quisque liber à vitiis redditur, tanto potentius sibi spiritualiter dominatur, quanto auctori suo humiliter famulatur. *Erudimini (inquit) qui iudicatis terram.* Spirituales significantur qui terram iudicant. Inferius enim nobis est quicquid iudicamus. Quicquid autem infra spirituales homines est, merito terra nominatur: quia terrena labe sauciatur. Qui se vt peccatorem accusat proprioque iudicio condemnat, atque semetipsum duris increpationibus prosequitur, iudex terrenus non immerito vocatur. Talibus dictum est, *Intelligite & erudimini, id est, ad hoc intelligite vt erudiamini.* Non enim intellectus proficit, si vsque ad eruditionem vitae non peruenit. Ille autem eruditus intellector est, qui hoc quod intelligere valet, ad vitae suae aedificationem trahere studet. *Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Saepè nanque contingit, quia is qui caelesti domino purè deseruit, ex ipsa virtute in elationem se erigit, & tanto se mox à seruitute domini elongat, quanto à virtute humilitatis discordat. Quapropter necesse est vt sic seruiat amor, quatenus in humilitate semper animum reprimat timor: ne fructum, quem bona vita congregat, ventus elationis tollat. Vel quia in hoc seculo inter gaudium spei, & tentationis metum positi sumus: alloquitur nos Spiritus sanctus, dicens: *Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore:* vt & de spe exultatio, & de tentatione nascatur tremor. Et si enim iustorum actio quandoque prosperatur, in ea tamen vita posita est, de qua per beatum Iob dicitur, *Tentatio est vita humana super terram.* Quia igitur inter blanda versamur & aspera, inter prospera & aduersa, inter tristitiam & gaudium, inter spem & metum: dicatur recte: *Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Sed quia non sufficit bona agere, nisi & mala quisque valeat aequanimiter tolerare: adiunctum est: *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur dominus, & pereatis de via iusta.* Disciplina est emendatoria tribulatio secundum illud, *Quem enim diligit dominus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Et quia iustitia modò in prosperis, modò in aduersis agitur: in prosperis quidem timor, in aduersis verò disciplinae patientia praecipitur: ne si in illis se eleuat, in foueam elationis cadat: aut si in istis se deiciat per pusillanimitatis vitium victus pro-

Roma. 9.

1. Pet. 2.

Hier. 22.

1. Corint. 10.

Mat. 6.

Iob. 7.

Prouerb. 3.

Hebr. 12.

Apocal. 3.

ruat. Hanc verò disciplinam quisquis apprehendere negligit, à via quidem iustitiæ perit, per iniquitatis vias miserabiliter incedit: tantòque omnipotentem dominum ad iracundiam prouocat, quanto pro ipsius amore aduersa tolerare recusat. Cùm enim scriptum sit, Quia non sunt condignæ pænes huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis: & quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit dominus diligentibus se. Cùm incomparabilia bona promittat Deus, & mala minima ingerat mundus: rectè iustus dominus irasci debet, quando pro tam paruis, tam magna contemni videt. Si enim dulcedinem patriæ celestis amarent, ex magno gaudio tribulationes omnes sustinerent: cùm constet, quia ex tolerantia huius tribulationis crescat eius inestimabilis merces suauitatis. Sed adhuc apprehendèdi disciplinæ causa adiungitur, cùm subinfertur: *Cum exarserit in breui ira eius. Beati omnes qui confidunt in eo.*

Modò dum districti iudicis iradiffertur, & peccator in desiderijs anime sue laudatur: dum iustus tribulationes & angustias sustinet, quæ malorum pœna, quæ iustorum gloria sit, non apparet: hinc est, quod Ioannes Apostolus ait, Charissimi, nunc filij Dei sumus: & nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est. Tunc profectò apparebit quàm fallax huius mundi fiducia extitit, quàm transitoria vita, quàm breuis gloria, quàm parua voluptas, quàm falsa prosperitas, & quàm citò transiit quicquid hinc charum & pretiosum fuit. Ergo infelices illi, qui in talibus confisi sunt. Beati autem omnes qui confidunt in domino.

TITVLVS PSALMI III.

FERTIVS Psalmus ex persona Christi accipiendus est, tractas de passione eius, ac resurrectione. Et mittit nos ad illà historiam, in qua dicitur David fugisse à facie bellantis aduersum se filij sui Absalom. Quà historiam Hesdras propheta intelligens illa quæ in passione Christi gesta sunt, præsignasse, talem titulum præposuit, Psalmus David, cùm fugeret à facie Absalom filij sui. Qui hoc modo exponitur: iste Psalmus, id est, ista exhortatio moralitatis quæ in sequenti negotio continetur, est David, id est, Christi, qui manu fortis est. Psalmus (dico) habitus de his quæ contigerunt, cùm fugeret, id est, cùm auferendo gratiã suam recederet, à facie Absalom filij sui, id est, à mète Iudæ, quem cum alijs Apostolis gratia sua elegit ad hoc, vt filius suus esset. Bene autem pro Absalo, qui pax patris dicitur, ipse traditor Christi intelligitur: quia quãuis ipse pacem cum Christo non habuerit, tamẽ Christus ei pacẽ & ore dedit, & corde tenuit. Videt ergo dominus electos suos non solũ ab alienis, sed etiam ab amicis & parentibus propter iustitiã passuros: ad constantiam passionis eos hortari in hoc opere intendit, se ipsum proponens in exemplum: vt sicut ipse in passione sua constans fuit, & de tribulatione sua dominum inuocauit, & ipsa tribulatio ei ad gloriam & exaltationem profuit: ita ipsi considerando quòd per tribulationes exaltabuntur, & ad orationes se conuertant, & cogitantes illum esse caput & aduocatum suum, non deficiant. Sequitur de psalmo.

PSALM

PSALMVS III.

DOMINE quid multiplicati sunt qui tribulant me? & ceteri insurgunt aduersum me. Hæc inuestigatio non causa ignorantie fit, sed propter instructionem perfectorum: vt considerando finem tribulationis suæ, constantes permaneant, Tam scilicet multiplicati sunt qui insurgunt & tribulant, vt de numero discipulorum non defuerit qui ad numerum persequentium accesserit. Omnia Dei omnipotentis patientia! quos vno verbo potuit extinguere, hos ex mira mansuetudine sua dignatus est tolerare: vt per seipsum demonstraret quæ in nobis esse virtus patientiæ deberet. De se enim nobis exemplum fecit æternus conditor, vt quia sic humiliatus est cælestis Deus, desinat iam superbire terrenus homo. Sed hæc sui capitis verba retinet adhuc corpus eius, quod est Ecclesia, quæ dum tribulationibus premitur, quæ dũ aduersus se insurgere peruersos intuetur, clamat & dicit: Domine quid multiplicati sunt qui tribulāt me? Multi insurgunt aduersum me. Hoc sancti martyres clamauerunt, cùm multiplicari ecclesiæ persecutores viderunt. Hoc præsens Ecclesia clamare non cessat, quæ in tempore pacis suæ multis aduersitatibus elaborat, dum occultis hostis tentationibus agitur, dum prauè viuentiũ moribus grauatur, dum carnalium hominum apertas iniurias grauitè tolerat, & quorundam quasi iustorum sub imagine sanctitatis simulationem grauius portat, quandiu caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: & corpus quod corrumpitur agruat animam, & deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem: quandiu in hac periculosa & laboriosa vita manet, tandiu dicere anima fidelis habet: Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me. *Multi dicunt anime meæ, Non est salus ipsi in Deo eius.* Manifestum est quòd hæc dicebant, qui Christum esse Deum non credebant. Ad hoc valent illæ voces, Si filius Dei est, descendat de cruce. Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Et quoniam plerunque coaceruatione vitiorum subrepat desperatio sanitatis, tanquã ipsi vitii insultantibus animæ, vel etiam diabolo & angelis eius per noxias suggestiones, vt desperemus operantibus, verisimè dicitur: Multi dicunt anime meæ, Non est salus ipsi in deo eius. Sed quisquis nos aduersarius oppugnet, quæq; tribulatio grauet, semper dicendum est, quod sequitur: *Tu autem domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* Capitis nomine in sacro eloquio mens solet intelligi. Sicut enim a capite membra, sic sensus à mente reguntur. Tales superna bonitas libenter suscipit, quos ad suum adiutorium humiliter confugere cernit: & caput, id est, mætorem eorum dono suæ gratiæ eleuat, quos non in hoc seculo, non in seipsis sed in domino Deo suo gloriari delectat. Hinc Apostolus nos admonet, dicens: Qui gloriatur, in domino gloriatur. Si tu enim gloriaris in domino, Deus gloriatur in te. Si tu non tuã, sed eius gloriam quæris, ipse quærit quomodo te exaltet & glorificet. Hinc sancti Patriarchæ & prophætæ, hinc Apostoli & ceteri iusti viri à domino Deo exaltati & glorificati sunt, quia seipsos in

b ij

hoc seculo contemneres, gloriam domini, non suam quaesierunt. Vel hoc quod dicitur, Tu autem domine susceptor meus es: & caetera, secundum hominem dicitur: quia hominis susceptio est Verbum caro factum, gloriam quoque suam dicit domini etiam ille, quem sic suscepit Dei verbum, ut similis cum illo fieret Deus. Ex hac regula introducitur ne quis sibi de se gloriatur. Caput autem Christus in passione sua exaltatum habuit, quia in tanta passionis humilitate, mentis fortitudinem non amisit. *Voce, inquit, mea ad dominum clamaui: & exaudiuit me de monte sancto suo.* Voce sua ad dominum clamare, est intentum dominum deprecari. Voce sua clamat, cum quisquis ita intentum orat, quod sonus vocis ab intentione cordis non discrepat. Hinc egregius doctor ait, Psalmis & hymnis cum oratis dominum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Et Apostolus dicit, Psallam spiritu, psallam & mente. Tales libenter exaudit dominus, quos scilicet ita clamare conspiciunt: unde benedicitur, *Et exaudiuit me de monte sancto suo*, id est, de altitudine iustitiae suae. Legimus enim, Iustitia tua sicut montes Dei. Et iustum sic erat ut innocentem occisum, cui retributa sunt mala pro bonis, a mortuis suscitaret, & digna persequentibus retribuere. Nos quoque de monte sancto suo exaudit, quando preces nostras, non ex meritis nostris, sed ex sua sancta misericordia suscipit. Non enim digni sumus, ut audiamur: sed ipse misericors est, ut exaudiat. Hinc est quod per Apostolum dicitur. Non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit. Dicit autem ipse per quem saluati sumus. *Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi: quia dominus suscepit me.* Dormitio morientis, somnus autem mortui accipi potest: ut dormitio sit, qua transitur ad somnum: veluti est expergefactio qua transitur ad euigilationem. Bene ergo accipitur: ego dormiui, & soporatus sum. Ego me passioni permisi, & mors consecuta est. Vel tunc dormiuit Christus, quando suscepta morte a temporali dolore quieuit. Tunc soporatus est, quando die altera in sepultura moratus est: die vero tertia a mortuis resurrexit. Unde hic ait, Et exurrexi, quia dominus suscepit me. Surgens enim a mortuis, in gloria Dei patris susceptus est. Vel potest hoc dicere, quisquis fidelium recolens mortem peccatorum suorum, & donum regenerationis, *Ego dormiui*, & caetera. Dormiuimus enim, cum a bono opere torpuimus: cum in nostra prauitate delectabiliter iacuimus: cum dulce erat nobis peccare, & in eis quidem peccatis perseverare. Sed ab hoc somno mortis viuificans gratia nos euigilare fecit, cum mala nostra ad memoriam reduxit: cum dulcedinem peccatorum in amaritudinem vertit, & mentem nostram ad lamenta poenitentiae formauit, nosque in vitis torpentes, ad bona opera excitauit. Domini autem gratia commendatur, cum dicitur, Surrexi, quia dominus suscepit me. Nisi enim eius gratia susciperet, anima nostra a morte peccati minime surrexisset. Sed quia quisquis a domino suscitatur, fortis contra quosque aduersarios redditur: recte subditur. *Non timebo millia populi circumdantis me. Exurge domine, saluum me fac Deus meus.* Exurge, id est, fac me exurgere. Mos est diuinarum scripturarum personae Dei attribuire quod in nobis operatur. Unde illud est, An experimentum

mentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus? Non enim ait, Quo iubente loquor: sed prorsus ipsam locutionem illi tribuit, cuius munere loquebatur. Quia vero millenarius numerus perfectus est, per millia populi vniversa prauorum multitudo designatur. Is ergo quem Dominus suscitatur & saluat, millia populi non formidat: quia tantum omnem malorum multitudinem non timet, quantum vnum omnipotentem Deum protectorem habet. Vel si ex persona domini loquentis accipitur quod dictum est, Non timebo millia populi circumdantis me: constat quia aduersarios suos iam non timet, quia ab eis corporaliter tribulari non valet. Christus enim resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Et eo sub se inimicos suos habet, quod ad dexteram Dei patris sedenti ei tradita est potestas in caelo & in terra. Quare autem non timeat, reddit causam, cum subiungit. *Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa: dentes peccatorum contriuisisti.* Quis ignorat, quoniam sine causa aduersati sunt Christo inimici eius? Ipse enim peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Sed quia iustus Deus & misericors est, omnes aduersarios suos percussit: alios ultione vindictae ad damnationem, alios dolore poenitentiae ad salutem. Quod si per aduersantes maligni Spiritus intelliguntur, vel quique homines mali qui modo Ecclesiam Christi persequuntur: hi profecto in fine seculi a domino percutiuntur. *Dentes peccatorum contriuisisti.* Per dentes, verba maledicta designantur: de quibus per Apostolum Paulum dicitur, Si autem mordetis inuicem, videte ne ab inuicem consumamini. Possunt & dentes accipi principes peccatorum, quorum auctoritate quisque a societate recte viuentium praeciditur, & quasi male viuentibus incorporatur. Dentes ergo peccatorum dominus conterit, quando ipsos & verba eorum ad nihilum redigit. Timeant ergo aduersarii mali: quia si ipsi iniuste percutiunt, habent super se dominum, a quo iuste percutiuntur. Timeant potestates malae: quia si ipsae alios opprimunt, habent super se potestatem a qua opprimuntur. Quae autem spes nostra? *Domini (inquit) est salus, & super populum tuum benedictio tua.* Nos quidem infirmi & imbecilles: nemo de se praesumat, quoniam domini est salus, saluos faciens a morte peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Ergo Domini est salus. Sed quae est benedictio populi ipsius? nisi illa, qua dicitur, Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis preparatum est ab origine mundi. *Talis benedictio super nos & super filios nostros.*

Amen.

*

b iij

TITVLVS PSALMI IIII.

SCIENDVM est quod quibusdam negotiis ita praeponitur psalmus in titulo, ut non sequatur canticum. Quibusdam vero canticum, ut non sequatur psalmus. Aliis vero praeponitur psalmus, & sequitur canticum. Aliis autem canticum, & succedit psalmus: quae varietas attendenda est. Ubi enim psalmus tantum ponitur, designatur quod in sequenti negotio simpliciter de moralitate tractatur. Ubi autem canticum tantum, ostenditur quod de iocunditate agitur. Et ubi praecedit psalmus, & canticum sequitur, de moralitate tractatus habetur: ita tamen, ut mentio fiat de remuneratione ad quam tendit moralitas. Ubi autem praecedit canticum, & succedit psalmus, de iocunditate remunerationis fit sermo: sic tamen, ut de moralitate, per quam habetur, aliqua mentio fiat. Psalmus iste sic intitulatur, In finem psalmus cantici David. Exponitur sic: Iste psalmus cantici, id est praesens exhortatio bonae moralitatis, in qua fit mentio de cantico, id est, de iocunditate aeternae remunerationis, est David, id est, Christi, vel alicuius fidelis credentis & sperantis in Christo: David dico, dirigentis eos quos exhortatur, in finem, id est, in illum qui est finis & completio legis & prophetarum. Vel finis, id est, meta & consummatio totius agonis. Vel finis, id est, consummata quies beatitudinis. Intencio Christi vel cuiuscunque credetis in eum, in hoc psalmo est, persuadere his qui terrenis delectantur, ut egrediendo a tribulatione vitiorum, & terrena negligendo, aeterna bona qua in fine, id est, in Christo sunt, appetant: seipsum proponendo eis in exemplum, & sic dicendo.

P S A L M V S I I I I.

VM invocare exaudiuit me Deus iustitiae meae. Hoc est, cum intus in corde meo orarem, exaudiuit me ipse a quo est iustitia mea. In tribulatione dilatasti mihi. hoc est, ab angustiis tristitiae in latitudine gaudiorum me deduxisti. Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Qui autem dicit, Gaudemus in tribulationibus, sciens quoniam tribulatio patientiam operatur: & quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis: non habet cordis angustias, quavis extrinsecus a persequentibus inferantur. In hoc profunt iustis aspera tribulationia, quia dum tribulantur in corpore, dilatantur in corde & quo eos arctius mala temporalia premunt, eo latius bona caelestia concupiscunt. Quia ergo ex angustiis tribulationis crescit dilatatio mentis, dicitur recte, in tribulatione dilatasti mihi. Mutatio autem personae tertiae ad secundam, forte ideo fit, ut ostendat quemadmodum exauditus sit, in ipsa dilatatione loquens Deo: ut hoc sit corde dilatari, iam cordi habere infusum Deum, cum quo intrinsecus colloquatur: cui nunc orat & dicit, Misere mei, & exaudi orationem meam. Quod iterum rogat, cum iam se exauditus & dilatatum indicauerit, forte ideo fit: ut unde non est exauditus, adhuc exaudiatur: aut in quo non est perfectus, perficiatur: aut propter alios inchoantes in illis qui crediderint perficiatur quod inchoauerunt. Habent enim iusti proprium, ut in omne quod dicunt, atque quod agunt non solum suum profectum, sed etiam proximorum aedificationem quaerant. Unde apte subiungitur. Filij hominum usquequo graui corde? ut quid diligitis vanitatem, & quaeritis mendacium? Ac si diceret, Vos qui in carnali generatione mente habitatis, usquequo ad quem finem cor durum habetis, quod Deo non creditis,

credit, & bona inuisibilia non cogitatis? Ut quid diligitis vanitatem & quaeritis mendacium? Quo fructu, qua utilitate temporalia amando quaeritis, quaerendo amatis quae vana sunt, quia durare non possunt: & mendacia, quia amatores suos decipiunt? Et scitote quoniam mirificauit dominus factum suum. Eum scilicet, quem suscitauit ab inferis, & in caelo ad dexteram suam collocauit. Increpatur ergo genus humanum, ut ad eum tandem ab huius mundi amore conuertatur. Sed si quem mouet coniunctio superaddita, quod ait, Et scitote, sciat genus huius locutionis familiare esse linguae prophetantis. Nam saepe inuenis ita ceptum, Et dixit dominus ad illum: Et factum est verbum domini ad illum. Quae iunctura coniunctionis cum sententia non praecesserit, cui consequens annectatur: mirabiliter fortassis insinuat prolationem veritatis in voce, esse coniunctam cum ea visione quae fit in corde. Dominus exaudiet me, cum clamaero ad eum. Hic nos admoneri credo, ut magna intentione cordis auxilium imploremus: Deum quoniam sicut gratulandum est de illuminatione in hac vita, ita orandum est pro requie post hanc vitam. Quapropter aut ex persona fidelis euangelizantis, aut ex ipsius domini sic accipiendum est, ac si dictum esset, Dominus exaudiet vos, cum clamaueritis ad eum. Irascimini, & nolite peccare: Occurrebat enim, Quis est dignus exaudiri? Aut quomodo non frustra clamat peccator ad Dominum? Ergo, Irascimini, inquit, subaudis, vobis ipsis, valde poenitendo de praeteritis criminibus, & indignando, quod ad tam abiecta & vilia corruistis: & ulterius peccare desinite. Quae dicitur in cordibus vestris. Subaudis, dicite. Nolite esse populus, de quo dictum est, Labijs me honorat, Cor autem eorum longe est a me. In cubilibus vestris compungimini. Cubilia sunt de quibus dominus monet, ut intus oremus clausis ollijs. Compungimini autem ad poenitentiae dolorem refertur, ut seipsam anima puniens compungat, ne in Dei iudicio damnata torqueatur. Aut ad exercitationem pertinet, ut euigilemus ad videntiam lucem Christi, tanquam adhibitis stimulis, Sacrificate sacrificium iustitiae, & sperate in domino. Sacrificium iustitiae, opera iusti sunt post poenitentiam. Quid enim iustius, quam ut suis quisque peccatis irascatur potius quam alienis, seque ipsum puniens mactet Deo? Insinuat etiam transitum de vita veteri ad nouam: ut extincto post poenitentiam veteri homine, sacrificium iustitiae secundum regenerationem noui hominis offeratur Deo: cum seipsam iam anima offert & imponit in altari fidei, diuino igne, id est, Spiritu sancto comprehendenda: ut iste sit sensus, Sacrificate sacrificium iustitiae, & sperate in domino. id est, Recte viuite, & sperate donum Spiritus sancti. Sperantur autem quid nisi bona? Sed quia id bonum vult a Deo impetrare quod diligit, & pauci sunt qui diligant interiora bona: admirabiliter cum dixisset, Et sperate in domino: subiicit, Multi dicunt, Quis ostendit nobis bona? Quae interrogatio quotidiana est omnium stultorum & iniquorum, pacem & securitatem praesentis vitae desiderantium, de futura vita, quae nobis promittitur, dubitantium: qui saepe dicunt, Quis nouit, si vera sunt? Aut quis venit ab inferis, ut ista renunciaret?

Magnificè ergo & breuiter ostendit, quæ bona quærenda sūt: respondens eorum interrogationi. *Signatum est super nos lumen vultus tui domine.* Hoc lumen est totum hominis bonum, quod non oculis sed mente conspicitur. Signatum est autem, dixit, super nos: tanquam denarius signatur Regis imagine. Homo enim factus est ad imaginem & similitudinem Dei, quam peccando corrumpit. Bonum ergo eius est verum atque æternum, si renascendo signetur. *Dedisti lætitiā in corde meo.* Non ergo foris quærenda est lætitia ab his, qui adhuc graues corde diligunt vanitatem, & quærunt mendacium: sed interius vbi signatum est lumen vultus Dei. In interiore enim homine habitat Christus. Sed homines temporalia sectantes, nihil aliud nouerunt dicere, nisi, Quis ostendit nobis bona? cū vera bona intra semetiplos videre non possunt. Ita que consequenter de his dicitur, *A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt.* Non vacat quod additum est, *Sui,* est enim frumentum Dei: si quidem panis viuus, qui de cælo descendit. Et est vinum Dei: nam inebriantur (inquit) ab vbertate domus tuæ. Est & oleum, de quo dictum est: *Impinguasti in oleo caput meum.* Isti autē multi qui dicunt, Quis ostendit nobis bona? à fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt. *Sui,* non Dei, id est, temporalis non spiritualis. Istis autem relictis, qui multiplicati sunt cupiditate temporalium, vir fidelis exultat, & dicit: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Rectè enim speratur à talibus omnimoda mentis alienatio à mortalibus rebus, & miseriarum seculi huius obliuio, quæ nomine dormitionis & somni decenter & propheticè significatur. Sed hoc non tenetur in hac vita, imò sperandum est in futura. Hoc & verba ostendunt, quæ futuri temporis sunt. *Quoniam tu domine singulariter in spe constituisti me.* Bene ait, Singulariter. Perit enim supradicta multiplicitas, & tenet in sanctis singularitas: de quibus dicitur in Actibus Apostolorum, Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Singulares ergo & simplices, id est, secreti à multitudine & turba nascentium rerum esse debemus, & amatores æternitatis & vnitatis: si vni Deo & domino inhærere cupimus.

Mat. 22.
Gen. 1.
Ioan. 2.
Ephes. 3.
Ioan. 12.
Ioan. 6.
Psal. 35.
Psal. 22.

Acto. 4.

TITVLVS PSALMI V.

TITVLVS Psalmi est, Pro ea quæ hereditatem accipit. *Intelligitur Ecclesia, quæ accipit hereditatem, id est, vitam æternam per dominum Iesum: ut possideat ipsum, & ab ipso possideatur. Intentio eiusdem Ecclesie est in hoc psalmo, Omnes fideles orando, & bene operando inuitare ad hereditatem æternæ beatitudinis, seipsam proponendo in exemplum, & orando sic.*

PSALMVS V.

VERBA mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum. Vocata Ecclesia inuocat Deum, vt (eo opitulante) pertranseat nequitiam seculi huius, & ad eum perueniat. Quæ autem sunt aures diuinitatis, nisi pietas eius & misericordia, quibus nos



nos audire dignatur? Ipsius quoque est intelligere clamorem nostrum, attendere & approbare nostri cordis desiderium. Verba nostra Dominus quasi auribus percipit, quando nostras preces pie & misericorditer suscipit. Et bene post verba clamor adiungitur: quia tunc placent Deo verba nostre deprecationis, quando procedunt ex desiderio cordis. Hinc per Apostolum dicitur, *Psallam spiritu, psallam & mente.* Sed quia non sufficit, vt verba nostra audiat Deus, & clamorem intelligat nisi ad effectum perducat: rectè subiungitur, *Intende voci orationis meæ, rex meus & Deus meus.* Ac si diceret: Sic audi verba, sic intellige desideria, vt probet rei effectus te intentum esse meis orationibus. Et quia sanctæ Ecclesiæ oratio per filium mittitur ad patrem, aptè ait, Rex meus & Deus meus. Per regem enim Filiū: per Deum, Patrem designat. Et Filius ait, Per me itur ad Patrem. Rectè ergo primo rex meus, deinde Deus meus. Nec tamen dixit, Intendite, sed Intende: quia Pater & Filius non duo Dij, sed vnus est Deus. Causam quoque subiungit, quare exaudiendā sit, cū subinfertur, *Quoniam ad te orabo domine.* Et protinus adiungit, *Mane exaudies vocem meam.* &c. Quid est quod superius dixit Exaudi, quasi in presentī se exaudiri cūperet: nunc verò dicit, Mane exaudies, non exaudi: &, Ad te orabo, &, Ad stabo, & Videbo: Fortè superior eius oratio ipsam vocationem ostendit. Caligans autem inter procellas huius seculi, quia sentit se non videre quod cupit: ideo dicit, *Mane exaudies.* Ac si diceret, Non es ille qui possis videri ab eis, à quorum oculis nox peccatorum nondum recessit: sed mane, id est peracta erroris mei nocte, & discedentibus peccatorum tenebris, Exaudies vocem meam: id est, ostendes vocem meam exauditam. *Mane astabo tibi & videbo.* Astabo, inquit, non iacebo. Iacere enim, in terrenis quiescere est. Non est ergo inhærendum terrenis, si volumus Deum videre. Et exponit causam quare mane astabit & videbit: *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Iniquitas, malignitas, mendacium, homicidium, dolus & quicquid huiusmodi est, nox est: qua transeunte fit mane, vt videatur Deus. Nos quandiu in hoc seculo inter tentationes sumus, in peccatorum tenebris iacemus: Nec verum statim habemus, nec veraciter videmus. Veraciter enim stare, est in æternitatis beatitudine permanere: & verum videre, est Deum in sua maiestate contemplari. Sed ille qui veraciter est, & incommutabilis manet, Apud quem (vt Iacobus ait) non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, quoniam non est Deus qui iniquitatem velit: ideo in hoc seculo vbi iniquitas abundat, seipsum non ostendit. Sed quia futurum est, vt nox huius iniquitatis pertranseat, & mane, id est in resurrectione electos suos ad immortalitatis statum & suæ contemplationis visum restituat: voce Ecclesiæ dicatur rectè, Mane astabo tibi & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Quia verò in collectione iustorum reprobatio fiet impiorum, rectè subiungitur: *Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.* Malignus quasi malo igne plenus dicitur. Maligni ergo nomine numerus infidelium designari potest, qui dum in infidelitatis errore persistunt, malignitate sua bonum ignem gratiæ spir

1. Corin. 14.
Matth. 6.
Ioan. 11.
Matth. 21.
Zacha. 9.
Ioan. 14.
1. Ioan. 5.
Ioan. 10.
Ioan. 9.
Ioan. 3.
1. Ioan. 2.
Rom. 6.
2. Pet. 2.
Rom. 13.
Ioan. 8.
1. Corin. 13.
1. Ioan. 3.
Ioan. 14.
Exod. 3.
Malach. 3.
Iacob. 1.
Matth. 24.
1. Ioan. 2.
Matth. 25.

spiritualis contemnunt. Iniusti autem sunt qui à bono opere torpescunt. Iuxta dominum ergo malignus non habitabit, quia tanto tunc ab auctore iustitiæ infidelium numerus elongatur, quanto nunc à iustitia fidei disiungitur. Iniusti quoque ante eius oculos tunc permanere non valent, quia nunc, videlicet in operibus tenebrarum, perdurare non timent. Adhuc etiam de reprobis subditur: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Perdes omnes qui non solum operantur quæ odisti, sed etiam loquuntur mendacium, falsam iustitiam præterendo, nec in pœnitentia confitendo peccata. Non perdes autem, si pœnitendo veritatem loquuntur, ut faciendo istam veritatem veniant ad lucem. Per operantes iniquitatem designantur hi, qui non solum bona non faciunt, sed etiam peruersè viuunt. Quos omnipotens Deus odit, id est, odio suo dignos ostendit: & quia eos in iustitiæ suæ regula non cognoscit, à suo amore repulsos in æternum punit. Per loquentes verò mendacium, hæretici non immeritò possunt intelligi, qui sua falsitate veritatem fidei conantur destruere: quos districtus iudex cum reprobis perdet. Quia sicut illi damnantur ex prauo opere, ita hi quoque damnandi sunt ex praua locutione. Vel hoc modo potest exponi: Perdes omnes qui loquuntur mendacium: id est, veritati contrarium: quod recedentes ab eo quod est, ad id quod non est, declinant. Vnde Apostolus ait, *Qui dicit se in Christo manere, & mandata eius non custodit, mēdax est.* Duo sunt genera mēdaciōrum, in quibus non est magna culpa, nec tamen sunt sine culpa: Cùm nos aut iocamur, aut ut proximus mentimur. Illud primū in iocādo non est perniciosum, quia nō fallit. Nouit enim ille cui dicitur, ioci causa esse dictum. Secundum autem ideo mitius est, quia retinet nonnullam beneuolentiam. Illud verò quod fallere intendit mendacium, est quod animam occidit: sicut scriptum est, *Os quod mentitur, occidit animam.* Sed iam mutatio personæ fit, cùm subditur, *Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Vnus quippe prophetarum est, frequenter personas mutare: ut modò Deo, modò hominibus, modò capiti, modò mēbris loquantur. Loquuntur enim Deo, tanquā ei à quo accipiunt quod prophetant. Loquuntur hominibus, tanquam eis quibus prophetant. Et modò de capite ad membra, modò de membris ad caput vocem mutant: in quo vnitatem capitis & membrorum nobis insinuant. Per virum sanguinum, persecutores sanctorum martyrum designantur. Dolosi verò sunt, hi qui fideles animas verbis seductoriis decipere cupiunt, quos abominabitur Dominus, id est, ab hæreditate electorum separabit. Quia ergo illi suis malis meritis damnandi sunt, Ecclesia verò per domini misericordiam saluanda est: bene subiungit, *Ego autem in multitudine misericordie tuæ introibo in domū tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Domus Dei ipsa est sancta Ecclesia, quæ regnatura in cælo, adhuc laborat in terra: quæ cōstruitur ex fidelibus, tanquā ex viuis lapidibus: quibus Petrus ait, *Et vos tanquā lapides viui superædificamini.* Et Paulus ait, *Dei agricultura, Dei ædificatio estis.* Huius cælestis domus ædificiū ingreditur, quisquis in sancta Ecclesia sanctorum mores imitatur

tatur. Hoc spirituale ædificiū intrare, est sancti viri qualiter proficiūt amādo conspiciere. Sed quia hoc nemo suis viribus valet, ideo rectè dicitur, *In multitudine misericordie tuæ.* Multa quidem est Dei misericordia, quia (ut Paulus ait) *Vbi abundauit peccatum, superabundat gratia.* In misericordia sua pius dominus nos à peccatis liberat, sed in abundantiori misericordia nobis etiam dona gratiæ spiritualis præstat. In misericordia sua nos ab æternis supplicijs eruit, sed in multitudine misericordie suæ nos etiam ad supernæ patriæ domum reduxit. Quis diuinæ misericordie viscera pensare valeat, quæ ut nobis vitam redderet, homo fieri, & mortem suscipere voluit: dicatur ergo: *Ego autem in multitudine misericordie tuæ introibo in domum tuam.* Sancta Ecclesia ideo domus dicitur, quia ab omnipotente domino inhabitatur. Ideo templum appellatur, quia ab ipso domino consecratur. Vel templum ideo vocatur, quia in eo continuè cælesti domino laudes referuntur. Ait ergo, *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore.* Quia non ait in templo, sed ad templum, intelligendum est non de perfectione, sed de profectu ad perfectionem esse dictum. Et fortasse ideo addidit, *in timore tuo: quia principium sapientiæ timor domini.* Qui timet dominum faciet bona. Et in alio psalmo dicitur, *Beatus vir qui timet dominum, in mandatis eius volens nimis.* Et iterum, *Seruite domino in timore.* Et quia hoc viribus suis non valet, ideo adiungit, *Domine deduc me in iustitia tua propter inimicos meos: dirige in conspectu tuo viam meam.* Inimici mei volunt me seducere, & ad iniustitiam deuiare: Tu domine, qui es creator meus, esto dux meus. Tu enim fecisti nos, & non ipsi nos. Tu rege nos, & non ipsi nos. Postquam autem dixit, *Deduc me in iustitia,* non immeritò addidit, *Tua:* ac si aperte diceret, *Per temetipsum data.* Nam per sanctos prophetas & famulos suos secundum distributionem temporum dedit minora præcepta populo quem adhuc timore alligari oportebat: per filium suum maiora populo, quem charitate iam liberare conuenerat. Nec mirum est quod dantur maiora præcepta propter regnum cælorum, & minora data sunt propter regnum terrenum, ab eodem Deo viuo qui fecit cælum & terram, qui solus nouit congruentem suis temporibus generi humano exhibere medicinam. De hac sua iustitia nos admonet in Euangelio dicens, *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Phariseorum.* Id est nisi non solum illa minora præcepta legis impleueritis, quæ inchoant homines, sed etiam ista quæ à me adduntur (qui non veni soluere legem, sed adimplere) non intrabitis in regnum cælorum. Audiamus minorem iustitiam. Audistis (inquit) quia dictum est, *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Audiamus maiorem. Ego dico vobis, non resistere malo. Iustitia minor est non excedere in vindicta modum, ne plus rependat quisque quam accipit: & magnus hic gradus est. Nemo enim inuenitur, qui pugno accepto pugnum tantum reddere velit: & vno à conuiciante verbo audito, vnum, si tantundem valeat referre, contentus sit. Sed siue ira perturbatus immoderatiùs vindicat: siue quia iustum putat eum qui læsit prior grauiùs lædi, quam læsus est qui non læserat.

Talem

Eccles. 17.

1. Ioan. 1.

Eccles. 12.

Math. 25.

1. Ioan. 2.

Sapient. 1.

1. Pet. 2.

1. Corin. 3.

Rom. 5.

Ioan. 1.

Philip. 2.

Math. 7.

2. Paral. 8.

Psal. 67.

Psal. 110.

Pro. 1. 2. 9.

Eccles. 1.

Eccles. 15.

Psal. 111.

Deut. 32.

Psal. 94.

Math. 5.

Math. 5.

Deut. 19.

Math. 5.

Talem animum magna ex parte refrenauit lex, in qua dicitur, Oculum pro oculo, & cetera. Quibus nominibus significatur modus, vt iniuriam vindicta non transeat: & hæc est pacis inchoatio. Perfecta autem pax est, talem penitus nolle vindictam. Inter illud ergo primum quod præter legem est, vt maius malum pro minore malo reddatur: & hoc quod dominus perficiendis discipulis dicit, ne malo resistatur: medium locum tenet, vt tantum reddatur, quantum acceptum est: per quod à summa discordia ad summam concordiam pro temporum distributione transitus factus est. Parum autem adhuc videtur domino, si pro malo quod acceperis, nihil rependas mali, nisi etiam amplius sis paratus accipere. Hoc est quod consequenter exponit, Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei & alteram. Sed quid est quod ipse dominus, qui præcepta quæ docuit, primus ipse impleuit, percutienti se in maxillam ministro sacerdotis non præbuit alteram: sed insuper dixit, Si malè loquutus sum, exprobra de malo: Si autem bene, cur me cædis? nisi hoc præceptum debere intelligi ad præparationem cordis, non ad ostensionem operis? Vnde alibi vir sanctus dicit: Paratum cor meum Deus. Dicatur ergo, Domine deduc me in iustitia tua propter inimicos meos. Cuius iustitiæ viam postulat, cum subiungit, Dirige in conspectu tuo viam meam. Aliud est iustitia, aliud est via. Nam iustitia est doctrina Christi, via est ipse Christus. Iustitiam ostendit prædicando, viam operando. Vnde scriptum est, Quæ cepit Iesus facere & docere. Recta quippe actio non virtus est, sed via virtutis. Nam per actionem venit ad virtutem. Fides enim quæ per dilectionem operatur, impetrat gratiam. Et gratia Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, implet iustitiam. Ego (inquit dominus) sum via, veritas, & vita. Viam intelligite Christum operantem; veritatem, Christum docentem, vitam Christum remunerantem. Via ducit ad veritatem, quia per viam venit ad doctrinam; doctrina autem veritatis ducit ad vitam, quia cum impletur quod præcipitur, acquiritur vita quæ promittitur. Bene autem ait, Propter inimicos meos. Multos enim in via Dei sancta Ecclesia patitur aduersarios, qui premunt eam persequendo, terrendo, blandiendo, seducendo: qui quantum à via veritatis discordent, ex verbis ostenditur, quæ subsequuntur: *Quoniam non est in ore eorum veritas.* Et hoc approbat, cum adiungit: *Cor eorum vanum est.* Nam quomodo est veritas in ore, si vanitas est in corde? Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona, & malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala. Ex abundantia enim cordis os loquitur: De quibus adhuc rectè subiunctum est, *Sepulchrum patens guttur eorum, linguis suis dolose agebant, iudica illos Deus.* Adulatores & seductores rectè sepulchra patenti dicti sunt, qui non habendo vitam veritatis, quodammodo exanimis sunt, & mortuos in se recipiunt, quos verbis mendacibus & vano corde interemptos in se conuertunt. Quod dixit linguis suis, significat malis. Mali enim malas habent linguas: Dolose vero agere, est aliud in corde, aliud in ore habere. Vnde in alio psalmo dicitur, Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Eos omnipotens Deus iudicat.

quia

quia omnes inimicos falsos, dolosos in extremo examine condemnat: de quibus adhuc subiungit: *Decidant à cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos.* Prophetia est, non maledictio. Non enim optat vt veniat, sed prædicat quod futurum præuidit. A cogitationibus suis decidunt, quia quicquid elatè cogitauerunt, cum intereunt, sine fructu amittunt. Superbia verò ruinam habet, sicut e contrario humilitas exaltationem. Dicitur alibi: In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Quæ utique non perirent, si cælestia cogitarent. Testatur enim idem Psalmista, Quoniam sunt reliquæ homini pacifico. Iniusti autem disperibunt simul, reliquæ impiorum interibunt. Cogitationes ergo impiorum peribunt, quia æterna mala nunquam cogitata reperiunt: & subito amittunt bona temporalia, quæ diu mente tractauerunt. Qui secundum multitudinem impietatum suarum expellentur, quia propter multa mala quæ gesserunt, & ab æterna hæreditate expellentur, & in tenebras exteriores eiicientur. Bene autem subditur: *Quoniam irritauerunt te domine.* Neque enim quia peccauerunt, ideo perirent, nisi perseuerando in malo dominum irritarent. Nam superna pietas postquam deliquimus, ad pœnitentiam reuocat, & diu expectat. Non enim vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Quod si conuerti negligit, & tempus gratiæ in augmentum expendit culpæ, quem pœnitendo placare debuit, eum plus irritando, id est ad iracundiam prouocando, grauiter offendit. Vnde Paulus ait: Tu autem secundum duritiam tuam & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Nam tanto eum tunc districtus iudex acrius damnat, quanto nunc misericordius expectat. Sed quid erit de iustis? Sequitur & dicit: *Et latentur omnes qui sperant in te.* Primum quidem iustorum gaudiū est in spe: vnde dicitur, Spe gaudentes. Spe enim salui facti sumus. Postmodum verò erit in re. Vnde hic secutus adiungit, *In æternum exultabunt & habitabis in eis.* Ipsa erit æterna exultatio, cum templum Dei fient iusti, & erit gaudium ipse incola eorum. *Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum,* Et bene, in te, tanquam omnes possidentes hæreditatem te. *Quoniam tu benedices iusto.* Hæc est benedictio gloriari in Deo, & habitari à Deo. Et quia vocatio non meritorum nostrorum, sed beniuolentiæ & misericordiæ Dei est: subiicit dicens, *Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Bona enim voluntas Dei præcedit bonam voluntatem nostram, peccatorem vocans in pœnitentiam. Et ipsa bona voluntas est inuictissimum scutum, quo repellitur inimicus desperationē salutis suggerens multitudine tribulationum & tentationum. Deus enim operatur & velle & perficere in nobis, pro bona voluntate. Non enim ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.

*

c

Exo. 21.
Deut. 19.
Leuit. 24.

Matth. 5.

Act. 1.
Ioan. 16.

Isal. 36.

Ioan. 14.
Acto. 1.Gal. 5.
Roma. 5.

Ioan. 14.

Matth. 12.

Psal. 27.

Matth. 12.
Matth. 25.Iaco. 4.
Psal. 145.

Psal. 36.

Matth. 8.

Iob. 2.
Ezech. 18.
Luc. 15.
Rom. 9.

Roma. 2.

Rom. 12.
Rom. 8.

Ioan. 14.

Matth. 4.
Ephes. 6.
Philip. 2.

Tit. 3.

RVFFINI PRESB. IN
TITVLVS PSALMI VI.

SEXTVS Psalmus sic intitulatur, Psalmus David pro octava: Per octauā dies iudicij intelligitur: quoniam omnia tempora septē dierū repetitione voluntur. Quod fit in una, potest mutari in alia. Octauus autē ille estimāndus est, qui varietatem istam non habebit. Et quod in eo fiet, aeternū & incommutabile permanebit. Est autem vox in hoc psalmo fidelis penitentis, alios exemplo suo exhortantis, ut similiter peniteant: ne in octava, id est extrema die iudicij, aeternam damnationem incurrant.

PSALMVS VI.

DOMINE, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Deus qui est incommutabilis natura, apud quē (vt Apostolus ait) non est transmutatio, nec vicissitudinis obūbratio: de quo dictū est, Tu autem Domine virtutum, cum tranquillitate iudicas: nullam in se furoris vel iræ perturbationem suscipit: sed furoris nomine intelligitur illa immensa & immoderata animaduērsio vindictæ, qua peccatores puniuntur in extremo examine. Ira verò potest intelligi examinatio illa, qua imperfectæ animæ emundatur in purgatorio igne. Bene autem dicitur, Ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me: Nam corripas, quod mitius videtur, ad emendationem valet: qui verò arguitur, id est accusatur, metuendum est ne in finem habeat damnationem. Arguuntur in die iudicij omnes qui non habent fundamentum Christum. Emendantur autem, id est purgatur, qui huic fundamento superædificant ligna, scænum, stipulam, id est infructuosa, vana, inutilia. Detrimentum quidem patientur, sed tamen salui erunt: sic tamen quasi per ignem. Quid ergo iste orat, qui non vult furore domini argui, vel ira emendari? quid, nisi vt fanetur? Vbi enim sanitas est, nec mors metuenda est, nec curantis aut secantis medici manus. Sequitur itaque & dicit: *Miserere mei domine, quoniam infirmus sum.* Multæ sunt infirmitates nostræ corporis & animæ. Nam corpus mortalitate corrumpitur, anima tentationibus premitur. Infelix homo multis tentationibus & miseris fatigatur. Qui ergo sentit miseriam, quid tam postulare debet, quàm misericordiam? Qui sentit infirmitatem, quid tam desiderare debet, quàm sanitatem? Restat itaque vt dicat: *Sana me domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.* Quid per ossa nisi animæ fortia designantur? Nam ne ossa carnis intelligeres, exposuit, cum subiungit: *Et anima mea turbata est valde.* Turbatur quidem interiores sensus à consideratione proprii reatus, ipsa quoque infirma & peccatrix anima, cum subtilitatem extremi examinis cogitando conspicit, ab omni interiore fortitudine destituta, in semetipsa contremiscit. Videt enim ibi damnari quicquid inuentum fuerit prauis operis, vel ociosi sermonis, & silentij, vsque ad minimam cogitationem, si non fuerit ad Dei voluntatem directum. Hinc est vrens conscientia, illinc accusantia peccata, inde terrens iustitia: subtus patens horridum chaos inferni, & tortores horribiles: desuper iratus iudex, foris

Malach. 3.
Iaco. 1.

Sapient. 12.

Math. 25.
1. Corint. 13.

Math. 5.
Ioan. 3.

1. Corint. 3.

Num. 31.
Isa. 1. 4.

Ezech. 22.

Malach. 3.

Mat. 3. 12.

Apoc. 5.

Iob. 1. 4.

2. Mach. 12.

Math. 9.

Ephes. 6.

1. Ioan. 2.

Math. 12.

PSALMVM VI. COMMENT.

14

foris ardens mundus. Iustus vix saluabitur, peccator vbi parebit? Plangat iterū & gemat, ne tanta tormēta incurrat. Timet iustitiam, quærat misericordiam. Non habet fortitudinem, vel agnoscat propriam infirmitatem, & dicat: Miserere mei domine, quoniam infirmus sum, & cetera. Magnus enim accessus ad Deum, est cognitio infelicitatis suæ. De tarditate autem sanitatis conqueritur, cum subiungit, *Et tu domine vsquequo?* Ecce iuxta est dies domini magnus, iuxta & velox nimis dies iræ dies illa, dies calamitatis & miseræ, dies tenebrarum & caliginis, dies tubæ & clangoris. O vox diei domini amara! Ecce peccatrix anima, arbor infructuosa, digna securi & igne: lignum aridum & inutile. Timor reum turbat, conscientia confundit, cogitationes increpant, fugere non licet. Stat suspensus ad grauissimam sententiam. Ecce miser in angusto periculo egens festino auxilio, *Et tu domine vsquequo tardaris? vsquequo non exaudis?* Nec in hoc tanquam crudelis Deus estimandus est: sed tanquam bonus persuasor animæ quid mali sibi ipsa peperit. Differt enim pius dominus exaudire multotiens ex sua magna misericordia, vt ex difficultate sanationis sit diligentior custodia receptæ sanitatis. Nam quod facile sanatur non multum cauetur. Differt aliquando, vt agnoscat quanta impiis pœna præparetur, qui se nolunt conuertere ad Deum, si tantam difficultatem conuertētes patiuntur: sicut alibi scriptum est, *Si iustus vix saluabitur, peccator & impius vbi parebunt?* Et quia differt, ideo adiungit: *Conuertere domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.* Conuertens se, orat vt ad eum conuertatur & Deus: sicut ipse promittit, *Conuertimini ad me & ego reuertar ad vos.* Sed forte melius intelligendum est, *Conuertere domine, id est fac me conuerti.* Sentit enim in ipsa sua conuersione difficultatem. Nam perfecta nostra cōuersio paratum semper inuenit Deum, sicut propheta Osee dicit: *Quasi diluculum præparatus est egressus eius: Quoniam vt eum amitteremus, non eius absentia, qui vbique est, sed nostra fecit auersio.* Dum autem nos cōuertimur, id est dum mutatione veteris vitæ resculpimur, spiritum nostrum durum sentimus & laboriosum, à terrenarum cupiditatū caligine ad serenitatem diuinæ lucis retorqueri. Et in tali difficultate dicimus, *Conuertere domine, id est, adiuua nos, vt perficiatur in nobis conuersio, quæ te paratū inuenit, & fruendum te præbet dilectoribus tuis.* Et ideo postquā dixit, *Conuertere domine: addidit, Et eripe animam meam: tanquam inharrentem perplexionibus huius seculi, & spinas quasdam dilacerantium desideriorum in ipsa conuersione patiētem.* *Saluum me fac* (inquit) *propter misericordiam tuam.* Intelligit non suorum meritorum esse, quod sanatur: quando quidem peccanti & datum præceptum prætereunti, iusta damnatio debebatur. *Sana me, inquit, ergo: non propter meum meritum, sed propter misericordiam tuam.* *Quonia non est in morte qui memor sit tui.* Intelligit quoque nunc esse tempus cōuersionis: quoniam cum vita ista transierit, non restat nisi retributio meritorum. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Confessus est tamen in inferno diues ille, (de quo dominus dicit) qui Lazarum vidit in requie, se autem in tormentis dolebat, vsque adeo confessus, vt etiam in inferno suos vellent, vt

1. Pet. 4.

Sophont. 1.

Math. 3.
& 7.

Math. 15.

1. Pet. 4.

Zacha. 1.

Osee. 6.

Ierem. 23.

Luc. 16.

se à peccatis cohiberent, propter pœnas quas apud inferos esse non credunt. Quid est ergo, *In inferno autem quis confitebitur tibi?* An infernum vult intelligi, quò post iudicium præcipitantur impij, vbi iam propter profundiores tenebras nullam lucem Dei videbunt, cui aliquid confiteatur? Potest etiam illud intelligi, vt mortè vocet peccatum quod contempta diuina lege committitur: infernum verò cæcitatē animi, quæ peccantem, id est, moriētē excipit & inuoluit. Sicut non probauerūt Deum (inquit) habere in notitia, dedit illos in reprobū sensum. Ab ista morte & ab isto inferno tutam se fieri anima deprecatur, dum molitur cōuersionem ad Deū, & patitur difficultatem. Quapropter contexit dicens: *Laboravi in gemitu meo.* Et tāquam parum profuerit, addit: & dicit, *Lauabo per singulas noctes lectum meum.* Lectus est hoc loco appellatus, vbi requiescit animus æger & infirmus, id est, in voluptate corporis & delectatione seculari: quam delectationem lachrymis lauat, qui sese conatur ab illa extrahere. Videt enim iam dānare se carnales concupiscentias, & tamen delectatione tenetur infirmitas, & in ea libenter iacet: vnde surgere nisi sanatus animus non potest. Quod autem ait, *Per singulas noctes:* hoc fortasse accipi voluit, quod ille q̄ spiritu p̄optus sentit aliquā lucē veritatis, & tamē in delectatione huius seculi per carnis infirmitatem aliquādo requiescit, tāquam dies & noctes alterno affectu cogitur pati, vt cum dicit, *Mente seruo legi Dei, tanquam diem sentiat:* rursus cum dicit, *Carne autem legi peccati, inclinatur in noctem, donec omnis nox transeat, & veniat vnus dies de quo dicitur: Mane adstabo tibi & videbo.* Tunc enim adstabit, nunc autem iacet, quando in lecto est: quem lauabit per singulas noctes, vt tantis lachrymis impetret efficacissimam Dei misericordiæ disciplinam. *Lachrymis meis stratum meum rigabo.* Hoc accipimus stratum, quod superius lectum. Sed rigare amplius est quàm lauare: quoniam potest aliquid in superficie lauari, rigatio verò ad interiora permanat: quod significat fletum vique ad cordis intima. Temporum verò varietas quod præteritum posuit, cum diceret, *Laboravi in gemitu meo:* & futurum, cum diceret, *lachrymis meis stratum meum rigabo:* illud ostendit quid sibi dicere debeat, cum quisq; in gemitu frustra laborauerit: tanquā diceret, *Non profuit, cū hoc feci: vel ergo illud faciā.* Vnde & sequitur: *Turbatus est à furore oculus meus.* Vtrū suo furore an Dei, in quo petit ne argueretur? Sed si furor ille diē iudicij significat quomodo nūc potest intelligi? An inchoatio eius est, quòd hīc homines dolores & tormēta patiuntur, & maximè damnū intelligēdæ veritatis: sicut iā cōmemorauī, q̄ dictum est, *Dedit illos Deus in reprobū sensum?* Nam ea est cæcitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiori luce Dei secluditur: sed nōdum penitus, cum in hac vita est. Sunt enim tenebrę exteriores quæ magis ad diē iudicij pertinere intelliguntur: vt penitus extra Deum sit, quisquis, dum tēpus est, corrigi nōluit: penitus autē esse extra Deum, quid est, nisi in summa esse cæcitate? Siquidē Deus habitat lucē inaccessibile, quò ingrediuntur, quibus dicitur, *Intra in gaudiū domini tui.* Huius ergo irē inchoatio, est cæcitas mētis, quā in hac vita patitur quisque peccator. Timens itaque iudicij diem, laborat & plangit, ne ad illud perducatur, cuius

initium

initium tam perniciosum nunc experitur. Et ideo nō dicit extinctus est, sed turbatus est à furore oculus meus. Potest quoque furoris nomine imminens animi feror intelligi, quò penitens sibi metipso soler irasci. Vnde scriptum est, *Irascimini, & nolite peccare.* Bene autem non extinctus, sed turbatus oculus dicitur: nam furor qui per odium fit, oculū mētis ex cæcat: furor verò qui fit per zelum non ex cæcat, sed turbat. Sed vnde dolore penitentiæ ad tēpus turbatur, inde postmodum consolatione gratiæ melius illustratur. Consideratis autem reliquis vitiis, inuenit se omnibus esse vallatū. Quæ vitia quoniam veteris vitæ sunt, & veteris hominis, quò exuendi sumus, vt in diuina nouo: recte dicitur: *Inuenerunt inter omnes inimicos meos.* Vel inter ipsa vitia, vel inter homines, qui nōlūt ad Deum conuerti. Nam & hī etiam si non seuiunt, etiam si parcunt, etiam si eisdem conuiuuiis & domibus & ciuitatibus nulla lite interposita, sed crebris colloquiis quasi cōcorditer viuunt: nihilominus tamen intentione contraria inimici sunt eis, qui se ad Deum cōuertunt. Nam cum alij amant & appetunt istum mundum, alij se optant ab isto mundo liberari: quis non videat inimicos esse illos istis? Nam si possint, eos secum ad pœnas trahūt. Et magnum donum est inter eorum verba versari quotidie, & non excedere de itinere præceptorū Dei. Sape enim penitens pergere ad Deum, cōcussa in ipso itinerē trepidat, & plerunque propterea non implet bonum propositū, ne offendat eos (cum quibus viuit) alia bona peritura & transeuntia diligentes atque sectantes. Ab his separatus est omnis sanus, non locis, sed animo. Nam locis corpora continentur, animi autem locus est affectio sua. Quapropter post laborem & gemitum & imbres creberrimos lachrymarum (quia inane nō potest esse quod tam vehementer rogatur ab illo qui est fons omniū misericordiarum: verissimè que dictum est, propè est dominus obtritis, vel contritis corde) post tantas difficultates exauditam se esse anima ipsa significans, quam licet etiam Ecclesiam intelligere, vide quid adiungit. *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit dominus vocem fletus mei.* Vel in prophetia dictum est, quoniā discessuri sunt, id est, separabuntur à iustis impij cum iudicij dies venerit: vel nunc, quia etiam si pariter atque iisdem conuentibus continentur, tamen in area nuda iam grana separata sunt à paleis, quamuis inter paleas lateant. Simul itaque versari possunt, sed simul à vento auferri non possunt. Quoniam exaudiuit dominus vocem fletus mei. *Exaudiuit dominus deprecationem meam: dominus orationem meam suscepit.* Crebra eiusdem sententiæ repetitio, non quasi narrantis necessitatem, sed affectum exultantis ostendit. Sic enim gaudentes loqui solent, vt non eis sufficiat semel enūciare quod gaudent. Iste fructus est illius gemitus, in quo laboratur, & illa lætitia lachrymarum quibus lauat lectus & stratum rigatur. Quoniā qui seminat in lachrymis, in gaudio metet. Et beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur. *Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei.* Discedite à me dixit superius, quod etiam in hac vita, sicut expositum est, fieri potest. Quod autem dicit, *Erubescant & conturbentur:* non video quemadmodū euenire possit, nisi illo die, cum manifesta fuerint iustorum premia & supplicia peccato-

c iij

1. Corin. 4. rum. Nam nunc vsque adeo nō erubescunt impij, ut nobis insultare nō desinant: & plerunquetantum valeant in rationibus suis, ut in similes homines de Christi nomine erubescere faciant. Unde dicitur *1. Thim. 3.* Qui me erubuerit & meos sermones coram hominibus, hinc filij hominis erubescit coram angelis & patre: Sed veniet tēpus, ut illi erubescant, dicentes illi sunt, quos alis quādo habuimus in derisum, & in similitudine improperij. Nos in seculi vitam illorum aestimabamus in sanā, & finem suū honorē. Ecce quomodo cōputati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorū est. Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, &c. Quod autē ait, *Conuertantur & erubescant*, quis non iudicet esse iustissimā pōnā ad conuersionē ad cōfusiōnē habeāt, qui ad salutē habere noluerūt, deinde addidit, *Valde velociter*. Cū enim iam desperari ceperit iudicij dies, cū dixerint, Pax & securitas: tunc repētinus eis superueniet interitus. Quando cūq; autē venerit, celerimē veniet, quod desperatur esse venturū. Quāquā & illud hīc accipi potest, ut quam gementē & tam sepe diuq; scētē Deus exaudiuit, intelligatur liberata à peccatis, & omnes peruersos motus carnalis affectionis domuisse, sicut dicit: *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit dominus vocem fletus mei.* Quod cū ei prouenerit, non mirum si iam ita perfecta est, ut pro inimicis suis oret. Potest ergo ad hoc pertinere quod dixit, *Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei*: ut de peccatis suis agant pōnitentiā: quod sine cōfusione & conturbatione fieri non potest. Nihil itaq; impedit sic accipi & illud quod sequitur, *Conuertantur & erubescant*, id est, cōuertātur ad Deum: & erubescāt in prioribus tenebris peccatorū aliquādo gloriatos, sicut Apostolus dicit, Quā enim gloriā habuistis aliquādo in his quibus nūc erubescitis: quod autē addidit, *Valde velociter*: aut ad optātis affectū, aut ad Christi potētiā referēdum est: q̄ gētes quæ pro idolis suis p̄sequēbātur Ecclesiā, ad euāgelij fidē tāta tēporū celeritate cōuertit.

TITVLVS PSALMI VII.

2. Reg. 16. 17. **S**EPTIMVS Psalmus sic intitulatus est, In fine psalmus David, quē cōstauit domino pro verbis Chusi filij Gemini. Hic mittitur ad historiam illā in Regū libro secundo: Ubi Chusi amicus David transiit in partes Absalo filij eius, ad explorāda cōsilia & renūcianda quæ aduersus patrē ille moliebatur auctore Achiofel, qui defecerat ab amicitia David, & filiū eius aduersus patrē, consilijs quibus posset instruebat. Spiritualiter nobis Chusi interpretatur silentiū: Gemini autē dextra Achiofel fratris ruina. Per Chusi, quod silentiū interpretatur, rectē accipitur aduersus illos dolos silentio dominū nostrū dimicasse, quo silentio sacramentū venerabilis passionis occultās, voluntariā ruinā fratris, id est, nefariū scelus traditoris sui in sua misericordia atq; prudentiā ordinē cōuertit: ut quod ille ad perniciem vnius hominis peruersa mente faceret, iste ad salutē omnīū prouida gubernatione trāsferret. Cantat ergo psalmū domino anima perfecta, quæ iam digna est nosse secretum Dei, pro verbis Chusi, id est, pro cognitione eiusdem secreti, quod secretū dexter Deus: id est, fauēs atq; propitiū, ei operatus est. Est autē intentio huius perfecti catholici, quosq; fideles exhortari, ut sp̄e suā in domino ponāt, & sic perfecte uiuāt quatinus die iudicij expectare securi valeāt, seipsum proponēdo in exemplū, & dicēdo sic

od mirum quod huiusmodi **D**OMINE, Deus meus in te speraui, saluum me fac ex omnibus persecutoribus meis, & libera me. Ex his verbis fides & spes huius perfecta anima nobis commendatur, tanquā diceret, Credo te verum Deū & dominum esse, seilicet creatore & rectorem omnium. Et ideo te feci specialiter meū, non iam p̄sumēdo de me, sed sperando in te: nā beatus homo qui sperat in te. Meū est sperare in te, tūc est saluare & liberare me. Ergo tanquā ei nō resistat in perfecto nisi inuidus spiritus, sperato omnibello atq; aduersitate victorū dicit, Saluum me fac ex omnibus persecutoribus meis, & libera me. Ab his me salua qui persequuntur à tergo, & ab his qui occurrunt in facie, libera. Non enim mihi sufficit, ut te defendente sim saluus: nisi & te liberate sim securus. Deinde de plurali numero ad singularem redit, cū subiungit, *Nequando rapiat tui leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.* Maligni quippe spiritus plures sunt in natura, sed vnum in malitia. Plures sunt numero, sed omnibus vna nocendi voluntas est. Ipsum autē antiquū hostem propter crudelitatem nomine leonis designat, concordans cum Apostolo qui ait, *Aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quæres quem deuoret.* Sed quomodo huic hosti tā forti & crudeli fragilitas humana resistere poterit, si ille eam non redimat, & saluet qui creauit. Et ideo ait, *Dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat:* subaudis, nisi tu redimas & salues. Magna est utilitas seruo Dei propriam infirmitatem recognoscere, atque in suis viribus aut meritis nullam fiduciam habere. Tunc enim incipit adesse virtus diuina, quādo deficere incipit p̄sumptio humana. Hinc Paulo vocē Dei dicitur: Sufficit tibi gratia mea, nā virtus in infirmitate perficitur: hinc veritas ait, *Qui vult post me venire, abneget semetipsum.* Talis erat idē Apostolus, cū diceret, *Gratia Dei sum id quod sum.* Ergo in domino Deo suo sperans, & de viribus suis non p̄sumēns, & ideo supernā saluationē implorans, qualis fuerit iste vir sanctus, audiamus. Iterū inuocat dominum Deum suū, tanquā ei gratias agens, atq; nomini ipsius bonum quod ab ipso accepit, ascribēs, subiungit: *Domine Deus meus si feci istud.* Quid: si feci iniquitas, in manibus meis. Id est, si exhibui membra mea arma iniquitatis ad peccandum: si non fui innocēs manibus, & quod perfectius est, *Si reddidi retribuentibus mihi mala.* Id est, si aduersus malos paties nō fui. *Decidā meritū ab inimicis meis manus.* Id est, merito negligentiae meae persecutoribus inimicis, corruā vacuus à fructu iustitiæ. Iustū est enim ut ab inimicis victus decidat, quisquis se cōtra eos armis virtutū & bonorū operū minime roborat. Et bene non ait, si reddidi facientibus mala: sed retribuentibus mihi mala. Qui enim retribuit, iam aliquid accepit. Maioris autē patientiæ est, nec ei mala rependere, qui acceptis beneficiis reddidit mala pro bonis, quā si nullo antē accepto beneficio nocere voluisset. Inaniter autem se iactat, qui cū & ipse homo sit, cupit se de homine vindicare: & cū superare hominem palam quærit, occulte à diabolo superatur. Inanis effectus est, vana & superba lætitiā, quod quasi vinci non potuit. Intelligit ergo iste vbi maior fiat victoria, & vbi pater reddat qui

Math. 6. videt in occulto. Ne itaque reddat retribuētib; mala, iram potius quam ho-
 minem vincit. Melior est enim qui vincit irā, quam qui capit ciuitatem. In-
 rare autē videtur per execrationem, cui ait: Decidā merito ab inimicis meis
 inanis. Quod est grauissimū iuriburandi genus, cū homo dicit: Si illud feci,
 illud patiar. Sed aliud est iuratio in ore iurantis, aliud in significatione pro-
 phetizantis. Hic enim dicit quid iure contingat hominib; qui reddunt re-
 tribuētib; mala: non quod sibi aut alicui quasi iureiurando imprecetur, &
 ideo subiungit: *Persequatur inimicus animā meam, & comprehendat.* Iterū inimi-
 cum singulari numero nominans, magis magisque manifestat quod supe-
 rius quasi leonem appellauit. Ipse enim animam persequitur. Nā homines
 vsque ad interfectionem corporis faciunt, animam verō in potestate habe-
 re nō possunt: diabolus autē quas animas persequutus fuerit, vt possideat, com-
 prehēdit si potest: & cum possidet, cōculcat, & ideo subdit, *Et cōculcet in terra
 vitā meā.* Id est, cōculcando terram faciat vitā meam, cibum scilicet suum.
 Gene. 3. Non enim tantū leo, sed etiam serpens appellatus est: cui dictū est, Terrā mā-
 Ibidem. ducabis. Et peccatori homini dictum est, Terra es, & in terram ibis. Rectē er-
 go subiungitur, *Et gloriā meā in puluerem deducat.* Hic est ille puluis, quē pro-
 Psal. 1. iicit vētus a facie terrā, superborū scilicet vana & inepta iactantia, inflata &
 non solidata, tanquā vēto elatus pulueris globus. Rectē itaq; posuit hic glo-
 riam, quam nō vult in puluere deduci. Vult enim ea solidam habere in con-
 Isa. 35. fidentia, vbi coram domino nulla iactantia est. Qui gloriatur (inquit) in do-
 2. Cor. 10. mino gloriatur. Ita soliditas in puluere deducitur, si per superbiam quisq;
 conueniens secreta cōscientiā, vbi Deus solus hominem probat, velit apud
 Iudith. 14. hominē gloriari. Hinc est quod alibi dicit, Deus conteret ossa placentiū ho-
 minū, bus. Qui autem didicit bene, vel expertus est vitiorum superandorum
 gradus, intelligit hoc vitij inanis gloriā, vel solum, vel maximē cauendum
 esse perfectis. Quo primo enim vitio lapsa est anima, hoc vltimū vincit. Ini-
 Eccles. 10. tium autē omnis peccati superbia. Deinde aduersus diabolū & angelos eius
 quorū possessio peccatores atq; impij homines sunt, deprecatur, dicēs: *Exur-
 ge domine in ira tua, & exaltare in sinibus inimicorū meorū.* Exurge dicit, id est, appa-
 re, humanis videlicet vtēs verbis, quasi Deus dormiat cū in secretis suis inco-
 gnitus latet. Cū autē iustificatur impius, ex impio fit iustus, & ex possessione
 diabolij migrat in tēplum Dei. Et quoniam pœna est, vt cuiq; auferatur pos-
 sessio, in qua dānari desiderat: hanc pœnā dicit irā Dei aduersus diabolū,
 vt desinat possidere quos possidet. Finem autē dixit ipsam possessionem, vbi
 vult Deū exaltari potius, id est honorari & glorificari, quam diabolū: dum
 impij iustificantur & laudant Deum. Quasi in ira sua dominus exurgere vi-
 sus est, quādo à mortuis resurgēs inferni claustra petiit, eiusq; portas confre-
 git, atq; eū à iustis quos tenebat captos, spoliavit. In sinibus quoq; inimico-
 rū exaltatus est, quando ad cælum ascēdit, & gloriosum atque laudabile no-
 men eius vsque ad vltimū terrā prædicatum claruit. Vnde & subditur: *Et
 exurge domine Deus meus in præcepto quod mādasti: & synagoga populorū circūdabit te.*
 Matth. 28. Præceptū mādasti Apostolis tuis. Dixisti, Prædicate euangeliū omni crea-
 Mar. 16. turæ. Exurge ergo. In eis, quibus prædicatum est præceptū tuū. Fac eos exur-
 Acto. 1. gere

gere per temetipsum, vt à suis iniquitatibus resurgēs impleat præceptū tuū.
 Vel aliter: Exurge domine Deus meus in præcepto quod mādasti: humilitatē
 præcepisti, humilis appare. Et tu prius imple quod præcepisti, vt exēplo tuo
 vincētes superbiā nō possideāt à diabolo. Et synagoga populorū circūda-
 bit te. Duplex intellectus est. Cōgregatio enim populorū, siue credentiū, siue
 Math. 11. persequentiū, potest accipi: quorū vtrūque ea domini nostri humilitate factū
 est: quā contemnens persequentiū multitudo circūdedit eū de qua dictū est:
 Psal. 2. Astiterūt reges terræ, & principes cōuenerūt in vnū, aduersus dominum &
 aduersus Christū eius. Credentiū autē per eius humilitatē multitudo, ita eū
 circumdedit, vt verissimē diceretur: Cæcitas ex parte in Israël facta est, donec
 Roma. 11. plenitudo gētium intraret. Et illud, Postula à me & dabo tibi gētes hæredita-
 Psal. 2. tē tuā, & possessionē tuam terminos terræ. *Et propter hanc in altū regredere:* Id
 est, & propter hanc congregationem regredere in altum: quod resurgendo
 & in excelsum ascendendo fecisse intelligitur. Ita enim glorificatus dedit
 spiritum sanctum, qui ante glorificationē eius dari nō posset, sicut in euan-
 Act. 2. & gelio positiū est: Spiritus autē nōdum erat datus, quia Iesus nōdum fuerat glo-
 Ioan. 7. rificatus. Regressus ergo in altū propter cōgregationem populorum misit
 spiritum sanctum, quo impleti prædicatores euangelij orbē terrarum Eccle-
 Acto. 2. sias impleuerunt. Et quia inde venturus est iudicare viuos & mortuos, rectē
 Acto. 1. subiungitur: *Dominus iudicat populos.* Quis dominus, nisi Iesus Christus? Pater
 Ioan. 13. enim nō iudicat quēquā: sed omne iudiciū dedit filio. Hæc autē anima quæ
 Ioan. 5. perfectē orat, vide quēadmodum nō timeat iudicij diē, & verē securo deside-
 rio dicat in oratione, Adueniat regnū tuū. *Iudica me (inquit) domine secundū
 Math. 6. iustitiā meā.* In superiore psalmo infirmus deprecabatur, misericordiā potius
 Psal. 6. implorās Dei, quā cōmemorans vllū meritum suū, quoniā filius Dei pecca-
 Math. 9. tores venit vocare in pœnitentiā. Itaq; ibi dixit, Saluū me fac propter miseri-
 Luc. 5. cordiā tuā, id est, nō propter meritū meum: nūc autē quoniā vocatus tenuit
 & seruauit præcepta quæ accepit, audet dicere, *Iudica me secundū iustitiā meam,
 & secundū innocentiam meā super me.* Illa est vera innocētia, quæ nec inimico nocet.
 Itaq; se bene iudicari postulat secundū innocētiā, qui verē dicere potuit:
 Si reddidi retribuētib; mihi mala. Quod autē addit, *Super me,* nō ad innocē-
 tiā tārū, sed ad iustitiā quoq; subaudiri potest, vt iste sit Iesus: Iudica me do-
 mine secundū iustitiā meā, & secundū innocentiam meā, quæ iustitia & inno-
 cētia super me est. Quo additamēto demonstrat idipsū quod anima iusta est
 & innocēs, nō per se habere, sed per illustrātem & illuminātem dominum.
 Hinc Iacobus ait, omne datū optimū, & omne donū perfectū defursum est,
 Iaco. 1. descēdens à patre luminū. Ipse est enim lux vera, quæ illuminat omnē homi-
 Ioan. 1. nē venientē in hūc mundū. Deinde subiūgit de peccatoribus, *Cōsummetur ne-
 quitia peccatorū.* Videtur cōsummata nequitia hominū, qui crucifixerunt filiū
 Dei: sed eorū maior est, qui nolūt rectē viuere & oderunt præcepta veritatis,
 Hebr. 10. pro quibus crucifixus est filius Dei. Cōsummetur ergo, inquit, nequitia pecca-
 torū: id est, perueniatur ad summā nequitiam, vt possit iā iustū venire iudiciū.
 Sed quoniā nō solum dictum est, Sordidus sordescat adhuc: sed etiā, Iustus
 Apoca. 22. iustior fiat: annectit, & dicit, *Et diriges iustum, scrutās corda & renes Deus.* Quo-
 modo

modo potest dirigi iustus, nisi in occulto? Quādo in initio temporum Christianorum à persecutoribus sancti premebantur, miranda videbantur hominibus, & dirigi videbantur sancti qui tanta pati poterant pro nomine Iesu Christi. Nunc postquā in tanto culmine nomen cepit esse Christianum, creuit hypocrisis, id est, simulatio, eorū scilicet qui nomine Christiano malunt hominibus placere, quā Deo. Quomodo ergo dirigitur iustus in tāta confusione simulationis, nisi cū scrutatur corda & renes Deus: videns omnium cogitationes, quæ nomine cordis significatæ sunt, & delectationes quæ nomine renum intelliguntur? Rectè quippe temporalium & terrenarum rerum delectatio renibus tribuitur, quia & ipsa pars est inferior hominis, & ea regio est, vbi carnalis generationis voluptas habitat, per quam in hanc ærumnosam & fallacis lētitiæ vitam per successionem prolis natura humana transfunditur. Scrutans ergo cornostrum Deus: & prospiciens ibi esse vbi est thesaurus noster. id est, in cælis. Scrutans & renes & prospiciens non nos acquiescere carni & sanguini, sed delectari in domino, dirigit iustum in ipsa conscientia coram se, vbi nullus hominum videt, sed solus ille qui prospicit quid quisque cogitet, quid quenque delectet. Finis enim curæ delectatio est: quia eò quisque curis & cogitationibus nititur, vt ad suam delectationem perueniat. Videt igitur curas nostras, qui scrutatur cor: videt autem finem curarum, id est, delectationes, qui scrutatur renes: vt cū inuenerit non ad concupiscentiam carnis, neque ad concupiscentiam oculorum, neque ad ambitionem seculi (quæ omnia transeunt tanquam umbra) inclinari curas nostras, sed ad gaudia rerum æternarum sustolli, quæ nulla commutatione variantur: dirigat iustum scrutans corda & renes Deus. Opera enim nostra quæ factis & dictis operamur, possunt esse nota hominibus: sed quo animo fiant, & quò per illa peruenire cupiamus, solus ille nouit, qui scrutatur corda & renes Deus. Et quia hanc directionem cordis iste iustus habebat per dominum, rectè subiungit: *Iustum adiutorium meum à domino, qui saluos facit rectos corde.* Duo sunt officia medicina: vnum quo sanatur infirmitas, alterum quo sanitas custoditur. Iuxta illud primum dictum est in superiori psalmo, Miserere mei domine, quoniam infirmus sum. Iuxta hoc alterum hoc psalmo dicitur, Si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuētibus mihi mala, decidam (ergo) ab inimicis meis inanis. Ibi enim infirmus vt liberetur, hinc iam sanus ne corrumpatur, orat. Iuxta illud ibi dicitur, Saluum me fac domine secundum misericordiam tuam. Iuxta istud hinc dicitur, Iudica me domine secundum iustitiam meam. Ibi enim vt à morbo euadat, remedium: hinc autem ne in morbum recidat, tuitionem petit. Iuxta illud dicitur, Saluum me fac propter misericordiam tuam. Iuxta hoc dicitur, Iustum adiutorium meum à domino, qui saluos facit rectos corde. Et illa enim & ista saluos facit. Sed illa ex ægritudine ad salutem trāfert, hæc in ipsa salute cōseruat. Ibi itaq; misericors est auxilium, quia nullū habet meritū peccator, qui adhuc iustificari desiderat, credens in eū qui iustificat impiū. Hinc autem iustum auxilium est, quia iam iusto tribuitur. Dicat ergo ibi peccator, qui dixit: infirmus sum, saluum me fac domine secundum

condūm misericordiam tuam. Et dicat hinc iustus, qui dixit, Si reddidi retribuētibus mihi mala, iustum auxilium meum à domino, qui saluos facit rectos corde. Si enim medicinam exhibet, qua sanemur infirmi, quāto magis nūc eā quæ custodiamur sani? Quoniā si, cū peccatores essemus, Christus p nobis mortuus est: quāto magis nunc iustificati salui erimus ab ira per ipsum? Iustum auxilium meum à domino qui saluos facit rectos corde. Deinde vt studeamus conuerti ad dominū, & esse recti corde: cōmendat nobis suā paciētiā, & minatur de iudicio, subdēs: *Deus iudex iustus, fortis, & paciēs, nūquid irascitur per singulos dies?* Quis Deus iudex, nisi dominus qui iudicat populos? Iste iustus, qui reddet vnicuique; secundū opera sua. Ipse fortis, qui etiā persecutores impios, cū sit potētissimus, pro nostra salute tolerauit. Ipse paciēs, qui etiā ipsos qui persecuti sunt, nō statim post resurrectionē ad supplicium rapuit, sed sustinuit: vt se aliquādo ad salutē ab illa impietate cōuerterēt, & adhuc sustinet, seruās vltimo iudicio vltimā pœnā, & nūc vsq; inuitās peccatores ad pœnitentiā, nō irascēs per singulos dies, nec ad vindictā cōgregās ministros suos. Nūc enim paciētia Dei ad pœnitentiā inuitat, vltimo verò tēpore cū sibi homines propter duritiā cordis sui, vel mētis suæ, & cor impœnitēs thesaurifauerint irā in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, irā suā ostendet: vnde & subditur, *Nisi cōuersi fueritis, gladiū suū vibrabit.* Potest ipse homo dominicus gladius Dei intelligi bis acutus, id est, framea, quā nō vibrauit primo aduētū: sed tāquā in vagina humilitatis abscondit. Vibrabitur autē cū secūdo aduentu veniens iudicare viuos & mortuos, in manifestō splēdore charitatis suæ iustis suis lumē, & terrores impiis coruscabit. Nam in aliis exēplaribus pro eo quod est, gladiū suū vibrabit, frameam suā splēdificabit, positū est. Quo verbo conueniētissimè significari arbitror vltimū dominicæ claritatis aduentū. Et quia hoc iudicium suū in scripturis suis iā firmavit, bene subiunctū est, *Arcū suū tetendit, & parauit illū.* Nō passim verborū tēpora prætereunda sunt, quòd gladiū de futuro dixit, vibrabit: arcū de præterito, tetēdit. Deinde præteriti tēporis cōsequuntur verba. *Et in ipso parauit vasa mortis: sagittas suas ardentibus operatus est.* Arcū ergo istū scripturas sanctas libēter acceperim: vbi fortitudine noui testamēti, quasi neruo quodā duritia flexa veteris & edomita est. Hinc tanquā sagittæ mittuntur Apostoli, vel diuina præconia iaculantur. Quas sagittas ardentibus operatus est, id est, qui percussus diuino amore flagrarēt. Qua enim alia sagitta percussa est, quæ in Canticis ait, Vulnerata charitate ego sum? Quibus aliis sagittis accenditur, qui redire ad Deum cupiens, & ab ista peregrinatione remeare, aduersus dolosas linguas petit auxiliū? & ei dicitur, Quid detur tibi, aut quid adiciatur tibi aduersus linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus vastatoriis: id est, quibus percussus atque inflammatus tanto amore ardeas regni cælorum, vt omnium resistentium, atque à proposito reuocare volentium linguas cōtemnas, & persecutiones eorum derideas, dicens: Quis me separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculū, an gladius? Certus sum enim, inquit, quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; præsentia neq; futura, neq; virtus neq; altitudo, neq; profundū, neq; creatura alia

alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Sic ardentibus sagittas suas operatus est. In Græcis exemplaribus ita inuenitur: Sagittas suas ardentibus operatus est: Latina autem pleraque, Ardentes, habent. Sed siue ipsæ sagittæ ardeant, siue ardere faciant (quod utique non possunt, nisi & ipsæ ardeant) integer sensus est. Sed quia non sagittas tantum, sed etiam vasa mortis dicit in arcum dominum parauisse: quæri potest quæ sunt vasa mortis? An forte hæretici? Nam & ipsi ex eodem arcu, id est, ex eisdem scripturis in animas non charitate inflammandas, sed veneno perimendas insiliunt. Quod non contingit, nisi pro meritis: propterea diuinæ prouidentia etiã ista dispositio tribuenda est, non quia ipsa peccatores facit, sed quia ipsa ordinat, cum peccauerint. Malo enim voto per peccatum legentes malè coguntur intelligere: ut ipsa sit pœna peccati: quorum tamen morte filij catholicæ Ecclesiæ, tanquam quibusdam spinis à somno excitantur, & ad intelligentiã scripturarum diuinarum proficiunt.

1. Corint. 11. Oportet enim (inquit) & hæreses esse, ut probati manifesti fiât inter vos, hoc est, inter homines, cum manifesti sunt Deo. An forte easdem sagittas & vasa mortis disposuit ad perniciem infidelium, & ardentibus vel ardentibus operatus est ad exercitationem fidelium? Non enim falsum est quod Apostolus dixit, Alii sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Non ergo mirum si iidem Apostoli & vasa mortis sunt eis, à quibus persecutionem passi sunt, & igneæ sagittæ ad inflammandam corda credentium. Post hanc autem dispensationem iustum veniet iudicium, de quo ita dicit, ut intelligamus vnicuique homini supplicium fieri de peccato suo, & eius iniquitatem in pœnam conuerti: ne putemus illã tranquillitatem & ineffabile lumen Dei de se proferre vnde peccata puniantur, sed ipsa peccata sic ordinari, ut quæ fuerint delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Deo puniendi. *Ecce* (inquit) *parturit iniustitiam*. Quid enim conceperat ut iniustitiam parturiret? *Concepit* (inquit) *dolorem, & peperit iniquitatem*. Non hoc peperit, quod concepit. Non enim hoc nascitur, quod concipitur: sed concipitur semen, nascitur quod formatur ex semine. Semen quod concipitur: est voluntas mala, fructus verò qui nascitur, est actio peruersa. Prius quippe mala voluntas tanquam semen in corde nascitur, sed deinde ex hoc semine operatio iniusta, siue quod amplius est, iniqua, tanquam fructus generatur. Iniustitia est hoc, quod à iustitiæ regula discordat. Iniquitas verò quod ipsius iustitiæ rectitudinem oppugnat. Iniustus est qui iustitiæ præcepta non custodit: iniquus est qui iniquis operibus dominum offendit. Bene autem non dictum est, perpetravit iniquitatem, sed peperit: quia sicut in partu dolor & labor est anxius, ita peruersi quique laborant atque anxie anhelant, ut malum quod in corde conceperint, ad operationis exitum perducere possint. Recte quoque non dicitur, concepit malam voluntatem, sed dolorem: quia mala voluntas ipsa se torquet, ipsa sui supplicium est. Agit enim omnipotens Deus iudicio suo recto & miro, ut anima quæ peccauerit, ipsa seipsam puniat de peccato ipso quod perpetrat. Vnde recte subiungitur. *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam*

quam fecit. Lacum aperire, est in terrenis rebus, id est, tanquam in terra, fraudem parare, quò alius cadat, quem vult decipere iniustior. Aperitur autem hic lacus, cum consentitur malæ suggestioni terrenarum cupiditatum. Effoditur verò, cum post cõsensionem operationi fraudis instatur. Sed vnde fieri potest, ut iniquitas prius lædat hominem iustum in quæ procedit, quã cor iniustum vnde procedit? Itaque fraudator pecuniæ (verbi gratia) dū cupit alium damno lacerare, ipse auaritiæ vulnere sauciatur. Quis autem, vel demens, non videat quantum inter hos distet, cum ille patiatur dånun pecuniæ, ille innocentia? Incidit ergo in foueam quã fecit. Quod in alio psalmo dicitur, Cognosceretur dominus iudicia faciès: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator. *Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet*. Non enim voluit ipse peccatum euadere, sed factus est sub peccato tanquam seruus: dicente domino, Omnis qui facit peccatũ, seruus est. Erit ergo iniquitas eius super ipsum, cum ipse iniquitati suæ subditur: quia non potuit domino dicere, quòd innocentes & iusti dicunt, Gloria mea, & exaltans caput meum. Ita ergo ipse erit inferior, ut iniquitas eius sit superior, & in illum descēdat, quæ aggrauat illum & onerat, & ad requiem sanctorum reuolare non sinit. Hoc fit, cum in homine peruerso seruit ratio, & libido dominatur. Et quia hæc perfectus iste iam euaserat, laudat Deum, & dicit: *Confitebor domino secundum iustitiam eius, & psallam nomini domini altissimi*. Cõfessio iustitiæ Dei, est quæ ita loquimur, Verè Deus iustus es, quando & iustos sic protegis, ut per te ipsum eos illumines, & peccatores sic ordines, ut non tua, sed sua malitia puniantur. Quia ergo videt merita animarum sic ordinari à Deo, ut dum sua cuique tribuuntur, pulchritudo vniuersitatis nulla ex parte violetur: in omnibus laudat Deum, & ista est non peccatorum, sed iustorum confessio: & ne peccatorum confessionem intelligeremus, subiecit ad vltimum, *Et psallam nomini domini altissimi*. Psallere autem ad gaudium pertinet, pœnitentia verò peccatorum ad tristitiam. Confiteamur & nos domino secundum iustitiam eius, laudando & glorificando eum, quia iustus est: & psallamus nomini domini altissimi, rectè operando, bene viuendo, spiritualiter gaudento: ut impleatur in nobis quod in alio psalmo dicitur, Deo nostro sit iocunda laudatio.

T I T V L V S P S A L M I V I I I .

H *DEO tituli libri præponuntur, ut per eos auctor scriptura & materia, siue intentio declaretur. Titulus huius psalmi est, In fine psalmus David, pro torcularibus. Christus est noster finis, recte Apostolo qui ait, Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Ad ipsum tendimus: vltra ipsum nihil est, quò tendere debeamus. Ipse est enim summum bonum, summa beatitudo, vera æternitas. In istum finem mittit nos iste Christus, quem scripsit propheta David in persona Ecclesiæ. Et notandum quòd non ait, ad finem: sed, in finem. Non enim mittimur ad Christum tantum, ut ad eum perueniamus: sed etiã ut in Christo permaneamus, & cū ipso vnũ simus. Sed quid est, quòd ait, Pro torcularibus? Solent accipi torcularia, martyria. Afflictione enim per*

secutionum calcatis eis qui Christi nomen confessi sunt, mortalia eorum tanquam vinacia in terra remanserunt. Possunt etiam per torcularia quique fideles intelligi, secundum quod
 2. Tim. 3. *tolerant propter Deum aduersa huius mundi. Scriptum est enim, Omnes qui volūt prę vi*
 Acto. 2. *uere in Christo, persecutionem patiuntur. Psallitur ergo pro torcularibus, pro ecclesia constitu*
tione: cum dominus noster postquam resurrexit, ad calos ascendit. Tunc enim misit spiritum
sanctum, quo impleti discipuli cum fiducia predicauerunt uerbum Dei, ut ecclesia congre
gantur. Est autem inrentio propheta in hoc opere, omnes ad fidem Christi inuitare, cuius
laus tanta est in uniuersa terra: & cuius gratia & uirtute constituta & corroborata
est uniuersalis ecclesia. Dicit enim.

PSALMVS VIII.

DOMINE Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in uniuersa terra! Ac si diceret, O domine omnium per potentiam, qui es dominus noster per gratiam, quàm te admirantur omnes qui incolunt terram! Tu domine notus eras in Iudæa tantum, & in Israël magnum nomen tuum. Apparuiisti inter nos, mortuus propter nos, surrexisti, ascendisti in cælum, Spiritu tuo perfudisti corda discipulorum, quibus prædicantibus, in omnem terram exiuit sonus eorū, & nomē tuum gloriosum, quod erat notum in gente vna, factum est admirabile in uniuersa terra. Quare admirabile? Quoniam eleuata est magnificentia tua super calos. A mortuis resurgens in cælum ascendisti, & qui humilis videbaris, magnificus apparuisti. Hinc enim apparet quis descenderis, cum à quibusdam visum est, & à cæteris creditum quò ascenderis. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos. Non possum accipere alios infantes atq; lactentes, quàm eos quibus dicit Apostolus, Tanquam paruulis in Christo lac potum dedi vobis, non cibum. Quos significabant illi, qui dominum præcedebant laudantes. In quo ipse dominus hoc testimonio usus est, cum dicentibus Iudæis ut eos corripere, respondit: Nō legistis, ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Bene autem non ait, fecisti, sed, Perfecisti laudem. Sunt enim in Ecclesiis etiam hi, qui non lacte potantur, sed vescuntur cibo: quos idem Apostolus significat dicens, Sapientiam loquimur inter perfectos. Sed non ex his solis perficiuntur Ecclesiæ, quia si soli essent, non consulerent generi humano. Consultitur autem, cum illi quoque nondum capaces cognitionis rerū spiritualium atque extenarū nutriuntur fide temporalis historiæ, quæ pro salute nostra post patriarchas & prophetas ab ipsa sapientia Dei etiam suscepti hominis sacramento administrata est, in qua salus est omni credenti: ut autoritate cōmonitus præceptis inferuiat, quibus purgatus quisque, & in charitate radicans atq; fundatus, possit currere cum omnibus sanctis, non iam paruulus in lacte, sed iuuenis in cibo cōprehendere latitudinem, lōgitudinem, altitudinem & profundū: scire etiam super eminentem scientiam charitatis Christi. Hæc autem fecisti domine Deus, propter inimicos tuos. *Ut destruas inimicum & vltorem.* Quis per inimicum, nisi Paganus & hæreticus accipitur, per vltorē verò Iudæus, qui quasi pro lege

lege sua vlciscenda & defendenda Christianū nomē persequebatur. Quos tu domine destruxisti & confudisti, cum te aspirante ad fidem tuā venerunt paruuli, & in suo errore remanserunt legisperiti & philosophi. Magna iniquorū confusio est, cum infantes laudant, sapientes Blasphemāt: & in hoc, domine, nomē sanctum tuum admirabile, cum hoc de te per tuā gratiam capit paruus, quod per suam sapientiam nō potest magnus. Vnde scriptum est: Confitebor tibi pater domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Vnde & subditur, Quoniam vi deo calos tuos opera digitorum tuorum: lunam & stellas quæ tu fundasti. Ac si diceret, Quoniam cernam & intelligam scripturas quas operāte spiritu sancto per ministros tuos conscripsisti. Videtur ergo cæli opera digitorum Dei, id est, intelliguntur libri vsque ad infantium tarditatem perducti, & eos per humilitatem historicæ fidei, quæ temporaliter gesta est, ad sublimitatem intelligentiæ rerum æternarum bene nutritos & roboratos exigūt, in eaque confirmant. Ex his verbis liquidò patet, quia propheta sanctus mysticè loquitur. Si enim iuxta solam literam loqueretur, diciturus luminare minus, prius luminare maius debuit dicere, ut antè solem, & post lunam atque stellas fundatas esse perhiberet. Sed quia iuxta intellectum mysticum loquebatur, ut lunam sanctā Ecclesiam, & stellas omnes sanctos accipere deberemus: solem nominare noluit, quia videlicet ipsi æterno soli loquebatur: de quo scriptū est, Vobis autem qui timetis Deum, oriatur sol iustitiæ. De quo reprobi in fine dicturi sunt: Sol iustitiæ non ortus est nobis. Dicendo ergo lunā & stellas quas tu fundasti, & tantum tacendo solem qui factus est, indicauit: quia illi soii locutus est, qui non solum solem & lunam & stellas corporaliter, sed etiam lunam Ecclesiam atque stellas sanctos omnes spiritualiter facit. Sic ergo cum aliquid deest historiæ, aperta ratione ducimur ad intellectum allegoriæ. Deinde mentionem facit terreni hominis & celestis, quos omnipotens pater visitauit: vnum per misericordiam mirabiliter releuans, alterum per diuinitatis gloriam ineffabiliter exaltans: in quorum admiratione subiunxit, *Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Inter hominem, & filium hominis est distantia. Omnis enim filius hominis homo: sed non omnis homo filius hominis. Adam quippe homo, sed nō filius hominis. Ergo qui portant imaginem terreni hominis, qui non est filius hominis, hominum nomine designantur. Qui autem portant imaginem celestis hominis, filij hominū appellantur. Homo ergo hoc loco terrenus dicitur, filius autem hominis celestis. Et ille longe seiunctus à Deo, hic autem præsens Deo, & propterea illius memor est, tanquam in longinquo positi: hunc verè visitat, quem præsens illustrat vultu suo. Longe est enim à peccatoribus salus. Et signatum est super nos lumen vultus tui domine. Filius igitur hominis primo visitatus est in ipso homine dominico nato ex Maria virgine, de quo propter infirmitatem carnis, quam sapientia Dei gestare dignata est, & passionis humilitatem, rectè subditur, *Minuisti eum paulominus ab angelis.* Sed additur illa clarificatio, qua resurgens ascendit in cælum. *Gloria (inquit) & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera ma-*
 d ij

Luc. 15.
Matt. 21.

Matth. 11.

Gene. 1.

Mala. 4.
Sapient. 5.1. Cor. 15.
ad Tim. 5.

1. Corin. 15.

Psal. 118.
Ioan. 10. &
14.
Psal. 118.
Psal. 4.Luc. 2.
Ioan. 4.
Heb. 2.
Philip. 2.
Mar. 16.
Act. 1.
Heb. 2.

TITVLVS PSALMI IX.



ANITVR iste psalmus pro occultis filij. Et quia non dicit cuius, intelligen- dus unigenitus filius Dei est. Nam & ipse dominus cum sine additamen- to ponit filium, seipsum unigenitum filium vult intelligi, ubi ait, Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis. Non enim dicit filius Dei, sed tantum dicendo Filius, dat intelligi cuius sit filius. Quam locutionem non recipit nisi excellencia eius, de quo ita loquimur, ut etiam si eum non nominemus, possit intelligi. Ita enim dicimus, Pluit, serenat, tonat, & si qua sunt alia: nec addimus quis id faciat, quia omnium mentibus sponte se offert excellencia facientis. Duos adventus domini credimus: unum praeteritum, quem Iudaei non intellexerunt: alterum futurum, quem utriusque speramus. Et quoniam iste, quem Iudaei non intellexerunt, gentibus profuit, non inconuenienter accipitur de hoc adventu dici, Pro occultis filij, ubi cecitas in Israel ex parte facta est, ut plerumque gentium intraret. Duo etiam iudicia insinuantur per scripturas: unum occultum, & alterum manifestum. Occultum iudicium est poena qua quisque aut excercetur ad purgationem, aut admonetur ad conuersionem, aut si contempserit, excrucietur ad damnationem. Iudicium autem manifestum est, quo venturus est dominus iudicare viuos & mortuos. Qui non corriguntur isto occulto iudicio, digne punientur illo manifesto. In hoc autem psalmo obseruanda sunt occulta filij, id est, humilis eius aduentus, qui profuit gentibus, cum cecitate Iudaeorum, & poena qua nunc occulte agitur nondum damnatione peccantium, sed aut excercitatione conuersorum, aut admonitione ut conuertantur, aut cecitate, ut damnationi preparentur. Dicatur ergo voce filij: dicatur voce omnium perfectorum ad Patrem.

Matth. 3. & 17. Ioan. 8. Ioan. 1. Ioan. 1. Act. 1. Matth. 16. & 25. Act. 13. Roma. 11. Matth. 12. & 25. Isai. 6. Sapien. 1. 2. Cor. 4. 1. Corin. 4.

PSALMVS IX.



CONFITEBOR tibi domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua. Ac si aperte dicat, Laudabo te in toto corde meo, corde integro, corde perfecto. Beatus homo qui de toto corde suo nihil retinet sibi, sed totum expendit in laudem Dei. Tantum Deus laudari debet, quantum & diligi. Sicut ergo diligendus est ex toto corde, tota anima, totis viribus: sic & laudandus est. Et sicut nulla tribulatio, nulla angustia, nulla creatura debet nos separare a charitate Dei: ita nec a laude Dei. Qui talis est, idoneus est dicere: Confitebor tibi domine in toto corde meo. Sed si laudandus est dominus, nonne & praedicandus? Ideo subiunctum est, Narrabo omnia mirabilia tua. Omnia quidem tam visibilia quam inuisibilia, tam spiritualia quam corporalia, tam ea quae circa corpus visibiliter facis ad nutriendam fidem, quam ea quae inuisibiliter circa animam agis ad donandam aeternam salutem. Quare narrantur mirabilia Dei: Ut ex operibus agnoscamus auctorem, ex mirabilibus admiremur mirabilem: & ita excitemur ad cognoscendum & amandum dominum. Et ita contemptis temporibus spem nostram & gaudium nostrum constitua- mus in ipso, sicut iste vir sanctus, qui subdendo ait: Letabor & exultabo in te, psallam nomini tuo altissime. Letabor (inquit) in te, non in seculo, non in con-

Deute. 6. Matth. 22. Luc. 10. Roma. 8. Rom. 1.

numm. tuarum. Per opera manuum Dei intelliguntur angeli, eo quod sub- lius & dignius caeteris creaturis a domino facti sunt. Et quia non solum an- gelicam naturam possidere, sed & humanam post lapsum redimere & sub- iicere sibi dignatus est, recte subiungitur, Omnia subiecisti sub pedibus eius. Quae omnia exponit: Oues & boues: uniuersus. Per oues simplices qui que in sancta Ecclesia intellecti sunt, qui more ouium sub regimine pastorum simpliciter atque humiliter viuunt. Per boues vero ipsi rectores designan- tur, qui verbo doctrinae corda hominum exarare & excolere non cessant, ut de terrenis mentibus fructum spiritualem domino reddant. Oues ergo & boues uniuersas sibi dominus subiecit, quia omnes electos tam subie- ctos quam praelatos in sancta Ecclesia disponit & regit. Et quia hic mali cum bonis admiscetur, bene dereprobis subditur, Insuper & pecora cam- pi, volucres caeli & pisces maris. Quod, Insuper, dicit, ad differentiam bono- rum & malorum ponit: hoc autem Insuper non solum ad pecora campi, sed etiam ad volucres caeli & pisces maris reportandum est. Pecora campi accipiuntur homines in carnis voluptate gaudentes, ubi nihil arduum, ni- hil laboriosum ascendit. Campus est enim lata via, quae ducit ad interitum. In campo Abel occiditur. Volucres caeli sunt elati, qui cogitatione & locu- tione tumidi, dum caeteros se inferiores pensant, mente quasi in altum vo- lant. De quibus dicitur, Labia nostra a nobis sunt, quis noster dominus est? Pisces maris sunt curiosi, Qui perambulant semitas maris. Id est, inquirunt in profundo huius seculi temporalia, quae tanquam semitae in mari cito euane- scunt & intereunt. Et non ait, Ambulant, sed, Perambulant: ostendens per- tinacissimum studium, inania & praeterfluentia quarentium. Haec autem tria genera vitiorum, id est, voluptas carnis, & superbia, & curiositas, om- nia peccata concludunt, quae a Ioanne Apostolo enumerantur, cum dicit: Nolite diligere mundum, quoniam omnia quae in mundo sunt, concupiscen- tia carnis sunt, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi. Per oculos enim curiositas solet intelligi. Et his tribus tentationibus dominus ten- tatus est: & quum non potuit apud eum valere inimicus, hoc de illo dicitur, Postquam compleuit omnem tentationem diabolus. Et quia tam mi- rabilis est dominus, quod infantes erudit, astutos destruit, peccatori- bus miseretur, sanctos visitat, angelos possidet, homines con- tinet, omnem creaturam sibi subiecit: ipsum qui est principium & finis, laudemus in prin- cipio & in fine; & nunquam a lau- de eius cessemus, dicen- tes: Domine domi- nus noster, &c.

Ioan. 10. & 21. Heb. 13. Matth. 23. 1. Pet. 3. Math. 18. & 28. Matth. 13. Gene. 4. Matth. 23. Matth. 7.

Psal. 11. 1. Ioan. 2. Ibidem. Ephe. 6.

Matth. 4. Luc. 4.

TITVLVS

cupiscen- iis carnis, non in voluptatibus mundi, quod est vanitas : sed in te qui es veritas. Gaudium huius seculi ad interitum ducit, sicut scriptum est, *Eccle. 1.* Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis. Gaudium verò quod in Deo est, in hac quidem vita inchoat, sed in æternum perdurat: sicut ipse dominus discipulis suis ait: *Luc. 6.* Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Et sciendum quia lætitia ad mentem pertinet, exultatio ad corpus, Psalmus ad bonam operationem. Sit ergo lætitia spiritualis in mente, sit sancta hilaritas in corpore, concordet divina laus cum bona operatione, & impletur quod dicitur, Lætabor, & exultabo in te, psallam nomini tuo altissime. *In conuertendo inimicum meum retrorsum: Infirmabuntur, & peribunt à facie tua.* Hic incipit enarrare ea quæ sentit de occultis filij. Quando tentatus est dominus, retro conuersus est inimicus. *Matth. 4.* Dicitur est illi: Vade retro Sathana: scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Tunc qui tentando se præponere cupiebat, retrò est factus, non decipiendo tentatum, sed in eo nihil valendo. *Luc. 4.* Conuersus est igitur inimicus, postquam non valuit hominem cælestem decipere tentatum: & se ad terrenos conuertit, vbi dominari potest. *Matth. 16.* Quapropter nullus eum præcedit hominum, & retrò eum esse facit, nisi qui deponens imaginem terreni hominis, portauerit imaginem cælestis. Diabolus quippe retro conuersus est etiam in persecutione iustorum. Et multo vtilius persecutor est, quàm si dux & princeps præiret. Malle debemus eum persequentem fugere, quàm ducem sequi. Habemus enim quò fugiamus, & abscondamur in occultis filij, quia dominus refugium factus est nobis. Et quia multi sunt ministri & membra diaboli, rectè in plurali numero dicitur, *Sapient. 2.* *Infirmabuntur, & peribunt à facie tua.* Infirmatus est diabolus cum suis ministris, quando potestatem, quàm in humano genere habuit, amisit. *1. Cor. 15.* Peribit verò, quando in ignem mittetur æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Rectè autem dicitur est: Peribunt à facie tua: quia scriptum est, Tollatur impius ne videat gloriam Dei: vel quia retro conuersus est inimicus, ideo iniusti & impij infirmabuntur ab operibus suis malis, & peribunt ab impietatibus suis, à facie, id est, à cognitione tua. Et merito: *Quoniam fecisti iudicium meum, & causam meam: sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam.* Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Ipse in Christo, tanquam in throno suo, iudicabat Iudæos iudicantes Christum. Illi iudicabant manifeste, ille occultè. Deprehensi sunt, secundum quod ipse dominus ait: *Job. 5.* Comprehendam sapientes in astutia eorum. Nam iudicio & consilio suo putauerunt egisse, vt nomen Christi deleteretur de terra: & eo ipso iudicio egerunt, vt Christi nomen admirabile fieret in vniuersa terra. *Ioan. 11.* Iudicium ergo illud, quo ab impiis iudicatus est, & illa causa qua iustus & innocens damnatus est, non fuit eorum, sed Christi: quia illis nocuit, Christo profuit: & miro modo eorum prauis voluntatibus Christus quod voluit fecit. Hoc autem quod ait, Qui iudicas iustitiam, ad differentiam eorum dicitur est, qui iudicauerunt iniqui

iniquitatem. Et quia damnato diabolo & membris eius, gentes conuerse sunt ad Christum, aperte subiunctum est: *Ioan. 12.* *Increpasti gentes, & perit impius: nomen eorum delesti in æternum, & in seculum seculi.* Alpetè increpandi erant, qui diu in iniquitatibus perseverauerant. Dura increpatione feriendi erant, qui contempto creatore idola adorabant. Et bene dictum est, Perit impius: quia de impio factus est pius. Ille ab eo quod erat perit, qui incipit esse quod non fuit. Hinc scriptum est, Verte impios, & non erunt. Nomen eorum deletum est in æternum, quia non vltra dicuntur Pagani, sed Christiani: Fornicatores erant, facti sunt casti: iracundi erant, facti sunt mansueti: auari erant, facti sunt largi: iniusti erant, facti sunt iusti. Nomen ergo eorum deletum est in æternum & in seculum seculi, vt neque in hoc seculo, neque in futuro reputentur idololatæ vel iniqui si veraciter conuersi fuerint. *Inimici defecerunt frameæ in finem, & ciuitates eorum destruxisti.* Frameæ inimici diuersæ opinionès erroris intelliguntur, quibus tanquam gladiis animæ perimuntur. Istæ frameæ in finem, hoc est, ex toto deficiunt, cum hi qui aliquo errore seducti erant, ad fidem redeunt. De quibus Apostolus dicit, Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Vt filij lucis ambulate: fructus enim lucis est, in omni bonitate & iustitia. Et quia ablato errore destruantur vitia & peccata, rectè dicitur: Et ciuitates eorum destruxisti. Ciuitates in quibus diabolus regnat, sunt illi in quibus dolosa & fraudulenta consilia, tanquam curiæ locum obtinent. Cui principatui, tanquam satellites & ministri, ad sunt officia membrorum: oculi ad curiositatem, aures ad lasciuiam: manus ad rapinam, & membra cætera peruersis consilijs militantia. Huius ciuitatis quasi plebs sunt omnes delicatæ affectiones, & turbulenti motus animi, quotidianas seditiones in homine cogitantes. Ergo vbi Rex, vbi curia, vbi ministri, vbi plebs inuenitur: ciuitas est. Nec enim talia essent in malis ciuitatibus, nisi prius essent in singulis hominibus, qui sunt tanquam elementa & semina ciuitatum. Has ciuitates destruit, cum excluso inde principe (de quo dictum est Princeps huius seculi foras missus est) vastantur hæc regna verbo veritatis, sopiuntur maligna consilia, turpes affectiones edomantur, membrorum & sensuum ministeria captiuantur iniusta, & ad bonorum operum militiam transferuntur: vt iam (sicut Apostolus dicit) Non regnet peccatum in nostro mortali corpore, vt obediamus concupiscentiis eius: nec exhibeamus mēbra nostra ad seruiendum peccato. Tunc pacatur anima, & ordinatur homo ad quietem & ad beatitudinem capeſſendam: vnde & statim subditur, *Perit memoria eorum cum sonitu: & Dominus in æternum permanet.* Magnus strepitus fit, cum impietas euertitur atque destruitur. Non enim transit ad summam pacem vbi summum silentium est, nisi qui magno strepitu prius cum suis vitiis belligerauerit. Tunc efficitur homo regnum pacatissimi Deo, cum sic in eo tumultus vitiōrum destruitur, vt eorum memoria penitus deleatur. Et ibi dominus permanet in æternum, vbi iam iniquitas

aut foris per actionem, aut intus per cogitationem nullum inuenit locum, vel iuxta historiam impiorum memoria cum sonitu periit quia clamor & scruitia persequentium Christum penitus acquieuit. Nam ubi sunt, qui cum tanto strepitu clamabant, Crucifige crucifige? ubi sunt persecutores martyrum? Quis vel eorum reminiscitur? Putauerunt extinguere nomen Christianum. Perierunt ipsi, & Dominus permanet in æternum. *Parauit in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iustitia.* Thronus Dei, filius est patris. Vnde scriptum est, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Hunc parauit Deus, quia incarnari misit, ut in forma serui iudicaretur, pateretur, resurgeret, regnaret: & qui iudicatus est in occulto, palam iudicaret, non iniquè & iniuste (sicut sæpe iudicant homines, qui dum alios plus, alios minus diligunt, ab æquitate iudicii nonnunquam dissiliunt: & dum secundum facta, non secundum corda iudicant, iustitiæ rectitudinem plerumque non seruant) sed sicut æquus & iustus iudicabit orbem terræ in æquitate, nemini parcens, omnibus æqua retribuens. iudicabit populos in iustitia, testimonium perhibente conscientia & cogitationibus accusantibus seu defendentibus: *Et factus est Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Quantumlibet persequatur inimicus ille qui conuersus est retrò, quid nocebit ei cui refugium factus est Dominus? Sed sic hoc fiet, si propter Christum pauper esse delegerit, nihil amando quod vel hic uiuentem aut amantem deserit, vel à moriente deseritur. Tali enim pauperi refugium factus est Dominus. Nec adiuuat pauperem suum mox, ut tribulari ceperit: sed tunc tantum quando tempus opportunum esse cognouerit. Quem enim diligit corripit Dominus, & flagellat omnem filium quem recipit. Hos probat in tribulatione, adiuuat in opportunitate. Et ideo *Sperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.* Quærentem quippe animam ubi figat spem, cum ab hoc mûdo auellitur, opportunè excipit cognitio nominis Dei. Nam nomen ipsum Dei usquequaque vulgatum est: cognitio autem nominis est, cum ille cognoscitur cuius est nomen. Quia ergo Deum iam cognouimus per fidem, figamus in illo nostram spem, quæramus eum per dilectionem: ut cum inuenerimus, cum ipso permaneamus. Non enim quærentes se deserit, imo possidendo custodit, custodiendo glorificat, atque cum eis in æternum regnat. Vnde nos admonet propheta sanctus domino nostro psallere, atque eius gratiam omnibus prædicare. Ait enim, *Psallite domino qui habitat in Syon, annunciate inter gentes studia eius.* Psalmus quippe dictus est, ubi fit consonantia vocis cum organo. Et in psalmo duo intelligimus: vocem laudis, & consonantiam operis. Ille verò veraciter psallit, qui sic Deum laudat, ut rectè uiuat. Ipse autem Dominus habitat in Syon (quod interpretatur speculatio) & gestat imaginem Ecclesiæ, quæ nunc est sicut Ierusalem, gestat imaginem Ecclesiæ quæ futura est, id est ciuitas sanctorum iam angelica vita fru-

fruentium: quia Ierusalem interpretatur visio pacis. Præcedit autem speculatio visionem, sicut ista Ecclesia præcedit eam quæ promittit ciuitatem æternam & immortalem. Et agimus hic speculationem, ut perueniamus ad visionem. Præcipitur ergo nobis ut psallamus Domino qui habitat in Syon, ut concorditer Dominum Ecclesiæ inhabitatorem laudemus, & annunciemus aliis studia sanctæ prædicationis. Debemus enim Dominum nostrum opere laudare, mente contemplari, voce prædicare: ut ad eius laudem simul in nobis consonent lingua, conscientia, & vita. Propter eos autem qui persecutionem patiuntur propter verbum Dei, quod annunciant: sequitur consolatio, cum subinfertur: *Quoniam requirens sanguinem, eorum recordatus est.* Id est, veniet vltimum iudicium, ubi & interfectorum gloria, & interficientium pœna manifesta sit. Quod autem ait, Recordatus est, nemo ita positum putet, quasi obliuio cadat in Deum. Sed quia post longum tempus futurum est iudicium, secundum affectum infirmorum hominum positum est, qui quasi oblitum Deum putant, quia non tam citò facit vindictam, quàm ipsi volunt. His dicitur etiam quod sequitur. *Non est oblitus clamorem pauperum.* Quis est iste clamor pauperum, quem Deus non obliuiscitur? sequitur & dicitur: *Miserere mei domine, vide humilitatem meam de inimicis meis.* Quare ergo non dixit, miserere nostri domine, & vide humilitatem nostram de inimicis nostris: non tanquam multi pauperes clamant, sed tanquàm vnus. An quia vnus nunc interpellat pro sanctis, qui primus pauper pro nobis factus est, cum esset diues? Affliguntur ab inimicis membra eius in terra, & ipse clamat pro eis in celo. Ipse etiam dicit, *Qui exaltas me de portis mortis, ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filie Syon.* Exaltatur enim homo in illo, non solum quem gestat, qui caput Ecclesiæ est: sed etiam quisquis nostrum est in cæteris membris, exaltatur ab omnibus prauis cupiditatibus, quæ sunt portæ mortis, quia per illas itur ad mortem. Sunt autem portæ filie Syon, omnia optima studia in sancta Ecclesia, per quæ venit ad visionem pacis. In iis portis bene annunciatur vniuersæ laudes Dei. Deinde sequitur: *Exultabo in saluari tuo.* Salutare Dei dominus est noster Iesus Christus, per quem saluati sumus, qui corda nostra de vana lætitia huius seculi transtulit, ut in ipso veraciter gaudeamus: Sed hoc nostrum gaudium adhuc in spe est, non in re. Affligimur enim à malis hominibus quandiu hic viuimus: de quibus subiunctum est: *Infixæ sunt gentes in interitum quem fecerunt.* Attende quemadmodum seruetur pœna peccatori de operibus suis, & qui voluerint persequi Ecclesiam, in eo interitu sunt infixi, quem se inferre arbitrabantur. Nam cum interficere corpora cupiebant, ipsi in anima moriebantur. De quibus adhuc subditur: *In laqueo isto, quem absceperunt, comprehensus est pes eorum.* Laqueus occultus dolosa est cogitatio: pes animæ intelligitur amor, qui cū prauus est, vocatur cupiditas: cū autè rectus, dilectio vel charitas. Amore enim mouetur tanquam ad locum quò tendit. Locus autè animæ non

mae non in spatio aliquo est, quod forma occupet corporis: sed in delectatione, quò se peruenisse per amorem lætatur. Pes ergo peccatorum, id est, amor, cõprehenditur in laqueo quem occultat: quia cum fraudulentam actionẽ cõsecuta fuerit delectatio (cum eos tradidit Deus in cõcupiscentias cordis eorum) iam illa delectatio alligat eos, vt inde abrumpere amorem, & ad vtilia transferre non possint. Rectè ergo subiunctum est: *Cognoscetur dominus iudicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Hæc sunt iudicia in quibus cognoscetur dominus, quòd ipsa sua opera quæ facit praua, accusant, iudicant, conuincunt, puniunt peccatorem. Non quærit alios testes, nisi vitam & conscientiam. Hoc est autem iustum omnipotentis Dei iudicium, vt vnusquisque recipiat secundum quod gessit in corpore, siue bonum siue malum. Hic interponitur canticum diapsalmatis, quasi occulta lætitia separationis, quæ nunc fit non locis, sed affectionibus animorum inter peccatores & iustos, sicut granorum à paleis adhuc in area. Et sequitur: *Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliuiscuntur Deum.* Illis enim qui in suis peccatis perseverant, quia nolunt conuerti ad Deum, necesse est vt conuertantur in infernum: & dignè ibi sentiant pœnam, qui hinc negligunt emendare culpam. Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit eos in reprobum sensum. De talibus in quodam loco: *Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis. Et ego irritabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos. Sed illis percuntibus & in obliuionem à Deo traditis, nunquid & eos obliturus est Deus, qui cum per fidem cognouerunt, & pro eius amore seculum contempserunt, & pressuram in mundo habuerunt? Absit. Nam subditur: *Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: Patientia pauperum non peribit in finem.* Modò quasi obliuio pauperum fit, quandiu eos à tribulatione quam tolerant, Dominus non defendit: & eorum patientia quasi perire cernitur, cum de ea nulla nunc gloria recompensatur. Sed in finem obliuio pauperum non erit, nec in finem eorum patientia peribit, quia tunc gloria eius percipitur, cum simul omnia laboriosa terminantur. Ex verbis autem quæ sequuntur, mentionem facere de Antichristo videtur, cum subiungit:*

1. Ioan. 4. Exurge Domine, non confortetur homo: iudicentur gentes in conspectu tuo. In tantum enim confortabitur homo ille peccati, vt in templo Dei sedeat, & etiam Deum se nominet, atque multos ad se conuerti faciat. Contra hunc ergo exurgere dominum Propheta postulat, atque eos qui credituri sunt in eum, iudicio suo condemnare. De quo adhuc subiungit: *Constitu domine legislatorem super eos: sciant gentes quoniam homines sunt.* Bene eum legislatorem nominat, quia allaturus est legem suam, quomodo Christus suam: atque in nomine suo prædicaturus, quomodo in nomine suo prædicauit Christus. Quod autem ait, *Sciãt gentes quoniam homines sunt,* postulat vt hi qui credituri sunt in eum, recognoscant quoniam non secundum Deum, sed secundum hominem ambulat. Et quia ille ad tantum culmen inanis gloriæ

2. Corin. 5.
Matth. 3.
Rom. 1.
Psal. 105.
1. Ioan. 4.
2. Thessa. 2.
Ioan. 5.
1. Timo. 4.

gloriæ venturus creditur, & tanta ei licebit facere & in omnes homines & in sanctos Dei, vt tunc vere nonnulli infirmi arbitrentur Deum res humanas negligere: Interposito diapsalmate subiicit tanquam vocem gementium, & querentium cur iudicium differatur. *Ue quid Domine (inquit) recessisti longe?* Deinde qui sic quæsiuit, tanquam repente intellexerit, aut quasi sciens interrogauerit vt doceret, subiicit dicens: *Despicis in opportunitatibus, in tribulatione.* id est, opportune despicias & facis tribulationes ad inflammandos animos desiderio aduentus tui. His enim iucundior est fons ille vitæ, qui multum sitierint. Ita que insinuat consilium dilationis dicens, *Dum superbit impius, incenditur pauper.* Mirum est, & verum, quòd studio bonæ spei paruuli emendantur ad recte viuendum exercitatione persequentium. Quo mysterio agitur, vt etiam hæreses permittantur: non quia ipsi hæretici hoc volunt, sed quia hoc de peccatis eorum diuina prouidentia operatur, quæ lucem facit & ordinat. Tenebras autem tantum ordinat, vt fiat eorum comparatione lux gratior, sicut hæreticorum comparatione iucundior inuentio veritatis. Eorum quippe comparatione probati manifesti fiunt inter homines, qui Deo noti sunt. *Comprehenduntur in consiliis quibus cogitant.* Id est, malæ cogitationes eorum vincula illis fiunt. Sed quare? *Quoniam laudatur peccator in desiderio anima sua: & iniquus benedicitur.* Adulantium linguæ alligant animas in peccatis. Delectat enim ea facere, in quibus non solum non meruit reprehensor, sed etiam laudatur & benedicitur operator. Hinc comprehenduntur in consiliis, quibus cogitant. Nemo gratuletur homini qui prosperatur in via sua, cuius peccatis deest ultor, & adest adulator. Maior hæc ira Domini est. *Irritauit dominum peccator.* Aliàs Exacerbauit, vt ista patiat, & vt correptionis flagella non inferantur. *Secundum multitudinem iræ suæ non queret.* Multum irascitur dum non exquirat, dum quasi obliuiscitur, & peccata non attendit, & per fraudes & scelera ad diuitias honorésque peruenit. Quod maxime in illo Antichristo euenturum est, qui vsque adeò beatus videbitur hominibus, vt etiam Deus putetur. Sed quanta ista sit ira Dei, docent sequentia. *Non est Deus in conspectu eius: inquinata sunt via illius in omni tempore.* Qui nouit vnde sit gaudendum in anima, nouit quantum malum sit luce deserere veritatis: Cum magnum malum homines putent oculorum corporalium cæcitatem, quia lux ista retrahitur: quantam ergo pœnam patitur, qui secundis rebus peccatorum suorum eò perducitur, vt non Deus sit in conspectu eius, & contaminentur viæ eius omni tempore, id est cogitationes & consilia eius immunda sint? *Auferuntur iudicia tua à facie eius.* Animus enim male sibi conscius, dum sibi videtur nullam pœnam pati, credit quòd non iudicet Deus: & sic auferuntur iudicia Dei à facie eius, cum hæc ipsa sit magna damnatio. *Omnium inimicorum suorum dominabitur.* Ita enim traditur, quia omnes Reges superaturus sit, & solus regnum obtenturus. Quando etiam secundum Apostolum, qui de illo prædicat, In templo Dei sedebit, extollens se super omne quod dicitur Deus, & quod colitur. Et quoniam traditus in concupiscentiam cordis sui, & damnationi vltimæ destin

Ioan. 4.
1. Corin. 11.
1. Corin. 11.
Matt. 24.
Dan. 19.
2. Thessa. 2.
Psal. 2.
2. Thessa. 2.

destinatus, per nefarias artes ad illud vanum & inane culmen damnationemque venturus est: propterea sequitur, *Dixit enim in corde suo, Non mouebo-
r à generatione in generationem, sine malo.* id est, fama mea & nomen meum de hac
generatione in generationem posterorum non transiet: nisi artibus malis
adipiscar tam excelsum principatum, de quo posteri tacere non possint.
Animus enim perditus, & bonarum artium expertus, atque à iustitiæ lumine
alienus, malis artibus sibi aditum molitur aperire ad famam diuturnam, ut
apud posteros etiam celebretur. Et qui non possunt bene innotescere, cu-
piunt vel malè de se homines loqui: dum modo nomen eorum latissime per-
uagetur. Quod hic arbitror dictum esse, Non mouebo-
r à generatione in generationem, sine malo. Quid ergo mirum, si etiam homo ille peccati, qui
totam nequitiam & impietatem, quam omnes pseudoprophetae inchoaue-
runt, impleturus est, & tanta signa facturus, ut decipiat si fieri potest etiam
electos, diciturus est in corde suo, Non mouebo-
r à generatione in generationem sine malo? *Cuius maledictione os plenum est, & amaritudine, & dolo: sub
lingua eius labor & dolor.* Per maledictionem aperta cōiicia, per amaritudi-
nem minæ & terrores, per dolum blanda & seductoria verba possunt acci-
pi: quibus in suam partem conuersurus est multitudinem. Bene autem sub
lingua eius labor & dolor esse describitur: quia interiora eius ira, & odio, &
omni mala voluntate replebuntur. Nihil est laboriosius iniquitate & im-
pietate. Quem laborè sequitur dolor quia non solum sine fructu, sed etiam
ad perniciem laboratur. Qui labor & dolor ad illud refertur, quod dixit in
corde suo, Non mouebo-
r à generatione in generationem, sine malo. Et
propterea sub lingua eius, & non in lingua dicitur: quoniam tacite ista cogi-
taturus est, hominibus autem alia locuturus, ut bonus, & iustus, & Dei filius
videatur. *Sedet in insidiis cum diuitibus.* Quibus diuitibus, nisi eis quos huius
seculi muneribus cumulabit? Et ideo in insidiis cum his federe dictus est:
quoniam falsam felicitatem ipsorum ad decipiendos homines ostentabit,
qui praua voluntate dum tales esse cupiunt, & bona aeterna non quærunt, in
illius laqueos incidunt. Et ideo sequitur: *In occultis ut interficiat innocentem.*
In occultis dictum est, vbi non facile intelligitur quid appetendum, quid
ve fugiendum sit. Innocentem autem interficere est ex innocente nocentem
facere. *Oculi eius in pauperem respiciunt.* Illos enim maxime persecuturus est,
de quibus dictum est: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum
caelorum. *Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.* Leonem in abscon-
dito dicit eum, in quo & vis & dolus operabitur. Prima enim persecutio
Ecclesiae violenta cum proscriptionibus, & tormentis Christiani ad sacrifican-
dum cogentur. Altera persecutio fraudulenta, quæ per hæreticos & falsos
fratres acta est. Tertia superest per Antichristum ventura, qua nihil est pericu-
losius: quia & violenta erit, & fraudulenta. Vim habebit in imperio, do-
lum in miraculis. Ad vim relatum est cum dicitur, leo: ad dolum, cum dicitur,
in abscondito. Et rursus ipsa repetita sunt eodem ordine. *Insidiatur (in-
quit) ut rapiat pauperem.* Hoc ad crudelitatem pertinet. Quod autem sequi-
tur: *Rapere pauperem dum attrahit eum:* dolositati deputatur. Rapiet sequendo,

attra

attrahet blandiendo. *In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se, & cadet, cum do-
minatus fuerit pauperum.* Laqueus significat insidias & bene ait, In la-
queo suo humiliabit eum: cum enim signa illa facere ceperit, quanto mi-
rabilia videbuntur hominibus, tanto illi sancti qui tunc erunt, contem-
nentur & quasi pro nihilo habebuntur: quos ille, qui per iustitiam & inno-
centiam resistent, mirificis factis superare videbitur. Sed *Inclinabit se, & ca-
det, cum dominatus fuerit pauperum.* Id est, cum qualiter supplicia irro-
gauerit, resistentibus sibi seruis Dei. Vnde ait, *Inclinabit se, & cadet.* *Dixit
enim in corde suo, Oblitus est Deus, auertit faciem suam ne videat in finem.* Hæc est
inclinatio & casus miserimus, dum animus humanus in suis iniquitatibus
quali prosperatur, & parci sibi putat, cum excæcatur & seruatur ad vltimam
opportunitatemque vindictam: de qua loquitur, cum subiungit: *Exurge domi-
ne Deus, & exaltetur manus tua.* Id est manifesta sit potentia tua. Superius e-
nim dixerat, *Exurge domine,* non confortetur homo; iudicentur gentes in
conspectu tuo. Id est in occulto, vbi solus Deus videt. Hoc factum est, cum
impij ad magnam quæ videtur hominibus felicitatem perueniunt: super
quos constituitur legislator qualem habere meruerunt. Nunc autem post
illam occultam pœnam atque vindictam dicitur, *Exurge Domine Deus,
& exaltetur manus tua:* non vti que in occulto, sed iam in manifestissima glo-
ria. *Ne obliuiscaris pauperum.* Sicut impij putant qui dicunt, Oblitus est Deus,
auertit faciem suam, ne videat in finem. Laborans ergo Ecclesia illis tem-
poribus, tanquam naus in magnis fluctibus & procellis, tanquam dor-
mientem excitat dominum, ut imperet ventis, & tranquillitas redeat. Iam-
que manifestato iudicio intelligentes & exultantes dicunt: *Propter quid irri-
tauit impius Deum?* id est, quid profuit ei tanta mala facere? *Dixit enim in cor-
de suo, Non requireret.* Sed non est ita, ut ipse cogitauit. Nam, *Vides quoniam tu la-
borem & dolorem consideras:* iustorum. *Ut tradas eos (hoc est impios) in manus tuas.*
Id est, in potestatem iudicij tui. Non te later illorum malitia, nec manus
tua cessabit à vindicta. *Tibi derelictus est pauper.* Ideo enim pauper est, id est,
omnia huius mundi contempsit, ut tu sis tantum spes eius. Ille pauper illis
ad tempus est concessus ad puniendum, tibi in fine derelictus ad glorifi-
candum. *Orphano tu eris adiutor:* cum impius fuit persecutor. *Contere bra-
chium peccatoris* (id est potentiam) *& maligni: queretur peccatum illius, & non in-
uenietur.* Iudicabitur ipse peccato suo, & peribit ipse propter peccatum
suum. Timeant ergo peccatores & maligni, quia conteret eos Deus, &
malignitatem eorum ad nihilum rediget. Consolentur pauperes & orpha-
ni Christi, quoniam suscipiet eos Deus, atque post laborem ad aeternam
quietem perducet. *Dominus regnabit in aeternum & in seculum seculi: peribit gen-
tes de terra illius.* Non regnabit dominus terreno imperio; sed caelesti. Nam
terrenum regnum transitorium est & caducum. Transibit hoc regnum:
transibit hoc seculum. Succedet aliud regnum, & aliud seculum, in quo
Dominus regnet in aeternum. Quæ est autem terra illius, nisi sancta Ec-
clesia? Tunc vera, firma, & stabilita, quando mortale hoc induerit im-
mortalitatem, & corruptibile hoc induerit incorruptionem. De qua terra

e

Math. 24.

Rom. 6.

2. Thessa. 2.

Math. 5.

Math. 8.
Mat. 4.
Luc. 8.Luc. 1.
Dan. 7.
Mat. 24.
Luc. 21.

1. Corint. 15.

peribunt gentes & impij, id est peccatores, de quibus in alio psalmo dicitur: Non sic impij non sic, sed tanquam pulvis quem proiicit ventus à facie terræ. Quia enim nullum virtutis pondus habebunt, ad illam beatam stabilitatem peruenire non poterunt. vnde scriptum est, Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Et tunc implebitur, quod subinfertur: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Illud scilicet desiderium, quo æstuabant, cum in angustiis & tribulationibus huius seculi, Domini diem concupiscerent. Et hoc desiderium præparatio cordis eorum erat. Vnde secutus adiungit: *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Hæc est cordis præparatio, de qua in alio psalmo canitur: Paratum cor meum Deus. De qua dicit Apostolus, Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. Aurem autem Domini, non membrum corporeum, sed misericordiam eius, quæ nos exaudit, debemus accipere. Et quod est illud desiderium pauperum quod exauditur est Dominus? nisi ut veniat iudicare pupillo & humili. Id est, non ei qui conformatur huic seculo, sed qui omnia contemnit propter Deum, & se pulverem esse ac cinerem agnoscit. Aliud est autem iudicare pupillum, aliud iudicare pupillo. Iudicat pupillum, etiam qui condemnat: iudicat autem pupillo, qui pro illo profert sententiam. Est ergo desiderium pauperum, ut veniat finis seculi, & fiat iudicium Dei: ut separatis iustis ab impiis, iam non ultra præualeant mali nocere bonis. Et hoc est quod sequitur: *Ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.*

Psal. 1.

Isa. 26.

Psal. 107.

Roma 2.

Rom.

Isa. 1.

Matth. 13.

& 23.

TITVLVS PSALMI X.

TITVLVS psalmi sequentis est, In finem psalmus David. Præsens persuasio est David, id est, illorum qui in fide perfecte fundati sunt, qui propter scientiam scripturarum, & quia viriliter resistunt contra hæreticos, merito dicendi sunt David. David (dico) dirigentis minus fundatos in fide, minusque eruditos in scripturis, In finem, id est, ad hoc ut instituta & præcepta Christi sint eis finis & sufficientia ad defendendam fidem contra hæreticos. Est autem intentio illorum inuitare alios, ut totam fiduciam suam defendendi se contra hæreticos ponant in Deo, qui verus est finis. Textum ergo psalmi videamus. Aduersus hæreticos cauendum, qui commemorando & exaggerando vitam multorum in Ecclesia peccatorum, quasi apud ipsos iusti sint, ab vniuersa Ecclesia matris vtero & uberibus nos auertere atque abrumpere moliantur: affirmantes quod apud ipsos sit Christus, & quasi pie studiosèque monentes, ut ad eos transeundo, transmigramus ad Christum, quem se habere mentiuntur. Notum est autem Christum in prophetia, cum nominibus insinuaretur, allegoricè etiam montem appellatum. Respondendum est itaque istis, & dicendum.

Matth. 24.

P S A L M

P S A L M V S X.

IN Domino confido: quomodo dicitis anima mea, Transmigre in montem sicut passer? Ac si diceret: Cum tantum montem habeat anima mea, in quo fiduciam suam ponat, ut est Christus: qua ratione dicitis, ut ad alium montem transeat sicut passer, id est tanquam cauta & astuta? Vnum montem teneo, in quo confido. Quomodo dicitis ut ad vos transeam, tanquam multi sint Christi? Aut si vos montes esse dicitis per superbiam, oportet quidem esse passerem pennatum virtutibus & præceptis Dei. Sed ea ipsa prohibent volare in istos montes, & in superbis hominibus spem collocare. Habeo domum vbi requiescam, quia in domino confido. Nam & passer inuenit sibi domum: & factus est dominus refugium pauperi. Dicamus ergo tota fiducia, ne cum Christum quærimus apud hæreticos, amittamus: In domino confido. Docemur ergo his verbis versutas hæreticorum cauere sententias. Vnde & subditur: *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum.* Id est, sanctam scripturam suis erroribus & suis sensibus applicauerunt. Quæ scriptura rectè arcus dicitur: quia sicut ex arcu exit sagitta feriens, ita de scriptura procedit sententia cor percutiens. *Parauerunt sagittas suas in pharetra.* Id est, aptauerunt sententias suas venenatas in ipsa sancta scriptura, quæ ita in se continet sententias, quomodo pharetra sagittas: ad hoc scilicet parauerunt, *Ut sagittent in obscuro rectos corde.* Id est, ut rectos fide percutiât in obscuris sententiis. Vel in obscuro, id est, in hoc quod sacræ scripturæ minus capaces sunt, & quod in fide minus fundati. Obscuritas enim cordis est ignorantia. Et quia ab istis tale periculum eminet, dicendum est. In domino confido. Et ideo necessarium est, ô domine, ut in te confidatur, & ad tuum auxilium recurratur. *Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt.* Id est fidem, quæ quamuis vna sit, tamen de diuersis habetur: ut de humanitate, & diuinitate, & de præteritis, & præsentibus, & futuris: & ideo pluraliter enunciatur, quia de pluribus constat. Quam fidem perfecisti, id est perfectam & integram cordibus fidelium gratia tua inspirasti, & doctrina intonasti, destruxerunt, quantum in ipsis fuit, & denegauerunt. Hæc conuersio propter attestacionem facta est. Talia facere machinantur peccatores. *Iustus autem quid fecit?* Id est, dominus qui vtranque partem iuste agit, nihil mali dimittendo impunitum, nihil boni inremuneratum, quid fecit? Et hæc interrogatio non fit ex ignorantia, sed ut doceatur infirmorum imperitia. Dominus fecit quod suum erat: vnde facta interrogacione respondetur, *Dominus in templo sancto suo, Dominus in celo sedes eius.* Ipsi sunt templum Dei in quibus habitat dominus per fidem. Vnde Apostolus ait, Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Illi verò qui post fidem proficiunt ad contemplacionem, non solum templum sunt, sed etiam cælum. Quos designat Apostolus, cum dicit, Nostra autem conuersatio in cælis est. In illis residet Dominus tanquam in celo. Ex quibus verbis ostenditur quod nec maiores pro minoribus deserit Dominus, nec pro maioribus minores contemnit. Vnde bene subditur, *Oculi*

Isa. 2.
Psal. 67.Psal. 83.
Psal. 9.
Ephes. 5.
Hebr. 13.

Matth. 4.

Ioan. 1.
Hebr. 11.
Psal. 118.
Acto. 1.

Ioan. 5.

Isa. 66.
Psal. 13 &
18. 67. 101.
112.1. Corint. 6.
2. Corint. 6.
Philip. 3.

eius in pauperem respiciunt. Id est, respectus misericordiae suae non aueritur ab homine paupere, tali scilicet de quo scriptum est, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Et non est mirum, si iustus dominus pauperes, qui in illo confidunt, inhabitat: & sapientes, qui eius fidem annunciant, inhabitando illustrat: & eos qui elati sunt, per errorem excæcat. Quoniam *Palpebræ eius interrogant filios hominum.* Scripturæ sacræ, quæ clauduntur in locis, aperiuntur in locis, tanquam palpebræ sunt Dei: quæ interrogant, id est, probant filios hominum, utrum fatigentur rerum obscuritate, an exerceantur: utrum insentur rerum cognitione, an confirmentur. Et hoc manifestius dicit, cum subiungit: *Dominus interrogat iustum & impium.* Id est, probat bonum & malum. Sed quod iustus est, habet à Deo: quod verò impius, à semetipso. Quomodo iniquitatem diligendo, & sic semetipsum odiedo. Et hoc est quod dicit: *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.* Quo contrà ille veraciter semetipsum diligit, qui peccatum odit. *Pluit super peccatores laqueos.* Eadem scripturarum infusio pro suo cuiusque merito, & peccatori pluuia laqueorum, & iusto pluuia vbertatis est. Cum enim male intelligitur, Pluit super peccatores dominus laqueos: cum autem bene, fecundat pectora piorum atque fidelium. Eadem ergo bona & bonis profunt, & malis obsunt. Vnde Paulus dicit, Alii sumus odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam. *Agnus, sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Hæc pœna est atque exitus eorum, per quos blasphematur nomen domini, ut prius igne cupiditatis vastentur, deinde fetore operum quasi sulphure occupentur, ad vltimum cum spiritibus malignis in aeterno igne comburantur. Et hæc est pars calicis, id est, tribulationis eorum: ut sicut iusti in partem suam recipiunt vitam aeternam: ita impij pro parte sua recipiant damnationem perpetuam. Calicem autem propterea puto appellatum, ne quid præter modum atque mensuram vel in ipsis peccatorum suppliciis per diuinam providentiam fieri arbitremur. Et ideo tanquam rationem reddens, quare id fiat, subiungit: *Quoniam iustus dominus, & iustitias dilexit.* Non frustra pluraliter posuit iustitias. In multis enim iustis quasi multæ iustitiæ videntur esse, cum sit vna Dei, cuius omnes participantur. Propterea rursus ad singularitatem se refert, dicendo *Aequitatem vidit vultus eius.* Sic est in se iustus dominus, ut in nobis suas iustitias diligat. Qualis ipse est, tales nos omnes esse desiderat. Vnde nos admonet dicens: Estote sancti, quoniam ego sum sanctus. Serua iustitiam & etis similis domino, & diliget te iustus, dominus iustus. Quod si iustitiam negligis, non tamè impunitus eris. Nam sequitur, *Aequitatem vidit vultus eius.* Et in bonis & in malis videt aequitatem severitas vultus Dei. Est autè æquitas, ut bona bonis, & mala retribuatur malis. *Æquitas est, ut factis digna rependat.* Quod ergo ait, *Iustus dominus, & iustitias dilexit ad recte viuendi pertinet ordinem:* quod subiungit, *Aequitatem vidit vultus eius: ad cuiusque operis pertinet remunerationem.*

Math. 5.
Luc. 6.
Osee 13.
Ioan. 12.
Ioan. 11.
3. Corint. 2.
Rom. 2. ex
Isa. 52. &
Ezech. 36.
Math. 25.
Ioan. 5.
Leuit. 19.
Math. 11.

TITVLVS PSALMI XI.

DE O tituli præponuntur psalmis, quoniam in titulis ostenditur quid in textu psalmorum contineatur. Titulus huius psalmi est. In fine, pro octaua Psalms David. Iste psalmus est David, id est, perfectæ animæ tendentis in finem id est, in Christum. Et in hoc psalmo agens & orantis pro octaua quod intelligitur pro aeterno seculo, quod post hoc tempus (quod septem diebus voluitur) dabitur sanctis. Agitur autem in hoc psalmo de sanctorum defectu, & diminutione veritatis, de aduentu Christi & claritate diuina eloquentia, de salute iustorum & interitu reproborum. Iste ergo vir sanctus videns mundum positum in malignitate, & nos in multis constitutos miseris, formam orandi nobis proponere intendit: quatinus suo exemplo sic per temporalia transeamus, ut ad aeternam vitam pertingamus. At ergo.

Apoc. 1.
1. Ioan. 5.

PSALMVS XI.

SALVVM me fac Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum. Ad illud tempus videtur prospicere, quo non erat dux neque propheta in Israël: & vnusquisque quod bonum erat in oculis suis, faciebat. Vnde in Osee dicitur: Diebus multis sedebunt filij Israël sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine sacerdotio, sine manifestationibus. Quod autem ait, Diminutæ sunt veritates: Non ideo ait, quod veritates diuersæ sint, quoniam veritas vna est, qua illustrantur animæ sanctæ. Sed quoniam multæ sunt animæ in ipsis multæ veritates dici possunt: sicut ab vna facie multæ in speculis imagines apparent. Vbi autem deficit veritas, ibi necesse est abundet vanitas. vnde & sequitur: *Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum: labia dolosa, in corde & corde locuti sunt.* Proximum omnem hominem oportet intelligi, quia nemo est cum quo sit operandum malum. Et dilectio proximi malum non operatur. Quod bis ait, in corde & corde, duplex cor significat. Ex his ergo verbis ostenditur, filios hominum ita esse à veritate diminutos, ut vanitati & duplici falsitati studerent deseruire. Cuius vanitatis dispersionem & destructionem per aduentum Christi futuram, orando & prophetaando denunciat, cum subiungit: *Disperdat dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam.* Vniuersa dicit, ne quis se exceptum putet: sicut ait Apostolus, In omnem animam operantis malum. Lingua magniloqua est lingua alta & superba loquens. Hæc autem verba competunt superbis, quæ sequuntur: *Qui dixerunt, Linguam nostram magnificabimus: Labia nostra à nobis sunt: quis noster dominus est?* Hoc superbi habent proprium, ut in quantum possunt domini videri appetant: dominium magistratus super se despiciant: magnificè loquantur: quicquid ex suo sensu traxerunt, ex tumore superbiæ quasi ex ratione defendant. Cauendum est ergo nobis vitium loquacitatis & superbiæ, & ne in his quæ à nobis proferimus, velimus pertinaciter permanere: ne (quod absit) ex eorum numero simus, quos propter huiusmodi vitia disperdidit dominus. Superbia enim confusionem habet, sicut e contrario humilitas exaltationem. Scriptum est enim, Quoniam superbis

Psal. 13.
Rom. 3.
Dan. 3.
Osee 3.
Ioan. 14.
Luc. 10.
Math. 22.
Rom. 13.
Rom. 2.
Luc. 18.
Iaco. 4.
Eph. 4.

resistit Deus, humilibus autem dat gratiam. Vnde nunc ex persona Dei patris subiectum est: *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit dominus.* Ipse misericors pater propter inopes & pauperes, id est, inopia & paupertate bonorum spiritualium egentes, filium suum dignatus est mittere. Inde autem incipit sermo eius apud Mattheum in monte, cum dicit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum.* vnde secutus adiunxit: *Ponam in salutari, fiducialiter agam in eo.* Non dicit quid poneret. Sed quia in salutari dixit, id est, in Christo. (secundum illud, *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.*) Ideo illud intelligitur in eo posuisse, quod ad miseriam inopum auferendam, & gemitum pauperum consolandum pertinet. In eo etiam fiducialiter egit, iuxta illud in Euangelio: *Erat enim docens eos tanquam potestatem habens, non sicut scriba eorum.* De cuius potestate Daniel sic locutus est, *Videbam (inquit) in visu noctis, & ecce in nubibus caeli filius hominis veniebat. Et ipsi datus est principatus, & honor, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguae seruient ei. Et potestas eius, potestas aeterna, quae non auferetur: & regnum eius quod non corrumpetur.* De cuius luce eloquentiae subiunctum est: *Eloquia domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum septuplum.* Casta dicit sine corruptione simulationis. Multi enim praedicant veritatem non caste, quia vendunt illam pretio commoditatum huius seculi. De talibus dicit Apostolus, quoniam Christum annuntiarent non caste. Bene autem argento igne examinato comparantur, quia sicut argentum examinatur igne, ut purum & clarum sit: ita nimirum diuina eloquia igne sancti spiritus sunt examinata. Vnde ipse dominus ait, *Verba quae ego loquor vobis, spiritus & vita sunt.* Et idem Psalmista alibi dixit, *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Recte autem probatum terrae dicitur: quia diuinum eloquium a fidelibus sanctae Ecclesiae rectum & verum esse comprobatur. Quod purgatum est septuplum, per timorem Dei, per pietatem, per scientiam, per fortitudinem, per consilium, per intellectum, per sapientiam. Septem sunt etiam beatitudinis gradus, quos in eodem sermone quem habuit in monte, dominus exequitur. *Beati pauperes spiritu, Beati mites, Beati lugentes, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, Beati misericordes, Beati mundo corde, Beati pacifici.* De quibus septem sententiis totum illum sermonem prolixum productum esse animaduerti potest. Nam octava, ubi dictum est, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, ipsum ignem significat, quo septemplex probatur argentum.* Quid autem aduentus Christi cum examinato eloquio perfecit, ostenditur, cum subinfertur: *Tu Domine seruaabis nos, & custodies nos a generatione hac in aeternum.* A generatione hac praua & peruersa nos custodies, ne vita eorum & moribus corrumpamur: & seruaabis in aeternum, ut tecum in perpetuum laetemur: hic nos custodies, tanquam inopes & pauperes: ibi seruaabis tanquam opulentes & diuites. Haec ad electos verba tantum pertinent. Nam de reprobis subiunctum est, *In circuitu impij ambulans secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.* Bene in circuitu impij ambulare dicuntur: quia in temporalium

Ioan. 3.
Rom. 8.
Math. 5.
Luc. 2.
Math. 7.
Marc. 1.
Dan. 7.
Philip. 1.
Ioan. 16.
Ioan. 6.
Psal. 118.
Isa. 11.
Math. 5.
Luc. 6.

poralium rerum cupiditate rotantur, quae septem dierum repetito circuitu, tanquam rota voluitur: & ideo non perueniunt in octauum, id est, in aeternum, pro quo iste psalmus intitulatus est. Ita & apud Salomonem dicitur: *ventilator est enim rex sapiens, impiorum: & immitet illis rotam malorum.* Est & in temporalibus multiplicatio, quae auertit a bonitate Dei. Vnde corpus quod corrumpitur agruat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Multiplicantur autem iusti secundum altitudinem Dei, quando eunt de virtute in virtutem.

1. Reg. 27.
Ezec. 1.
Fronet. 20.
Sapient. 9.
Psal. 83.

T I T V L V S P S A L M I X I I .

TITVLVS huius psalmi est, *In fine psalmus David.* Apostolus dicit, *Finis legis Christus, ad iustitiam omni credenti.* Illi credimus, quando incipimus vitam bonam ingredi. Ipsam videbimus, cum peruenerimus. Et ideo ipse finis psalmus constitutus est ad laudandum Deum. Et quia in his versibus psallitur Deo: ideo non immerito appellatur psalmus: *textus huius operis.* Psalmus autem ex motu digitorum & consonantia vocis solebat fieri. Percutiebatur chordas, resonabat organum. & cum organo pariter ipse verba cantabat. Hoc significat quod in nobis consonare debent bona operatio, & laudatio. Ad hoc nos hortatur iste psalmus, qui inscribitur David, qui personam tenet. Ecclesiae vel cuiuscunque perfecte anime. Igitur vir sanctus intedit in hoc psalmo nos comone re, ut huius exilij mala suo exemplo continere deploremus: & ad visionem caelestis gloriae ardeat anhelemus: & oramus, ne in mortifera peccata corruamus, & ne diabolo nobis insultandi occasionem demus: & de hac constantia, non nobis, sed Deo gratias referamus. In fine quoque ostendit se in domino corde exultare, & ei laudando & bene viuendo cantare & psallere. *Orat ergo sic.*

Roma. 10.
Apoc. 1.

P S A L M V S X I I .

VSQUEQVO domine obliuisceris me in finem? & usquequo auertis faciem tuam a me? Sicut non obliuiscitur Deus, sic nec faciem suam auertit. Sed more nostro scriptura loquitur. Quasi nos obliuiscitur Deus, cum in hac peregrinatione diu nos permittit laborare. Quasi faciem suam auertit, cum a nobis manifestationem suae visionis abscondit. In his ergo verbis duo nobis insinuantur genera compunctionis. Vnum, quo deslere debemus miseriam in qua sumus. Aliud, quo debemus flendo suspirare ad caelestis patriae gloriam, in qua non sumus. Alia quoque compunctionis genera demonstrantur, cum subiungitur: *Quandiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?* Per diem, continuationem significat. Consilio autem non opus est, nisi in aduersis. Consilium in anima per diem ponere, est suggestiones & peccata quibus corrumpitur anima, sollicitudine & continue prauidere atque cauere. Consilium in anima sua ponebat, qui dicebat: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Dolorem vero in corde per diem habere, est de perpetratis malis continuo dolore cor afficere.

Psal. 76.
Mar. 6.
Ierc. 9.
Eccle. 21.
Psal. 118.

Oportet ergo ut in hoc nostro consilio & dolore plangamus praterita, & caueamus futura. Sed quia hæc nobis colluctatio aduersus spiritualia nequitia: & corpus quod corrumpitur, agruat animam: & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem: hos inimicos anima intuens & gemens subiungit, *Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?* Toties exaltatur super nos inimicus, quotiens peccare conuincimur. Dicit Apostolus, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis: hæc ad exaltationem pertinent inimici.* Vnde idem gemens adiungit, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sed quid sequitur? Gratia Dei per Iesum Christum. Hanc gratiam implorat iste, cum dicit: *Respice, & exaudi me domine Deus meus.* Respice, refertur ad id quod dictum est, *Usquequo auertis faciem tuam à me?* Exaudi, refertur ad id quod dictum est, *Usquequo obliuisceris me in finem?* Et bene ait, *Domine Deus meus. Domine, id est, saluator: Deus, id est, creator omnium, Deus per potentiam: meus autem per gratiam.* Vnde & subditur: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum.* Deus est lux cordis nostri, peccatum mors animæ. Vnde scriptum est, *Anima quæ peccauerit ipsa morietur.* Ab hoc somno mortis excitat Apostolus, dicens, *Euigilate iusti, & nolite peccare.* Orandum ergo est nobis, ut ab illo, qui est lux vera, illuminetur oculi nostri cordis, ne unquam in morte peccati per negligentiam dormiamus: nequando nobis insultet hostis antiquus, & dicat se nobis præualuisse, si nos sibi potuerit per peccatum subiicere. Gaudebit enim princeps tenebrarum, si in nobis potuerit perturbare rectitudinis statum. Vnde & subiungit. *Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speraui.* Ad hoc enim nos tribulant, ad hoc innumeris tribulationibus frequenter inquietant, ut à statu rectitudinis nos suis perturbationibus amoueant. In huiusmodi ergo periculis constituti, nec debemus desperare, nec rursus de nostris viribus præsumere. Sed tota spes nostra in ipsius figenda est misericordia, qui potest nos & illuminare, ne erremus: & roborare, ut firmiter stemus. Et quia spes in Deo latitiam cordis generat, rectè subditur: *Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo domino, qui bona tribuit mihi, & psallam nomini domini altissimi.* Tria hic nobis commendat: exultat corde: cantat voce: psallit opere. Ex quibus verbis nobis innuitur perfectio diuinæ laudis. Si enim dominum Deum nostrum purè & perfectè laudare cupimus, totum quod in nobis est, ad eius laudem referre debemus, ut cuncta nostra in eius laude resonent: scilicet vita, lingua, conscientia: tum quia per salutare suum, id est, Christum, nos saluat: tum quia nobis bona temporalia & spiritualia incessanter præstat: tum quia nomen eius est altissimum. Quia enim altiozem & meliorem dominum inuenire non possumus, iustum est, ut in eius laude, amore, seruitio perseueremus.

TITVLVS

TITVLVS PSALMI XIII.

PSALMI huius titulus est idem qui superius. Agit autè de errore Gentium, & de infidelitate Iudeorum, qui dominum Christum Deum esse negauerunt: & ideo ipsi per errorem & morum prauitatem corrupti, & inuitiles facti alios quoque secum corrumpere atque ad errorem suum adducere conati sunt. Quibus à domino reprobatis, in generatione iusta habitare se perhibet, atque de Syon mittere Salutare suum, ut plebem suam conuertat à captiuitate: ut in eo exulteret Iacob & lætetur Israel. Et hæc ideo nobis scripta sunt, ut eorum attendentes dānationem, & fidelium salute: illos cauetes, & istos imitantes, permaneamus in fide domini Iesu, qui est finis & merces nostra: ad quæ cum venerimus, spiritualiter facti Iacob atque Israel, in eo perfectè gaudebimus. Hæc est psalmi huius intentio, atque utilitas. Materia est ipse insipies.

P S A L M V S X I I I.

DLIXIT insipies in corde suo, *Nō est Deus.* Gētilis populus potest intelligi, qui in tantū à naturali lege quā acceperat desipuit, quod ipsum à quo creatus est, dominū esse nō credidit. Vnde Apostolus ait: *Mutauerunt gloriā incorruptibilis Dei in imaginē corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedū, & serpentū.* Propter quod & tradidit eos Deus in passionem ignominia: ut contumeliis afficerent corpora sua in semetipsis. Quibus verbis cōcordant verba quæ sequuntur: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Corrupti sunt in vitiis & peccatis, & abominabiles facti sunt, mutando naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Et bene vitia eorum & peccata vocat studia, quia non ex ignorantia aut ex infirmitate tantum, sed (quod grauius est) ex studio & ex voluntate ea perpetrabant. Ex his non est vnus qui faciat bonum, qui nolūt credere in vnum Deum. Quoniam absque fide impossibile est placere Deo. Vnde ipsa Veritas dicit: *Sine me nil potestis facere.* Quia prius peccauerunt in corde, ideo postmodum peccauerunt in opere, & ex merito erroris puniti sunt pœna corruptionis. Seruanda est itaque omni custodia mens nostra, ne à quolibet vitio corrumpatur: quoniam ante Dei oculos nequaquam vacua transuolant cogitationes nostræ. Intus videt quod foris punit, occultam videlicet culpam. Sequitur aperta percussio, ut malis exterioribus interna puniantur, & cor publicè corruat, quod latenter peccabat. Ad Iudæos autem videntur pertinere, quæ sequuntur. Ait enim: *Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.* Super Iudæos potest intelligi, ut honoratius eos dixerit filios hominum propter cultum Dei, ad differentiā gentiliū, qui propter cultum lapidum corrupti & abominabiles facti sunt. Prospicit ergo dominus super filios hominum per animas sanctas suas, quod significat hoc, quod ait, de cælo, ut videat, id est videri faciat, si est aliquis Deum intelligens corde, aut requirens opere. Vel per filios hominum possumus imitatores carnalium intelligere, sicut e contrario imitatores Dei filij Dei nuncupantur. Per iustos enim homines prospicit Deus peccatores, & per bonos redarguit malos, & per sanctorum vitam & doctrinam facit innotescere prauorum errorem atque iniustitiam de quibus nequitia

subditur: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Non est intelligendum ita omnes declinasse, vt in humano genere non esset, vel vnus qui bonum ageret: cum paulò post dicat, Dominus in generatione iusta est. Sed eorum videlicet, qui sunt imitatores carnalium, quorum corrupta est vita & continentia, non est aliquis qui faciat bonum. Quandiu enim homo malus est, bonum facere non potest. Quantum autem à via veritatis declinauerint, verba quæ sequuntur, ostendunt. Dicitur enim: *Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum.* Bene patienti sepulchro comparantur: quia sicut sepulchrum patet, vt mortua cadauera recipiat: ita illi inhiabant, vt simplices animas sibi attraherent, atque per errorem extinctas sibi incorporarent. Bene autem postquam dixit, *Linguis, addidit, Suis: vt significaret malis.* Mali enim malas linguas habent. Tunc Iudæi linguis suis dolose egerunt, quando dominum interrogauerunt, vtrum liceret censum dari Casari, an non. Dolum quidem habebant in ore, sed malitiæ venenum occultabant in corde: vt si diceret, Licet, statim eum redarguerent de lege, in qua præcipitur vt soli domino seruiatur. Rursum si diceret, Non licet, adduxerant Herodianos, qui eum statim apprehenderent, & regale tributum prohibentem condemnarent. Rectè autem aspidi comparantur, quia sicut aspis obturat aurem suam ad vocem incantantis, ita ipsi obturabant aures suas ad vocem prædicationis. *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est: Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Maledictione os eorum plenum fuit, quando dixerunt, Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes? Amaritudine quoque repleti fuerunt, cum dixerunt ad Pilatum, Crucifige eum, Reus est mortis. Veloces fuerunt pedes eorum ad effundendum sanguinem, quando eum extra ciuitatem duxerunt & occiderunt. Vnde contriti sunt ab inimicis, & ad infelicitatem captiuitatis perducti. Et ideo subditur: *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt.* Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. *Non est timor Dei ante oculos eorum.* Hæc fuit causa duritiæ cordis ipsorum, quia dominum non timuerunt, ideo obdurauerunt corda ad credendum, & euenit eis iuxta quod scriptum est, Qui autem mentis est duræ, corruet in malum. Horum malitiam increpat propheta, cum subiungit: *Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam sicut escam panis?* Nesciebant quid faciebant, qui dominum occidebant. Vnde ipse orans ait: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Sed cognoscent in iudicio, quando videbunt in quem pupugerunt. Quando conspicient martyres sanctos quos occiderunt, quos tanquam cibum panis deuorare describuntur, vt illorum affectus denotetur. Quomodo enim dulcis est panis ad comedendum, ita dulcis erat illis persecutio sanctorum. Vnde non manducare, sed deuorare descripti sunt: vt in hoc designetur eorum non solum voluntas, sed etiam auditas. *Dominum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore: ubi non erat timor*

timor. Quid mirum si illi trepidauerunt, qui dominum non inuocauerunt? Quis securus sine domino? Dixerunt enim, Si dimittimuseum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nobis & locum & gentem. Timuerunt regnum terrenum amittere, vbi non erat timor: & amiserunt regnum cælorum quod timere debuerant. Et hoc de omnibus temporalibus commodis intelligendum est, quorum amissionem dum timent homines, ad æterna non perueniunt. Hoc etiam non cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, quod sequitur. *Quoniam dominus in generatione iusta est.* Non vtrique in praua. Quare non in illis dominus? subiungit causam, *Consilium inopis confudistis: quoniam dominus spes eius est.* Dixistis enim, Confidit in Deo, liberet nunc eum si vult. Contempnistis humilem aduentum filij Dei, quia in eo non vidistis pompam seculi. Quia sperauit in Deo, despectus est à vobis, quibus terrena magis placent, quam cælestia. *Quis dabit ex Syon salutare Israel?* Subauditur, nisi ille, cuius humilitatem contempnistis? Ipse enim in claritate venturus est ad iudicium viuorum & mortuorum, regnumque iustorum vt quoniam isto humili aduentu facta est cæcitas ex parte in Israel, vt plentudo gentium intraret: illo alio fiat quod sequitur, & sic omnis Israel saluus fieret. Prouidens enim Apostolus etiam illud Isaia testimonium accepit, quo dictum est: Veniet ex Syon qui auertat impietatem ab Iacob. Huic concordat quod dicitur, *Quis dabit ex Syon salutare Israel? cum conuerterit Deus captiuitatem plebis sue, exultabit Iacob & letabitur Israel.* Per Iacob designantur pugnantibus & reluctantes contra vitia. Iacob enim supplantator interpretatur. Per Israel verò intelliguntur illi, qui post pugnam vitiorum vsque ad contemplandum Deum profecerunt: quoniam Israel Deum videns dicitur. Quandiu corpus quod corrumpitur, aggrauat animam & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, in captiuitate sumus. Sed cum conuerterit Deus captiuitatem nostram (quod tunc fiet, quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem) tunc erit exultatio in corpore & in animo, his qui fuerint spiritualiter Iacob, id est, qui vitia supplantauerint. Et erit lætitia in mente his qui fuerint spiritualiter Israel, qui in amore & contemplatione diuinitatis exarserint. Ibi finietur iustorum labor, perficietur amor. Ibi actiua & contemplatiua vita gaudio æternitatis remunerabitur. Ibi proficietium & perfectorum merces sempiterna recompenfabitur.

T I T V L V S P S A L M I X I I I.

QUARTVS DECIMVS Psalmus præscribitur, Psalmus David. David autem noster Christus est, vt saepe diximus. Deinde legimus in Exodo, quia quarta decima die agnus immolatur, quando luna plena est, quando ei nihil deest de lumine. Quandã ergo lucis plenitudine, quandã beatã satietate nobis significat iste psalmus, cuius intentio est nobis ostendere regiã viã, qua per Christianã militiã tendamus ad patriã. Ait autem de perfectis mandatis iustitiã, quibus nos docet ad cælestia posse introire: quibus etiam minora adiungit, vt in eis se infirmitas inchoantum exercere atque ad altiora tendere possit. Sed iam quid propheta dicat, audiamus.

P S A L M

DOMINE quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Non prius in monte, & postea in tabernaculo: sed prius in tabernaculo; & postea in monte. Tabernaculum non est firma domus; non habet fundamentum: belli res est, huc illicque mutatur, & cum transmigrante migrat. Significat Ecclesiam presentis seculi. Non enim hic permanemus habitantes, sed alio migraturi sumus. Montes autem firma habent fundamenta. Montis ergo nomine soliditas patriæ futuræ designatur. Quoniam ergo de tabernaculis ad montem migraturi sumus, debemus discere qui sunt isti, qui migraturi sunt in montem sanctum Dei. Audiamus itaque interroganti prophetae quid Spiritus sanctus respondeat. *Qui ingreditur* (inquit) *sine macula, & operatur iustitiam.* Qui ingreditur, in via est. Non dixit, qui peruenit ad finem sine macula: sed qui adhuc in itinere est, & maculam non habet. Dicere aliquis poterat: Non habeo maculam, non feci malum. Non sufficit nobis malum non facere, nisi fecerimus & bonum. Sed quis potest esse sine macula? Cum Apostolus dicat, In multis offendimus omnes. Et, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Sed apud misericordem dominum sine macula reputatur, cui iam culpa per delectationem non dominatur. Vnde idem propheta, cum ab occultis & ab alienis delictis mundari exoraret, adiunxit: Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero. Primus ergo ingressus ad iustitiam est, immaculatum se custodire à peccato: Præuentio autem perfectum esse in bono. Studeamus ergo ingredi sine macula peccati, atque exercere opera iustitiæ. Iustitia non nouit patrem, non nouit matrem: veritatem nouit, personam non accipit, Deum imitatur. Audiamus opera iustitiæ, quæ sequuntur: *Qui loquitur veritatem in corde suo.* Multi loquuntur veritatem in labiis, non in corde: qui videntur verum dicere, sed cor eorum labiis non consonat. Tanquam si aliquis dolose ostendat viam, sciens in ea esse latrones, & dicat, Si hac ieris, tutus eris à latronibus, & contingat ut verè non inueniantur latrones: verum ille loquutus est, sed non in corde suo. Aliud enim putabat, & nesciens verum dixit. Ergo parum est verum loqui, nisi etiam in corde ita sit. *Qui non egit dolum in lingua sua.* Lingua agitur dolum, cum aliud ore profertur, aliud corde regitur. Dolum in lingua non agit, qui id quod mente tractauit, sermone protulit. *Nec fecit proximo suo malum.* Proximum, omnem hominem intelligere debemus: & ideo scriptum est, Quod tibi non vis fieri, aliis ne feceris: ut nemini faciamus malum, quod utique nobis ab aliquo fieri nolumus. *Et opprobrium non accepit aduersus proximos suos.* Grandis res dicitur. Nunquam, inquit, vicius murmuratus est contra eum. Nunquam inuenit aliquam occasionem detrahendi ei. Hæc virtus excedit humanam conditionem: Dei gratia est. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus.* Et si imperator est, & si præfectus est, & si Episcopus est, & si presbiter est (in Ecclesia enim istæ sunt dignitates) quicumque malus est, in conspectu sancti pro nihilo

Hebr. 13.

Psal. 32.

1. Iac. 1.

1. Iac. 3.

1. Ioan. 1.

Psal. 18.

Iacob. 1.

Matth. 15.

Luc. 10.

Matth. 22.

Luc. 6.

Tob. 4.

nilo computatur. Et statim sequitur: *Timentes autem dominum glorificat.* Ille sanctus, qui ingreditur sine macula, qui potentes despiciat, quia mali sunt: si quem viderit timere Deum, licet pauper sit, tamen illum glorificat. Sicut superiora pertinent ad perfectos, ita ea quæ nunc dicturus est, pertinent ad incipientes. *Qui iurat proximo suo, & non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentes non accipit.* Omnino non iurare perfectorum est: Fallaciam cauere in iuramento, & si non est perfecta virtus, est tamen aliquis perfectus pertinet ad incipientes. Similiter pecuniam suam non dare ad usuram, non est magna virtus: sed tamen inchoatio virtutis est. Nam si perfecti esse volumus, omnia nostra largiri debemus. Rursus, Non est magnum munera super innocentes non accipere: nam debemus, si possumus, & innocentes liberare. Quid est ergo quod sanctus spiritus perfecta mandata, etiam minima adiungit, nisi quod in hoc infirma nostra misericorditer fouere intendit? Ut videlicet si adhuc ad perfecta non possumus attingere, vel parua prout possumus, studeamus exercere. Si enim pro posse nostro à paruis ad maiora tendimus & si ad ea pertingere statim, quæ desideramus, non possumus: non tamè deesse poterit merces laborantibus. Vnde & sequitur. *Qui facit hæc, non mouebitur in aeternum.* Id est, perueniet ad illa maiora, in quibus est magna & inconcussa stabilitas.

Matth. 5.

Matth. 19.

TITVLVS PSALMI XV.

ANTIQUVS solebat fieri, quod quædam aliquis de hoste suo triumphum habebat, faciebat sibi arcum construi, qui triumphalis dicebatur: in quo describeretur illa victoria. Vnde *Aurascia* in arcu triumphali *Masiliense* bellum sculptum habetur, ob signum victoriae *Cæsaris*. Similiter *Deus pater* per *victoriam passionis* iam deuictio *diabolo*, quasi triumphalem arcum de *acquisito* sibi *regno totius mundi*, titulum cruci fecit apponi, *IESVS NAZARÆNVS REX IV- DEORVM.*

1. Reg. 15.

Matth. 27.

Matth. 15.

Luc. 23.

Ioan. 19.

Inscriptio tituli huius psalmi est: *Psalmus ipsi David.* Ideo addidit ipsi, quia ipse Rex noster in hoc psalmo loquitur in susceptione personæ humanæ, de quo titulus regalis tempore passionis inscriptus emicuit. Intentio eius est nos inuitare ad suum regnum, quod nobis acquisiuit per suam humanitatem, passionem, resurrectionem, unde hic agitur. *Ait ergo.*

P S A L M V S X V.

CONSERVA me domine, quoniam speravi in te. Non erat ei necessarium, quod pro se oraret: nam in eo quod Deus erat, conseruare seipsum poterat. Sed sicut incarnari venit pro nobis, ita pius redemptor orare dignatus est pro nobis, transfigurans nos in sua persona: quia vnum corpus fieri voluit cum sua Ecclesia. Pro infirmatibus ergo membris suis, quæ transformat in se, dicit: *Conserua me domine, quoniam speravi in te.* Nos enim qui puri homines sumus, & per peccatum perdit, conseruari à domino indigemus. Ipse enim est spes nostra, ipse est Deus noster. Nos indigemus eius auxilio, non ipse nostro. Vnde sequutus adiunxit: *Dixi domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Quod prius Pater per filium suum nos redemit, sola charitate hoc fecit, non necessitate. Perfecta enim

Hebr. 1.

Luc. 23.

Ioan. 17.

Hebr. 5.

Ephe. 1. 4.

1. Cor. 5.

2. Cor. 3.

Roma. 3.

Roma. 9.

Act. 10.

1. Ioan. 5.

Ioan. 3.

Roma. 8.

eius gloria nec augeri potest, nec minui. Vnde magis debemus dominum Deum nostrum & ore confiteri, & corde credere, atque in ipso sperare, & ab ipso salutem querere, qui bona quidem nostra non querit, imo sua nobis largitur. Vnde & subditur: *Sanctis qui sunt in terra eius mirificauit omnes voluntates meas in eis.* Sanctis qui in terra viuentium spem suam posuerunt, ciuibus patriæ cælestis, quorum conuersatio spiritualis per anchoram spei in illa patria figitur, quæ rectè Dei terra nominatur, quamuis in his terris carne uersentur. His sanctis miras fecit omnes voluntates meas, in prouectu eorum qui senserunt quid eis profuerit & humanitas meæ diuinitatis, ut morerer, & diuinitas humanitatis, ut resurgerem. Et notandum quod postquam ait, Mirificauit voluntates meas, protinus adiungit, In eis: ex quibus uerbis colligendum est, ita voluntates suas sanctis miras ostendisse, ut eisdem in ipsis faceret permanere. Neque enim sancti esse potuissent, si ab eius uoluntatibus cognitis discrepassent. Quod satis euidenter ex uerbis sequentibus apparet, quibus dicitur: *Multiplicata sunt infirmitates eorum: postea accelerauerunt.* Quanto enim patet diuina uoluntas, tanto multiplicius apparet humana infirmitas. Ex regula enim supernæ iustitiæ depræhenditur fortitudo prauitatis nostræ. Hinc est quod sancti uiri quanto subtilius diuina percipiunt, tanto districtius propria peccata plangunt: Atque ex percepto superno lumine cognoscunt quid in seipsis debeant emendare: & ideo dicitur, Postea accelerauerunt. Vnde enim propriam cognoscunt infirmitatem, inde citius festinant ad salutem. Et quia infirmos & peccatores humiliter se contententur, ideo se à cælesti medico sanari promerentur: propterea adiunctum est: *Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Quid sanguinum nomine, nisi peccata signantur? Vnde scriptum est, Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Et bene ait conuenticula: Non enim omnes qui uitiis subiacent, unam in peccatis uoluntatem habent: nam alij conueniunt ad rapinam, alij ad auaritiam, alij ad luxuriam, alij ad superbiam. Quot sunt uarietates uitiatorum, tot sunt diuersitates conuenticulorum. Sed pius dominus conuenticula eorum de sanguinibus non congregat, quia conuersos ad pœnitentiam in iudicio non accusat. Quæ sunt autem nomina eorum, quorum non memor erit, nisi ea nomina quæ peccando sibi acquisierunt: Qui enim adulterium perpetrat, non immeritò adulter dicitur: qui rapinam, raptor: qui periurium, periurus: qui superbiam, superbus. Hæc nomina non reminiscitur, si culpæ, pro quibus sunt nomina, corrigantur. Vnde scriptum est, Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Hinc Apostolus ait, Si nos ipsos iudicaremus, non utique iudicemur. Quia ergo hi in hæreditatem domini transferuntur, ut & ipse dominus sit hæreditas eorum: rectè subiungitur: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Possidebunt mecum hæreditatem ipsum dominum. Eligant sibi alij partes, quibus fruantur, terrenas & temporales: portio sanctorum dominus est æternus. Bibant alij mortiferas uoluptates: portio calicis mei, dominus est. Tu restitues mihi hæreditatem meam: ut nota sit & his, quos libero claritas, quæ erat apud

te, prius

te, priusquam mundus fieret. Destructa erat hæreditas domini, quando humana natura & uitiis corrupta, & à diabolo tenebatur possessa. Missus est saluator, deleta sunt peccata, restitutum est liberum arbitrium, eiectus est princeps huius mundi foras, sanata est infirmitas, restituta hæreditas. Vnde & subditur: *Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Sicut nos diuidimus hæreditatem nostram funibus, sic Deus fide, spe & charitate diuisit hæreditatem suam. Super quos ceciderunt isti funes, ipsi in hæreditatem domini peruenerunt. Non autem ceciderunt nisi in præclaris, quibus magis placuit cælestis claritas, quam terrena: spirituales uirtutes plusquam temporales honores. Multi in hoc mundo diuitiis florent, potentia præminent, honoribus gaudent, gloria temporali fulgent: habent claritatem, sed non permanentem. Qui autem terrena despiciunt, qui supernam gloriam appetunt, qui ad gaudia spiritualia inardescunt: isti proculdubio præclari sunt. Vnde nunc ait: *Etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Et bene ait, Mihi. Non enim illis est præclara hæc spiritualis hæreditas, quibus non est cognita. Si enim cognoscerent hanc, quam diligunt, claritatem: falsam non amarent. Gratias ergo domino debent agere hi, qui ipsius dono ualent inuisibilia intelligere: & ideo aptè subiungitur: *Benedicam dominum qui tribuit mihi intellectum.* Quod ait, Mihi, intelligere debemus membra sua, quæ illi coniuncta sunt in unitate corporis. Hoc quod dominum cognouerunt, quod contemptis temporalibus spiritualia intellexerunt, non eorum uirtus fuit, sed donum Dei. Vnde cum diceret Petrus: Tu es Christus filius Dei uiui, ne hunc intellectum sibi attribueret, statim audiuit. Beatus es Symon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauerunt tibi, sed pater meus, qui est in cælis. Ideo propheta alibi postulat, dicens, Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Sed iam Dominica passio nobis commendatur, cum subditur: *Insuper & usque ad noctem increpuerunt me renes mei.* Insuper ex hoc benedicam dominum, quod renes mei, id est Iudæi, ex quorum renibus patres mei, & ex quorum carne natus sum, increpando & blasphemando usque ad mortem & in infernum ire compulerunt. Et bene ait, Insuper. Superior enim uirtus est dominum benedicere in aduersis, quam in prosperis. Cum Deus bona sua largitur hominibus, solent benedicere boni & mali. Cum flagella irrogat, murmurant quidem mali, sed benedicunt boni. Ad hoc ergo nos iste uersus instruit, ut laudemus Deum in donis suis, ne ingrati simus: & insuper in flagellis, ut perfecti simus: ut impleatur in nobis, quod in alio psalmo legimus: *Benedicam dominum in omni tempore.* Huic sententiæ concordant uerba quæ sequuntur. Ait enim, *Prouidebam dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi, ne commouear.* Beatus homo qui Deum semper prouidet in conspectu suo. Hic neque extollitur in prosperis, neque frangitur in aduersis. In cunctis quæ agimus, quæ loquimur, quæ cogitamus, si Deum semper prouidemus, non offendimus. Hinc scriptum est, *In omnibus uis tuis cogita illum.* Rectè autem à dextris filij dicitur esse pater: quoniam æqualis patri est filius. Inde uirtutem traxit, ut per

f ij

1. Timo. 6.
Gene. 6.Philip. 3.
Hebr. 6.

1. Cor. 13.

Roma. 1.

Ioan. 17.

Isa. 35.

Matt. 9.

Eph. 2.
Matt. 16.
Ibidem.

1. Corin. 15.

Psal. 118.

Iacob. 1.

1. Ioan. 2.

Ezech. 18.

Ioan. 4.
Matt. 1.
Matt. 26.
27.

Sapient. 11.

1. Cor. 11.

Psal. 33.

Gene. 15.

Psal. 141.

Prouer. 3.
Mar. 16.
Hebr. 1.

Philip. 2.
1. Pet. 2.

humanam formam in passione positus commoueri nequaquam posset. Quod si exemplo nostri redemptoris dominum in conspectu nostro semper prouidemus, ut neque amore, neque timore alicuius rei ab eius voluntate discordemus: erit utique à dextris nobis, ne commoueamur. Ipse enim ait, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe. Quid per lætitiā cordis & exultationem linguæ, nisi interior atque exterior lætitiā commendatur? Qui Deum à dextris habet, lætari debet intus in conscientia, foris in lingua. Hinc alibi dicitur, Lætetur cor quærentium dominum. Quod autem dicit, Et caro mea requiescet in spe: corpus dominicum mortuum atque in sepulchro positum, & tertia die resurrecturum significat. Quod si nos spiritualiter lætamur, & caput nostrum per passionem imitatur, spem certam habemus, quoniam simul cum ipso resurgemus. Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Nec animam meam in inferis permanentem dabis, neque sanctificatum corpus, per quod & alij sanctificandi sunt, corrumpi patieris. Et hoc dispositio & gratia omnipotentis Dei fuit, ut anima Christi nec diu in inferno moraretur, nec corpus eius tandiu esset in terra exanime, ut corrumperetur. Si enim distulisset, rota nostra spes deperisset. Resurgere ergo sine dilatione voluit, atque eiusdem suæ resurrectionis testes homines habere, sicut scriptum est, Et multa corpora sanctorum qui dormierant, cum ipso resurrexerunt: ut nos talibus testimoniis confirmati veram resurrectionem in nobis tam corporis quàm animæ crederemus: si nos membra eius effecti, viam quæ ducit ad patriam teneamus. Unde subditur: *Notas mihi fecisti vias vitæ: adimplebis me lætitiā cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem.* Prius ipsum caput vitæ vias nouit, quas nobis & factis ostendit, & verbis prædicauit. Quæ sunt vitæ eius, quibus ad vitam tendimus, nisi humilitas, charitas, patientia, obedientia, & cæteræ virtutes? Ad has vias nos admonet propheta dicens: Parate viam domini, rectas facite semitas eius. Hinc ipsa Veritas ait, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam. Bene ergo ait, Adimplebis me lætitiā cum vultu tuo. Non enim est plena lætitiā cum isto mundo. Unde scriptum est, Væ vobis qui ridetis nunc. Non est hinc plena lætitiā neque bonis neque malis. Nam vtrisque & tribulatio communis est. Sancti viri & si gaudent in spe, gemunt adhuc in tribulatione. Sed tunc pleni erunt lætitiā, quando Deum videbunt facie ad faciem. Et delectationes in dextera eorum usque in finem: quia hi qui à dextris eius erunt, sine fine gaudebunt. Quorum delectationes erunt de Domini visione, de societate angelorum, de beata immortalitate, de æterna felicitate. Studeamus ergo vitæ vias obseruare, quatenus ad tantam lætitiā, & ad tantas delectationes valeamus peruenire.

Ioan. 19.
Mar. 16.
Psal. 104.
Philip. 2.
1. Thef. 4.Isa. 53.
Ioan. 2.
1. Corin. 15.
Matt. 27.
Act. 1. & 10.Matt. 11.
Matth. 11.
Isa. 4.
Luc. 3.

Luc. 6.

1. Cor. 13.
1. Ioan. 2.
Matt. 25.

TITVLVS PSALMI XVI.

HIVS Psalmi titulus est, Oratio ipsi Dauid. Attribuitur ipsi significato Dauid, qui re vera manu fortis venit expugnare aëreas potestates. Sed cum in aliis quam plurimis psalmis orationes habeantur, mirum videtur, cur in isto psalmo magis quàm in aliis talem titulum apposuerit. Sed quoniam alij psalmi breuiter mixtas in se contineant orationes, iste tamen per quandam excellentiam principaliter oratio dicitur, quia tempore passionis suæ instanti hanc orationem Christus domino suo cantauit. Intendit autem nos in hoc psalmo instruere, ut exemplo ipsius in nostris necessitatibus semper orare studeamus. Agitur autem de iustitia Christi, de tribulatione passionis suæ, de resurrectione, de satietate & manifestatione gloriæ caelestis. Vox Christi ex persona sua dicentis.

Ioan. 17. 18.
& Matth. 26. & Luc. 22.

P S A L M V S X V I.

DAVID domine iustitiam meam: Intende deprecationem meam: auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis. Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, quàm iustus, & quàm sine peccato fuerit, sacra scriptura testatur: quæ dicit, Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Inter deprecationem & orationem hoc distare quidam dicunt, ut deprecatio sit ad deuitanda Aduersa, Oratio autem in consequendis vtilibus. Tamen vtrunque indifferenter ponitur in multis locis. Sic autem ait, Intende &, Auribus percipe, ac si diceret: Cape quod audis, retine quod intelligis. Prætendit ergo iustitiam operis & puritatem cordis, ut in prece & oratione dignè exaudiatur à patre. Ille bene orat, qui talem ad orandum se præparat, ut in oratione iustitiam suam prætere valeat, & nihil nisi quod iustè conferendum est, orare præsumat: & non solum pro sua & amicorum, verum etiam inimicorum vtilitate orare studeat. Ideo dicit se orare non in labiis dolosis. Labia enim dolosa essent, si ab intentione vel æquitate verba discordarent. De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates. Purum cognoscit cor suum, qui iudiciū suum confert ad Deum. Christum dominum scimus à Iudæis iniustè esse iudicatum. Sed in ipso quo manifestè iudicauerunt, ipsi occultè iudicati sunt. De vultu Dei iudicium prodiit, quo iniustè iudicantes iustè damnauit. Timeant ergo iudices hominum, quia supra se habent iudicem Deum: cuius oculi æquitatem vident, ut nihil impunitum maneat, & dignis digna rependat. Et hoc quidem sicut ad timorem malorum, ita ad consolationem dictum est bonorum: sicut in alio loco dicitur, Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit dominus. Debent ergo sancti viri semper examinare cor suum, ut illud ante oculos Dei habeant probatum, ne ille cuius oculi vident æquitatem, vllam in eis videre possit reprehensionem: quatinus in tribulatione aliquando positi, dicere cum suo capite possint quod sequitur. *Probasti cor meum, & visitaisti nocte: igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* Deus pater filiū probauit, quando pati permisit: visitaui nocte, quia adiuuit in tribulatione: igne passionis examinauit, quia inde ad incorruptionem transtulit. Et non est in eo inuicta iniquitas, quia (ut iam supra diximus) peccatū nō fecit: f iij

1. Timot. 2.

Isa. 53.
1. Pet. 2.

Matth. 5.

Matt. 26.

Hebr. 4.
Matt. 16.Denter. 32.
Roma. 12.
Hebr. 10.

Isa. 53.

1. Pet. 2. Nos quoque à Deo probamur, quotiens tribulationibus affigimur. Vnde
 Sapient. 3. scriptum est: Tanquam aurum in fornace probauit electos dominus. Sed in
 nocte tribulationis non deest gratia visitationis, teste Apostolo, qui ait, Fide
 1. Cor. 10. lis est Deus, qui non permittit nos tentari supra quam ferre possumus: sed fa
 ciet etiam ex tentatione prouentum. Hoc igne nos examinat, vt à maculis
 peccatorum mundos reddat. Vtilis est ergo seruis Dei tribulatio, tum quia
 probantur in corde suo, tum quia visitantur à Deo, tum quia purgantur à
 peccato. Non est, inquit, inuenta in me iniquitas. *Ut non loquatur os meum
 opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Dignus
 Ioan. 8. erat loqui opera hominum, qui in se non habebat peccatum. Et tanto iu
 Hebr. 7. stius debebat ab omnibus audiri, quo iustè non poterat ab vlllo reprehendi.
 Illi quoque qui vices Christi tenent in prædicatione, in quantum pos
 1. Timo. 3. sunt, debent inreprehensibiliter viuere: quia valde sermo doctoris con
 1. Cor. 9. funditur, si actione deprauatur. Quod si propter verba labiorum Dei
 duras vias nos oportet custodire, consolatur nos dominus apostolica au
 Roma. 8. thoritate dicens, Non sunt cõdignæ passionis huius temporis ad futurã glo
 riam quæ reuelabitur in nobis. Duras vias custodiuit, qui vsque ad mortem
 Philip. 2. obediens fuit. Mundum relinquere, carnem domare, peccata lachrymis
 punire, aduersa & aspera propter Deum tolerare: duræ viæ sunt, quæ domi
 nica labia nobis præcipiunt. Sed si dura sunt quæ iubentur, mira sunt quæ
 promittuntur. Nam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor ho
 1. Cor. 2. minis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. Firmiter er
 go teneamus viam, vt peruenire possimus ad patriam. Et ideo subditur:
Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea. Quid per
 gressus, nisi bonorum operum actus? Quid per semitas, nisi perfectõrum
 Mandatorum Dei arctas & angustas intelligimus vias? Perfectos
 gressus in semitis domini habuit, qui ait, Non veni legem solucere, sed
 adimplere. Cuius non sunt mota vestigia, quia à veritatis non recessit
 via: vnde ipse ait, In his quæ patris mei sunt, oportet me esse. Et nos
 Luc. 2. perfectos gressus in semitis domini habemus, si sic perfecta quæ præcipit
 Ioan. 8. adimplemus, vt in eisdem immobiles maneamus. Neque enim sufficit
 Math. 24. perfecta agere, nisi contingat in ipsis firmiter permanere. Perfectos gres
 sus habebat Paulus, cum diceret, Bonum certamen certavi, opus consummaui,
 2. Timo. 4. fidem seruauit. Firma vestigia habuit, cum ait, Quis nos separabit à
 Roma. 8. charitate Dei? Tribulatio? An angustia? An fames? An nuditas? An pericu
 lum? An gladius? Scimus quia neque instantia, neque futura, neque vlla
 creatura poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu. Si
 quid autem boni in nobis habemus, illud Deo, non nobis, ascribere debemus,
 1. Cor. 4. qui petenti se libenter tribuit, sicut ipsa Veritas ait: Petite
 Ioan. 10. & accipietis. Vnde nunc subdit: *Ego clamaui, quoniam exaudisti me. Deus:
 inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.* Clamor ad dominum est nostrum
 desiderium. Quanto plus quisque desiderat, tanto amplius clamat. Sed
 quæ est auris, quam inclinat Deus nobis peccantibus, nisi misericordia
 ipsius? Nisi enim ille inclinetur ad misericordiam, nos non erigimur ad
 iustitiam

iustitiam. Sed quid est quòd iam se exauditum dicit, & adhuc exaudiri verba
 sua quærit? Sed fortasse ad aliquid erat exauditus, & ad aliquid non erat.
 Exauditus erat in se, exaudiendus in membris. Ad hoc pertinent verba
 quæ sequuntur: *Mirifica misericordias tuas: qui saluos facis sperantes in te.* Deum
 misericordias suas mirificare, est ex iniusto iustum facere. Quis non miretur
 misericordias domini in latrone, in Paulo, in peccatrice muliere, in
 publicano? Cum pro amore Dei ea quæ mundi sunt, despicit avarus, ad hu
 militatem conuertitur superbus, ad mansuetudinem iracundus, ad castitatem
 luxuriosus, nonne misericordias suas mirificauit Deus? Cum desperantes
 ad spem reducit, cum peccatori, qui æternas pœnas promeruit, æterna
 præmia tribuit, nonne Deus misericordias suas miras facit? Vnde protinus
 adiungit: *A resistentibus dextera tua custodi me vt pupillam oculi.* Pupilla
 oculi dicitur Christus, quia & omnibus charior est, & lumen quo omnes
 illuminantur. Ipse est & dextera Dei, quia æqualis est patri, & omnia per
 ipsum facta sunt. Possunt etiam per dexteram & pupillam intelligi electi,
 quia per eos fortia operatur Deus, & ipsi sunt lux mundi. Resistentes
 sunt infideles & persecutores. Rogat ergo filius patrem, vt à sibi resistentibus
 eum defendat, ne iustitiam iniustitia premat, ne infidelitas fidem corumpat.
 Sic nos exemplo nostri capitis dominum orare debemus, vt nos custodiat,
 ne qua impugnans aduersitas frangat, ne qua obuians tentatio seducat,
 quæ nos ab alis protectionis suæ subtrahat. Ideo subditur: *Sub umbra alarum
 tuarum protege me, à facie impiorum qui me affixerunt.* Dilectio Dei & proximi,
 nouum & vetus Testamentum. Iustitia charitas, & cæteræ virtutes, alæ Dei
 sunt, quibus sanctæ animæ ad Deum volare possunt. Istæ spirituales alæ & ab
 æstu refrigerant vitiorum, & afflictione temperant impiorum. Istis alis
 dominus Christus cum ab impiis Iudæis affigeretur, protectus est: de quibus
 adhuc subiungit: *Inimici mei animam meam circumdederunt: adipem suum
 concluserunt, os eorum loquutum est superbiam.* Hæc in passione Christi facta
 sunt. Circumdederunt Iudæi animam Christi, vitam enim eius perdere volebant.
 Adipem suum concluserunt, id est, abundantiam suæ superbiæ intra se detinuerunt.
 Os eorum loquutum est superbiam, cum dixerunt, Ave rex Iudæorum, & cætera
 talia. *Proiicientes me, nunc circumdederunt me.* Antè crediderunt venturum,
 sicut in scripturis suis legerunt: nunc, cum venit adimplere quod promiserat,
 cum deberent eum suscipere, adorare, proiecerunt extra castra & crucifixerunt.
Oculos suos statuerunt declinare in terram. Quia eum non Deum, sed purum
 hominem existimarunt. *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam.* Comparabiles
 illi leoni, de quo scriptum est, Aduersarius vester diabolus, tanquam leo circuit,
 quærens quem deuoret. *Et sicut catulus leonis habitans in abditis.* Catulus
 leonis & filius, est ille populus, cui dictum est, Pater vester diabolus est.
 Et bene ait, Habitans in abditis: quoniam qui malè agit, odit lucem. Post
 tantam persecutionem secutus adiuxit: *Exurge domine proueni eum, & supplant
 a eum: eripe animam meam ab impiis, frama tuam ab inimicis manus tuæ.*

Ioan. 11.

Math. 26.

Luc. 23.

Galat. 1.

1. Corin. 15.

Luc. 7.

Luc. 18.

Ioan. 1. & 8.

Ioan. 10. & 1.

Math. 5.

Ioan. 10.

Math. 27.

Marc. 15.

Luc. 23.

Ioan. 19.

Psalm. 24.

Ioan. 15.

Math. 21.

Hebr. 13.

Ioan. 9.

1. Pet. 5.

Ioan. 8.

Ioan. 3.

Exurge, quem dormire arbitrantur, & iniquitates hominum non curare: antè exerceatur malitia, vt factum vindicta præueniat. Vel eum populum præuenire, est pœnam mali antè in ipsum quàm in alium retorquere. Iuxta quod scriptum est, Omnis qui peccat, non in alium prius peccat, quàm in semetipsum. Vel eum dominus præuenit, quia ante vltimum iudicium eum etiam temporaliter iudicauit. Eiecit enim eos de terra sua, vnde ait, Et sup-
Eccles. 6. planta eum. De terra enim illa lacte & melle manante, in qua plantauerat eos Deus, eradicati sunt. Animam autem Christi ab impio populo eripuit, quando à mortuis eum suscitauit. Cuius anima framea Dei patris fuit, quam assumpsit manus, id est virtus eius æterna: vt per ipsam regna debellaret iniquitatis, & iustos diuideret ab impiis. *Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum.* Disperge eos per orbem terrarum in ista vita, quam solam suam vitam putant, quia æternam despiciunt. Et bene ait, *A paucis:* quoniam Iudaicus populus minor est numero, quàm omnis populus. Cuius malitiam adhuc ostendit, cum subiungit, *Et de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.* Non solum ista pœna consequetur eos visibilis, sed etiam de peccatis, quæ tanquam tenebræ absconduntur, à lumine veritatis tuæ, adimpleta est memoria eorum, vt obliuiscantur Deum. *Saturati sunt filii:* satisfecerunt desideriiis. *Et dimiserunt reliquias suas paruulis suis.* dicentes, Sanguis eius super nos & super filios nostros. *Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo.* Ego qui non apparui eis, qui corde sordido & tenebroso lucem sapientiæ tuæ videre non possunt, apparebo in iustitia tua, id est, iustis tuis manifestabor. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Cum illi satiati sint immunditia sua, vt me intelligere non possent, Ego satiabor cum apparuerit gloria tua, in his qui me intelligunt. Ad hoc ergo tendat nostra oratio, nostræque deuotionis affectus, nostra opera, nostræ patientiæ exercitia, vt gloria domini saturari valeamus. Sit nobis noster redemptor in exemplum, ad orandum, ad operandum, ad patiendum: & sit etiam comes ad gaudendum.

TITVLVS PSALMI XVII.

3. Reg. 22. **S**EQVENTIS Psalmi titulus talis est, *In finem puero domini, ipsi David quæ locutus est domino, verba canticum huius, in die qua eripuit eum dominus de manu Saul, & de manu omnium inimicorum suorum.* Verba canticum huius, id est, verba significantia talem materiam, vnde habendum est canticum, id est, spiritualis delectatio, quæ in vera contemplatione habetur, sunt attribuenda David, id est, manu forti Christo puero domini propter simplicitatem & puritatem. *David dico, fideles suos dirigenti in finem, id est, in summum bonum: quia verba loquutus est domino patri in æterna sua locutione.* Cantici dico, habiti in die, id est, in consideratione diei resurrectionis ipsius, vel consideratione temporis plenitudinis, qua humanum genus per resurrectionem Christi à nocte infidelitatis & ignorantia, & peccatorum, ad lucem scientiæ, & fidei, & virtutum exiturum est. *Qua die resurrectionis, vel temporis plenitudinis, eripuit eum dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saul, id est, de potestate*

potestate Iudeorum, & regis eorum quem sibi ipsi petierunt. Nam sicut David manu fortis, ita Saul petio interpretari dicitur. Dicat ergo Christus & Ecclesia, id est, totus Christus, caput & corpus. *Ioan. 19. Rom. 12.*

PSALMVS XVII.

DILIGAM te Deus fortitudo mea: dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Hæc est magna causa, qua diligendus est Deus: quia ipse est fortitudo nostra. Charitas Dei *Rom. 5.* diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, facit nos fortes ad toleranda aduersa mundi, & ad expugnanda vitia & tentamenta diaboli, ad exercenda bona spiritualia, ad contemnenda bona terrena. Propter hoc etiam diligendus est dominus, quia ipse est firmamentum nostrum, in quo firmum fundamentum habemus, ne ventis tentationum moueamur: & refugium, ad quem refugimus, ne in hac miseria pereamus: & liberator, vt de seruitute diaboli & peccati per eum liberati, ad veram libertatem veniamus. *Deus meus adiutor meus, & sperabo in eum.* Deus meus, quia me creauit ex nihilo. Adiutor, quia me adiuuat in opere bono: & ideo sperabo in eum, per quem saluabor in futuro. Hoc distat inter Deum & dominum, quod Deus nomen est naturæ, & dominus nomen est officij. Illud pertinet ad maiestatem & dignitatem, quæ ipse est: hoc pertinet ad potestatem & dominium quod in nobis exercet. Ibi ostenditur nobis quid amemus, hîc autem quid timeamus. In vtroque quid credamus, quid speremus, quid amemus. Et in primo versu commendatur nobis charitas & fides: in secundo verò spes. Et non immeritò charitas prima, quia ipsa est virtutum regina, ipsa est initium bonorum, & radix virtutum. Sed quæ sequuntur, & quæ nos excitant ad amandum Deum, audiamus. *Protektor meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.* Protegit enim nos à malis, & sicut cornu eminet, ita ipse eminens nostra salus, tanquam infirmos medicus ad sanandum, nos suscepit. Vnde ipse filius bono pastori ouem infirmam reportanti comparatus est: & ideo, *Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero.* Ecce quanta utilitas laudare Deum. Si & in prosperis & in aduersis Deum toto corde laudaueris, nullus poterit tibi nocere inimicus. De tot & tantis bonis quæ quotidie benignus dominus confert nobis, non habemus quid rependere possimus, nisi laudem. Geminum autem donum confert homini laudatio Dei: tum quia in laude hominis Deus honoratur, tum quia ipsius merito laudis homo à malis liberatur. Vnde ipse Dominus in alio psalmo nos admonet dicens, *Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua, & invoca me in die tribulationis, & eruam te.* *Circumdederunt me dolores mortis.* Id est, Iudæi, inferentes mihi angustias passionis. *Et torrentes iniquitatis conturbauerunt me.* quia ecce turba & qui vocabatur Iudas venit. Venit torrens & iniquorum impetus ad discipulorum gregem conturbandum, quia percusso pastore dispergentur oves gregis. *Dole*

Matth. 26. Dolores inferni circumdederunt me. Id est, illi, quos infernales dolores expectant. *Marc. 14.* *Luc. 22.* Praoccupauerunt me laquei mortis. quia cum gladiis & fustibus undique superuenerunt. Laquei mortis ideo dicuntur, quia diabolicae deceptiones in eis erant. Sed à tantis persecutoribus circumdatus, tot doloribus & perturbationibus occupatus, ille qui omnes vno verbo poterat condemnare & se ab omni angustia liberare, quid fecerit audiamus: *In tribulatione inuocaui dominum & ad Deum clamaui.* Non se vindicat, sed orat. Docet te patientiam imperator tuus. Si te circumdant dolores mortis, perturbationes iniquitatis, attende quanta pertulerit redemptor tuus, & exemplo eius omnia patienter sustine. Intus in corde tuo inuoca dominum, & toto cordis affectu clama ad Deum tuum. In ipso enim est potentia & diuinitas. Vnde merito dicitur dominus & Deus: cuius dominium & diuinitatis imperium potest oppressos eripere ab omni tribulatione. Vnde scriptum est, De quacunque tribulatione clamauerint ad me, eripiam eos, dicit dominus. Bene ergo subditur, *Et exaudiuit de templo sancto suo vocem meam: & clamor meus in conspectu eius introiuit in aures eius.* Templum Dei est Christus. Templum Dei est Ecclesia. Hinc Paulus ait, Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Hoc spirituale templum inhabitat Deus, & ibi deprecantium voces exaudit. Et notandum quod ait, *Et clamor meus in conspectu eius: ibi quippe orandum est, ubi videtur Deus.* Ideo dicitur in Euangelio, Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito: Et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Sicut itaque debemus clamare, ut clamorem nostrum videat dominus, atque in aures eius introeat: qui utique clamor non tam vocis est, quam cordis. Vnde Moyse dicitur, *Quid clamas ad me? Mentis nostrae desiderium clamor est in conspectu Dei.* Sed quid deinde sequatur, audiamus. *Commota est & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis.* Si hoc iuxta literam accipimus, passio domino terrae motus magnus factus est, & suo auctori testimonium dederunt etiam ipsa insensibilia elementa. Si autem per terram terrena carnalium corda, & per fundamenta montium, principes intelligimus populorum: quia videlicet in ipsis firmabatur ceteri, tanquam in fundamentis, postquam praedicantibus Apostolis iram se incurrisse omnipotentis Dei cognouerunt, ex eo quod filium eius crucifixerunt, conturbati & conterriti propter culpam, statim commoti sunt ad poenitentiam. Qui Petro eos increpante, tanquam commoti dixisse referuntur, Viri fratres, quid faciemus? Quibus datum est consilium, ut per regenerationis lauachrum remissionem reciperent peccatorum. De quibus adhuc subditur, *Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit: carbones succensii sunt ab eo.* Quid facies eius, nisi notitiam? Quid fumus qui lachrymas excitat, nisi lachrymosam poenitentium compunctionem designat? Timentes iram, lachrymis lauerunt culpam. Et vnde Deum per fidem nouerunt, inde accepto spiritu in eius amore suauiter arserunt: Et ab eo succensi sunt, ut ardentis existant, qui prius peccatores in carne tanquam carbones in cinere mortui iacebant. Ex his ergo verbis instruimur, quia per

per compunctionem ignis diuinus accenditur, qui interiora mentis illuminat, atque peccatorum nigredinem penitus deuastat: & quo ordine haec facta sunt, quae praedicantur, verbis sequentibus demonstratur. *Inclinauit celos, & descendit, & caligo sub pedibus eius.* Prius sanctos & electos viros ad praedicandum eius humilem aduentum misit, quos deinde sequutus per semetipsum descendit. Verbum enim caro factum est, & habitauit in nobis. Vnde autem humilis in carne apparuit, inde principem tenebrarum omnimoda subiectione prostrauit, atque eundem Ecclesiae suae prosterndum dedit. Vnde apostolus ait, Dominus conteret Sathanam sub pedibus vestris velociter. Ille autem qui paulominus ab angelis minoratus est per humanitatem, multo sublimior angelis declaratus est per diuinitatem. Vnde subditur, *Et ascendit super Cherubim, & volauit.* In eo enim quod Deus est, ipsas angelicas dignitates plenitudine scientiae superauit. *Volauit super pennas ventorum.* quia celsitudine suae diuinitatis transcendit virtutes supernorum spirituum: Cui enim angelorum dixit aliquando Deus, Sede à dextris meis, aut, Ego hodie genui te: Super pennas ergo ventorum volauit, quia solus sedere ad dexteram patris meruit: *Et posuit tenebras latibulum suum.* scilicet obscuritatem sacramentorum, & occultam spem in corde credentium: ubi ipse lateret, nec suos desereret. Latibulum suum tenebras posuit, quia caeleste suum sacramentum nobis in obscuritate constituit. Hinc est quod sacramentum corporis & sanguinis Christi quotidie tractamus: nec tamen lucem, nec gloriam eius, quam fide credimus, oculis adhuc videre valeamus. In tenebris enim sumus, quandiu per fidem ambulamus, & non per speciem. *In circuitu eius tabernaculum eius.* Multitudine enim credentium circumuentus est. Rectè autem Ecclesia in hac peregrinatione posita tabernaculum Dei dicitur, quia tabernaculum non habet fundamentum, est autem militantium atque transeuntium. Et Apostolus dixit, Quia non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. *Tenebrosa aqua in nubibus aëris.* Quia obscura est scientia in prophetis, qui merito nubes aëris appellantur, quia in caelestibus sustolluntur per vitam & in imis fundant pluuiam doctrinam. Primum quidem in sanctis patribus obscurus fuit sermo diuinus. Tecta erant omnia sub figura & umbra. Nondum erat spiritus ad manifestationem datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus. Sed deinde venit caelestis fulgor, ille qui est lux vera, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Remouit tenebras, exposuit scripturas, misit praedicatores, audientium corda teruit & illuminauit. Vnde subditur: *Præ fulgore in conspectu eius nubes transferunt, grando & carbones ignis.* Præ magnitudine fulgoris qui est in conspectu manifestationis eius, nubes, id est, Apostoli diuino lumine illustrati, à Iudæis, ad Gentes transferunt: sicut scriptum est, Vobis primum oportuit praedicari regnum Dei, sed quia repulistis, & indignos vos fecistis vitae aeternae, ecce conuertimur ad gentes. Et ipsi sunt facti grando & carbones ignis, clamando, minando, ubique ignem mittendo, futurum iudicium praedicando, humana corda fidei ardore accedendo.

Et into

Et intonuit de celo dominus, & altissimus dedit vocem suam grandis, & carbones ignis. Postquam dixit Dominus, adiungit; Altissimus: ut intelligas: Deum Deorum, dominum dominorum, per semetipsum esse loquentem. Prius enim locus est per patriarchas & prophetas, per antiquos patres: deinde per se. Ipsa etiam Apostolorum predicatio non tam Apostolica erat, quam Dominica. Sicut ipse dominus testatur, dicens: Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Quasi intonat dominus, cum de iudicio suo nos terret. Quasi dat vocem suam, quando humiliter demulcet. Quoddam terrens tonitruum esse videtur, quod per Ioannem dicitur, Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Quasi vocem dare est, cum subditur, Agite fructus dignos poenitentiae. Iuxta ergo capacitatem audientium modo minando intonat dominus, modo ut grando contundens, modo ut ignis accendens. Et misit sagittas suas, scilicet Evangelistas, pennis virtutum recta itinera transuolantes, non suis sed eius a quo missi sunt, viribus: Et disperdidit eos, ad quos missi sunt, ut aliis eorum essent odor vitae in vitam, aliis odor mortis in mortem. Fulgura multiplicauit. Id est coruscantia miracula. Et conturbauit eos. Bona conturbatione ad poenitentiam. Et apparuerunt fontes aquarum. Scilicet dona sancti Spiritus, a quibus omnis spiritualis scientia procedit. Vel per fontes aquarum, potest accipi vetus & nouum testamentum: quae apparuerunt auditoribus, ipso reuelante, qui habet clauem scientiae. Qui nimirum spirituales fontes careros ex se scripturarum riuulos emittunt. Et reuelata sunt fundamenta orbis terrarum. Reuelati sunt Prophetae qui non intelligebantur: super quos aedificaretur orbis terrarum credens in domino. Quo autem ordine haec facta sunt, ostenditur, cum subinfertur: Ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus ira tua. dicens, Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul moriemini. Postquam dixit, Increpationem, adiunxit Inspirationem. Tunc enim vtiliter foris increpamur, quando inspiramur intus, ut timeamus. Hic inquit Christus, Misit de summo: hoc est de sinu patris. Et accepit me. scilicet caput Ecclesiae in aequalitatem sibi, ad dexteram suam. Et assumpsit me. Id est Ecclesiam meam, quae est corpus meum. De aquis multis. Quia ex multis populis me instituit: vel quia ex multis vitiis me extraxit: siue quia ex multis tribulationibus me liberauit. Et hoc est quod sequitur: Eripuit me de inimicis meis fortissimis. Qui sunt isti fortissimi inimici, nisi spiritus maligni? Horum proculdubio fortitudinem non possemus euadere, nisi omnium potentior Deus nos fragiles dignaretur eripere. Et ab his qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me. subaudis, me eripuit. Qui sunt hi qui oderunt Ecclesiam, nisi infideles atque haeretici? Qui intantum aliquando confortati sunt, ut quosdam etiam electos aliquando occiderent in carne, aliquando errare facerent in fide. Sed eos pius dominus eripere dignatus est, coronando, occisos, atque ad viam veritatis errantes reducendo. Vnde & subditur, Praehenerunt me in die afflictionis meae. Id est, praeualuerunt mihi in tempore tribulationis & persecutionis. Et factus est dominus protector meus. scilicet protegens me ab impugnatione persequentium. Et quia carnales patiebar angu-

angustias, Eduxit me in spirituales latitudines fidei. Saluum me fecit, quoniam voluit me. Nullis meis praecedentibus meritis, sed sola sua beniuolentia. Ipse est enim, qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Et retribuet mihi dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. Duo sunt in homine, secundum quae retribuit dominus: scilicet secundum iustitiam bonae voluntatis & fidei, & secundum puritatem bonorum operum. Nec possunt pura esse bona opera, nisi deriuentur ab intentione iusta. Vnde scriptum est, Respexit dominus ad Abel, & ad munera eius. Prius quidem probauit fidei deuotionem, vnde postmodum sacrificij suscepit oblationem. Et merito retribuet mihi: Quia custodiui vias domini. Id est, latitudinem bonorum operum perseuerando seruaui. Nec impiè gessi à domino meo. Id est postquam ad illum bene operando accessi, ab illo prauè viuendo non recessi. Hinc est quod de sanctis animalibus per prophetam dicitur, Non reuertebantur cum ambularent, sed vnumquodque ante faciem suam gradiebatur. Sic utique ad Deum directa debent esse nostra itinera, ut ultra non sint ad prauitatem operis distorta. Nec mirum si custodiuit vias domini, nec à Deo suo impiè gessit: nam sequitur, Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo. Id est & praemia iustorum & poenas impiorum, & flagella corrigendorum, & tentationes probandorum perseueranti contemplatione considero. Ad custodiendam quippe iustitiam, & impietatem euitandam, valde vile est extrema sollicitè pensare. Vnde scriptum est, In omnibus operibus tuis meditare nouissima tua, & in aeternum non peccabis. Rectè ergo subiunctum est, Et iustitias eius non repuli à me. Sicut illi qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. De quibus Apostolus Petrus, Quia melius est non cognoscere viam veritatis, quam post cognitionem retrosum redire. Et ero immaculatus cum eo. secundum delectationem malae cogitationis. Et obseruabo me ab iniquitate mea. Id est, ab iniquitate operationis. Tale debet esse nostrum studium, nostrum desiderium: ut intus simus immaculati, foris innocui: quatinus aeternam remunerationem consequamur, de qua subiungitur: Et retribuet mihi dominus secundum iustitiam meam. Non solum propter latitudinem fidei, sed propter longitudinem perseuerantiae. Et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius. Non quo homines vident, sed quo ipse. Quoniam quae videntur, temporalia sunt: quae autem non videntur, aeterna. Et homo videt in facie, Deus in corde. Bonorum quoque opera semper in conspectu Dei sunt, malorum verò non respicit. Vnde alibi dicitur, Nouit dominus viam iustorum, iter autem impiorum non nouit. Haec quae praemissa sunt, dicit Ecclesia, ad excitandum nos & promouendum ad fidem rectam, spem certam, operationem bonam, retributionem aeternam. Vnde nunc quenquam nostrum admonet, dicens, Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris. Attende illum qui est sanctus sanctorum, qui in seipso sanctus est, & alios sanctificare potest. Qui est verè innocens, agnus sine macula, Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur,

Phil. 2.
Iaco. 2.
Genes. 4.
Hebr. 11.
Ezech. 1.
Eccl. 7.
Luc. 8.
2. Pet. 2.
Luc. 9.
Math. 24.
2. Tim. 4.
2. Corint. 4.
Luc. 11.
Proter. 10.
Psal. 1.
Leuit. 19.
Ioan. 1.
1. Pet. 2.

non comminabatur. Qui est electus à Deo patre, sicut scriptum est, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Sociare illi, imitare illum, sit tibi bonum adhaerere Deo, & eris cum sancto sanctus, cum innocente innocens, cum electo electus. Quod si societatem peruersorum dilexeris, & tu similiter peruertêris. Ecce duæ viæ tibi ostensæ sunt: vna iustorum, altera reproborum; vna salutis, altera damnationis: vna quam tenent humiles, & à Deo exaltantur. Altera quam tenent superbi, & à Deo humiliantur. Vnde & subditur, *Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superbiorum humiliabis.* Serua ergo humilitatem, recognosce te puluerem & cinerem, confitere peccata tua, esto vilis in oculis tuis, vt cum populo humili saluari merearis. Caue oculorum extollentiam, ne videaris tibi gloriosus, tibi sapiens, tibi magnus, ne vbi te altum videris, ibi te deiiciat, qui oculos superbiorum humiliat. Vnde scriptum est, *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Sit ergo oculus in te simplex, vt totum corpus tuum sit lucidum: & dic quod sequitur. *Quoniam tu illumina lucernam meam domine: Deus Deus meus illumina tenebras meas.* Quia illuminaisti me in his quæ scio, illumina in his quæ nescio. Vel, quia illuminaisti lucernam meam, donando fidem, illumina tenebras operum meorum: vt quod teneo credendo, sequar operando. Quæ sunt tenebræ nostræ, nisi iniquitates & negligentia? In tantam cæcitatē deuenimus, vt nosmetipsos ignoremus, nec citò deprehendimus mala quæ agimus. Vnde nobis petendum est à domino, vt nostras tenebras illuminet, vt delicta & scelera nostra faciat nos videre: quatinus vitam nostram flendo, & pœnitendo possimus emendare. *Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.* In te, inquit, eripiar, non in me: in me enim infirmus sum, sed in te fortis. Tu es solus qui eripis à tentatione, qui principem huius mundi foras mittis, qui non permittis tentari seruos tuos super quæ ferre possunt: sed facis etiam ex tentatione prouentum. In te transgrediar murum, vel duritiam cordis, vel obstaculum peccatorum, quem diabolus ne ad te venire possem, mihi opposuit. Murum in Deo nostro transgredimur, quotiens per ipsius gratiam nobis inspiratam vitiorum congeriem superamus. Hic incipit Deum suum Ecclesia commendare, dicens, *Deus meus impolluta via eius: Eloquia domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se.* Ac si dicat, Hic meus Deus non est sicut cæteri: nanque via eius impolluta, verba eius in tribulatione probata, spes illius certa & firma, qui protegit sperantes in se, ne deficiant in tentatione. Quid tam impollutum, tam mundum, quàm Dei virtus, & Dei sapientia Christus? qui ait, Ego sum via. Teneamus ergo hanc viam, & mundabimur: custodiamus eius eloquia, & non errabimus: figamus in ipso spem nostram, & securi sub eius protectione ambulabimus. Et merito sperandum est in illo: *Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?* Deus qui nos creauit, Deus qui nos regit, Deus quem amamus, Dominus quem timemus. Si inueniremus talem aut meliorem, fortassis in illo esset sperandum. Sed quia cunctis melior est & sublimior (sicut ipse ait,

ait, Ego Dominus, & non est alius, extra me non est Deus) restat vt in ipso spes nostra fixa permaneat. *Qui præcinxit me virtute.* Scilicet fide, spe & charitate. *Et posuit immaculatam viam meam.* Videlicet vt innocenter viuam. Et notandum quod non ait, Cinxit me, sed Præcinxit. Magnum quidem omnipotentis Dei donum est, cum antè quisque præcingitur, quàm ad vitia relaxetur. Nec mirum si eorum viam immaculatam posuit, quos taliter præcinxit: quia vbi præcedit cingulum virtutum, non possunt impedire maculæ & laxuræ vitiorum. Hinc est quod dominus nos iubet lumbos nostros præcingere, vt antè quisque se restringere contra vitia debeat, quàm laxatus & impeditus cadat. *Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum.* Id est affectus animi quibus tanquam pedibus sustentor & proficio, ad transcendenda spinosa & umbrosa implicamenta huius seculi. *Et super excelsa statuens me.* Id est cælestibus regnis, vbi sanctorum est habitatio. Vnde Apostolus ait, *Nostra autem conuersatio in cælis est.* Sic proculdubio debemus affectus nostros, & gressus operum nostrorum in hac terra disponere, vt calcatis spinosis desideriis huius seculi, mentem nostram in cælestibus studeamus stabilire. *Qui docet manus meas ad prælium.* Qui docet me operari ad superandos inimicos, qui nobis intercludere cælestia regna conantur. *Et posuisti vt arcum æreum brachia mea.* Id est, infatigabilem intentionem honorum operum. Vfus prophetarum est, cito mutare personam. Modò ad Deum loquitur propheta siue Ecclesia, modò ad proximum. Ad Deum, videlicet à quo accepit quod loquitur. Ad proximum, cui expendat quod accepit. Non sufficit nobis habere gressus rectos ad sectandam iustitiam, nisi habeamus doctas manus ad pugnam. Neque enim retineri potest iustitia sine pugna. Sunt autem multa genera præliorum: nam est nobis colluctatio aduersus principes, & potestates rectores tenebrarum. Est nobis pugna aduersus seculum: est in nobis ipsis discordia inter carnem & spiritum. Contra hæc nos oportet doctos esse ad prælium, & pugnare armis iustitiæ à dextris & à sinistris: & habere fortem & inflexibilem intentionem, tanquam arcum æreum, ad feriendum & fugandum inimicum. Et rectè intentiones brachiis comparantur, quia sicut in brachiis fortitudo, & manus adhærent brachiis: ita fortis debet esse nostra intentio, & ab ipsa procedere robusta operatio. Sed quia nos fragiles, & inimici nostri nobis sunt robustiores: opus est vt fiat nobis quod sequitur: *Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, & dextera tua suscepit me.* Dat electis suis Dominus salutem suam, qua eos protegat tanquam nudos. Dat dexteram suam, id est, fauorem gratiæ suæ, qua suscipiat eos tanquam medicus agrotos. Si timueris æstus vitiorum, & tela inimicorum inuisibilibium, siue aduersitates persequentium hominum: postula protectionem diuinæ salutis. Si senseris te peccatorem & infirmum, multis vitiis & negligentis corruptum: postula Dei misericordiam, & subleuantem dexteram, vt ab eo suscipiaris & saneris. Ipse enim est vera salus, qui protegit suos ab exteriori persecu-

tione. Ipse est subleuans misericordia, qui suscipit, & sanat à propria infirmitate corporis & animæ. Et quia eosdem quos protegit & curat, aliquando vtiliter flagellat: rectè subiunctum est: *Et disciplina tua correxit me in finem & disciplina tua ipsa me docebit.* In hoc apparet quòd nos diligit cælestis pater, quia nobis dare dignatus est disciplinam. Hinc scriptura sacra nos admonet dicens, Fili noli negligere disciplinam patris tui, & ne fatigeris cum ab eo argueris. Quem enim diligit dominus, corripit: flagellat omnem filium, quem recipit. Hæc autem domini disciplina ad duo est vtilis: corrigit mores, docet scientiam. Bene morigeratum, bene doctum reddit hominem disciplina Dei. Sic autem corrigit & docet, vt mittat eum in finem, id est, in Christum, qui est finis laboris, & merces operis. Hac proculdubio disciplina correctus & doctus erat, qui dicebat, Gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Vnde aptè subiungitur: *Dilatasti gressus meos subtus me.* Ne impediunt carnales angustia, quoniam latam fecisti charitatem meam, operantem hilariter, & de ipsis quæ subter me sunt, mortalibus rebus & membris. *Et non sunt infirmata vestigia mea.* Id est, signa quæ impressi ad imitandum te. Dilatos gressus habet subtus se, quisquis gloriatur in tribulationibus. Si foris est angustia doloris, intus est latitudo charitatis. In seruorum Dei cordibus tantò crescit amor Dei, quantò foris impugnat aduersitas mundi. Eius autem non sunt infirmata vestigia, qui confirmat cor suum ad toleranda mala propter Deum, qui potest dicere cum Apostolo, Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus sum, inquit, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Quisquis ergo talis est, vt supra dictum est, scilicet præcinctus virtute, perfectus opere, ad præliandum doctus, in disciplina eruditus, perfectus in charitate, inuictus in tribulatione: qui iam à nemine superatur, idoneus est, vt iam inimicos suos persequatur. Vnde voce perfectorum subiungitur: *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non conuertar donec deficiant.* Persequuntur inimicos suos sancti viri, cum malignos spiritus, siue carnales affectus à se repellunt & reprimunt, orando, vigilando, carnem suam domando, spiritualibus studiis deseruendo. Inimicos autem comprehendere, est immundorum spirituum calliditates subtiliter inquirendo cognoscere, & cognitatas euitare. Vel inimicos comprehendit, quisquis carnales animi motus sub iurationis constringit. Nec conuerti debet ab hac intentione, ab hoc studio, donec deficiant, id est, penitus absumantur ea quæ illicitè animo reluctantur. Rectè ergo subiungitur, *Confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos.* Si poteris

teris confringere hostes tuos, si non permiseris regnare peccatum in tuo mortali corpore: si vires eis abstuleris, vt non præbeas membra tua arma iniquitatis peccato. Sic etiam stare non poterunt, si mox vt senseris tentationem, à te repuleris, si statim vt videris peccatum, emendaueris. Confringere inimicos nos docet Apostolus, cum dicit, Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immundiciam, luxuriam, & cætera. Cadent etiam subtus pedes tuos, si vitia & concupiscencias in corde tuo abominatus fueris, & despexeris, & insuper affectus bonos & spirituales actiones apposueris. Vnde alibi vir perfectus ait, Iniquitatem odio habui, & abominatus sum: legem autem tuam dilexi. Hæc duo faciunt perfectè superare diabolus & peccatum, scilicet amor Dei, & odium mali. Et ne hoc videatur ascribere suis viribus, rectè subinfertur, *Et præcinxisti me virtute ad bellum: & supplantasti insurgentes in me subtus me.* Si vis superbiam in te insurgentem supplantari subtus te, ora Deum, vt præcingat te humilitate. Si vis subtus te luxuriam supplantari, precare dominum vt præcingat te castitate. Quodcunque vitium contra te insurgere videris, postula à domino virtutem contrariam illi vitio, qua illud debelletur, & fiat tibi quod sequitur, *Et inimicos meos dedisti mihi dorsum:* Id est, retrorsum conuertisti. *Et odientes me disperdidisti.* Quali dorsum inimici dantur, cum illiciti appetitus & vitia penitus obliuioni traduntur: cum retrò non respicitur per delectationem, & mentis oculus ad cælestia contemplanda, & ea quæ ante nos sunt appetenda dirigitur. Disperdit autem odientes nos dominus, quando repellit à nobis malignos spiritus, ne nos tentent, ne nobis noceant. Vel in eo quod superius dictum est, Persequar inimicos meos, hostes sanctæ Ecclesiæ conuenienter possumus intelligere, quos sancti & perfecti viri quotidie non cessant persequi, arguendo, increpando, vetando, excommunicando: & ex his quosdam comprehendunt, & attrahunt ad fidem, ad pœnitentiam, ad conuersionem: nec conuertuntur à prædicatione, donec illi deficiant ab iniquitate. Confringunt à statu superbiæ atque sibi substerunt sub omnimoda humilitate, & præcincti armis virtutum sic supplantant eos à vitiis, vt qui insurgentes erant persequendo, subsequentes fiant pœnitendo. Et qui præbant minando, & trahendo, retrorsum fiant obediendo: de odio conuersi ad charitatem, de conuentione malitiæ dispersi & diuisi ab inuicem. Et quia ex supradictis inimicis nonnulli à domino reprobantur, quia videlicet & toto corde non conuertuntur, nec veraciter peccata sua confitentur, nec purè domini misericordiam deprecantur: subiunctum est, *Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret ad dominum, nec exaudiuit eos.* Non enim omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cælorum. Vnde Apostolus quibusdam non rectè clamantibus ait, Petitis, & non accipitis, eo quòd male petatis. Clamabunt etiam reprobi in die iudicii, dicentes, Domine Deus, aperi nobis. Et non erit qui eos exaudiat: sed dicitur eis, Amen dico vobis, nescio vos. De quibus voce capitis

Rom. 6.

Ibid.

Col. 3.

Psal. 118.

Sapient. 8.

Luc. 9.

2. Corint. 5.

Eccles. 17.

Matth. 7.

Iacob. 4.

Matth. 25.

Ibid.

subinfertur: *Et comminuum eos. Ut puluerem ante faciem venti: et litum platearum delebo eos.* Quia aridi non receperunt imbrem misericordiae Dei, quia leues & mobiles ante ventum tentationis fuerunt, merito à terra uiuentium tollentur, atque in modum pulueris comminuentur, cum dicitur eis, *Ite maledicti in ignem aeternum.* Qui merito lutum platearum dicti sunt, quia in lata & spatiosa vita, in immunditiis & vitiis vixerunt.

Qui utique delebuntur à domino, sicut scriptum est, Deleantur de libro uiuentium, & cum iustis non scribantur. Eripies me de contradictionibus populi. qui dixerunt, *Si dimiserimus illum uiuum, seculum sequetur illum.*

Constitues me in caput gentium. Ut gentes in me credant, ut sim illis in Deum, ipsi sint mihi in populum. Caecitas ex parte contingit in Israël, ut gentium multitudo saluaretur. Noluerunt enim Iudaei recipere uerbum fidei, unde eis dictum est, *Vobis primùm oportuit praedicari uerbum Dei, sed quia repulistis istud, & indignos vos fecistis aeternae uitae: ecce conuertimur ad gentes, de quibus subditur, Populus quem non cognouit. Quem corporali praesentia non uisitati, seruiuit mihi, Praecepta mea custodiuit. In auditu auris obediuit mihi.* Oculis me non uidit, nomine meo tantum audito praedicatores meos recepit. Esto & tu ex populo isto fidei, ut si Christum non uidisti in carne, seruias tamen ei in spiritu, & si ei obediens in tota uoluntate, ut beatus esse merearis, cum eis de quibus scriptum est, *Beati qui non uiderunt, & crediderunt.* Caue autem eorum exemplum, de quibus subditur: *Filij alieni mentiri sunt mihi, filij alieni inueterari sunt, & claudicauerunt à semitis suis.* Filij Dei fuerunt Iudaei, sed Christiani interficientes filij diaboli facti sunt. In ueritate non permanentes, legis facti praeruaricatores, mentiri sunt. In primi hominis peccato inueterati sunt, quia nouum hominem recipere noluerunt: Et claudicauerunt à semitis suis, id est, à lege & prophetis, siue in suis intellectibus, uel in fide uino pedes nitentes, id est, patrem & non filium adorantes: uel uetus & non nouum testamentum sequentes, siue literam & non spiritum tenentes. Inde est quod ait Apostolus: *Qui & idoneos nos fecit ministros noui Testamenti: non litera, sed spiritu. Litera enim occidit, spiritus autem uiuificat.* His enim pedibus graditur sancta Ecclesia, his pedibus ad caelestia promouetur. Deinde ad nostram aedificationem quid subiungat audiamus. *Uenit dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meae.* Dij gentium non uiuant, nec aliquem saluare possunt. (Unde alibi Psalmista ait: *Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non uidebunt.*) Et ideo nec benedicendi sunt, nec exaltandi. Nos autem talem dominum & talem Deum habemus, qui in aeternum uiuit, qui nos regit ut dominus, creauit ut Deus: qui seipsum nobis tradidit, qui salutis nostrae auctor extitit. Unde recte à nobis benedicendus est, exaltandus, amandus, colendus & uenerandus. *Deus qui dicit cupiditas mihi, & subdis populos sub me liberator meus de inimicis meis iracundus. Et ab insurgentibus in me exaltabis me, à uiro iniquo eripies me.* Non solum salutem praestat Deus electis suis, sed etiam uindictam tribuit de inimicis. Tantas uindictas dedit Deus pater Christo filio suo de inimicis suis iracundis, scili

Matth. 25.
Matth. 7.

Psal. 68.

Ioan. 11.

Matth. 21.

Psal. 117.

Osee 2.

Rom. 9.

1. Pet. 2.

Acto. 13.

Acto. 8.

Ioan. 20.

Ioan. 8.

Roma 2.

Ioan. 1.

2. Corint. 3.

Psal. 113.

2. Timot. 1.

& 6.

Ioan. 13.

Deut. 32.

Ephes. 5.

1. Timot. 2.

Deut. 32.

Rom. 12.

Hebr. 10.

scilicet Iudaeis, qui tanto iracundiae & furoris zelo accensi sunt, ut contra Deum suum insurgerent, & tanquam uir unus & iniquus conuenerent in unum, aduersus dominum & aduersus Christum eius: tantas, inquam, uindictas dedit, ut eos quos susceperat regendos, & nutriendos tanquam filios, propter perfidiam & uesaniem illorum, reprobaret atque deiceret tanquam alienos. A quibus liberatus est Christus, cum à mortuis resurrexit. Exaltatus est, cum ad dexteram patris ascendit. Ereptus est, quando uerbum fidei, quod Iudaeis ablatum est, gentibus tradidit. Unde bene dicitur, *Et subdis populos sub me.* Cum enim unum Iudaicum populum, iugum fidei respicientem, dure iudicando deseruit, multos nationum populos misericorditer uocando, eidem iugo subdidit. Unde subiungitur. *Propterea confitebor tibi in nationibus domine, & nomini tuo psalmum dicam.* Id est, per meos fideles ubique terrarum te laudabo, & in tuo nomine bona agent. In hoc loco confessio laudem significat. Psalmus uero bonam operationem. Ille Deum uere & integre laudat, cuius in laude ipse lingua & uita concordat. Adhuc unde laudandus sit Deus, ostenditur: cum subinfertur. *Magnificans salutes regis eius, & faciens misericordiam Christo suo Dauid, & semini eius usque in seculum.* Nondum erant magnificatae salutes eius, quando notus erat tantum in Iudaea Deus, sed tunc excreuit salutum eius magnificentia, quando praedicatum est admirabile nomen eius in uniuersa terra: quando dictum est Apostolis, *Ite, praedicate Euangelium omni creaturae.* Tunc proculdubio fecit misericordiam Christo suo Dauid, * quando aequalem sibi per diuinitatem, uoluit nasci ex semine Dauid secundum carnem. Et semini eius usque in seculum, id est in aeternum similiter misericordiam fecit, quando credentibus in eum remissionem peccatorum, & uitam aeternam donauit. Unde scriptum est, *Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam.* Et erit quicumque inuocauerit nomen domini, saluus erit.

Matth. 26.
Ioan. 10. &
18.
Psal. 2.

Mar. 16.
Philp. 2.
Acto. 13.

Psal. 75.
Mar. 16.
Rom. 1.

* Locu in
antore inuer
sus uino li
brariorum,
restitutum
& explica
tus.

Osee 2.
Roma. 9.
1. Pet. 2.
Iohel. 2.
Roma. 10.
Acto. 2.

TITVLVS PSALMI XVIII.

TITVLVS huius psalmi notus est, quia non dominus Iesus Christus haec dicit, sed de illo haec dicuntur. In finem psalmus Dauid. Negotium est commendare statum catholicae religionis, & praedicatores Ecclesiae, & illum à quo praedicationem acceperunt. Et hoc facit, ut intelligantur delicta, & corrigantur: sic immaculatus homo complacet Deo. Vox propheta per spiritum sanctum dicentis, uel Ecclesiae.

PSALMVS XVIII.

AELI enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Id est, Apostoli & euangelistae, qui merito dicuntur caeli, propter uitae celsitudinem, & firmamentum propter fidei & charitatis soliditatem: enarrant gloriam diui-

nitatis, & annuntiant nobis opera humanitatis. Enarrat gloriam Dei
 Ioan. 1. Ioannes, cum dicit, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum,
 & Deus erat verbum. Annuntiat opera Dei, cum subiungit. Et verbum
 Ibidem. caro factum est, & habitauit in nobis. De gloria quoque eius subdit, di-
 Ibidem. cens, Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum
 gratiæ & veritatis.: Ex his duobus, scilicet diuinitate & humanitate, con-
 sistit vera & catholica fides. Et quia hæc cum discretione, iuxta capaci-
 tatem audientium prædicanda sunt, rectè subinfertur: *Dies diei eructat ver-
 bum, & nox nocti indicat scientiam*. Dies diei, id est, spirituales spirituali-
 bus: nox nocti, id est, carnales carnalibus. Vtrique enim audiunt, et si
 non vtrique similiter sapiunt. Isti tanquam verbum ructuatum, illi au-
 diunt tanquam scientiam annuntiatam. Quod enim ructuatur, præsentibus
 ructuatur, quod autem nuntiatur, longè positis nuntiatur: dies diei
 1. Cor. 2. verbum eructat, cum dicit Paulus, Sapientiam loquimur inter perfectos.
 Nox nocti scientiam indicat, cum se minus intelligentibus, tanquam mi-
 nus intelligens transformatur, dicens, Nihil iudicavi me scire inter vos,
 nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. Et iterum, Non potui loqui
 Ibidem. vobis tanquam spiritualibus, sed tanquam carnalibus lac potum dedi vo-
 1. Cor. 3. bis, non escam. *Non sunt loquela neque sermones, quorum non audiantur vo-
 ces eorum.* In apostolorum Actibus legitur, quomodo veniente super eos
 Acto. 2. spiritu sancto, omnes impleti sunt illo, & loquebantur linguis omnium
 gentium, sicut spiritus dabat eis pronuntiare. Sed non ibitantum, ubi
 Roma. 8. impleti sunt, sonuerunt. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis
 terra, Verba eorum.* Ideo & nos hic loquimur. Sonus enim ille usque ad
 nos peruenit. *In sole posuit tabernaculum suum.* Dominus ut aduersus regna
 Mat. 10. temporalium errorum belligeraret, non pacem, sed gladium misit in
 terram, in tempore posuit tanquam militare habitaculum suum, hoc est
 dispensationem incarnationis. Vel in sole, id est, in manifestatione po-
 situm tabernaculum suum, scilicet Ecclesiam suam, quæ in hoc seculo non
 Philip. 3. habet fundamentum. Vnde ipsa ait, Nostra autem conuersatio in caelis
 est. *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Id est, de utero virginali
 I an. 1. ubi Deus naturæ humanæ tanquam sponsus sponsæ copulatus est: ver-
 bum enim caro factum est, & in utero virginali thalamum inuenit, at-
 que inde, tanquam de castissimo procedens cubili, humilis misericordia
 Philip. 2. infra omnes, fortis maiestate supra omnes apparuit. Vnde sequitur:
Exultauit ut gigas ad currendam viam. Exultauit sicut fortissimus, & cate-
 ros homines incomparabili virtute præcedens, non ad habitandum, sed
 Psal. 1. ad currendam viam. Non enim in via peccatorum stetit. Natus est, cre-
 Luc. 2. 22. uit, docuit, passus est, resurrexit, ascendit. Cucurrit viam, non adhæ-
 sit in via. Vis audire quantum cucurrit? *A summo celo egressio eius. Et occur-
 sus eius usque ad summum eius.* A patre egressio eius non temporalis sed æ-
 terna, qua de patre natus est: & occurrit plenitudine diuinitatis usque ad
 æqua

æqualitatem eius. A summo celo egressio eius, quia exiit à patre, & ve-
 nit in mundum. Et occurfus eius usque ad summum eius, quia iterum re-
 liquit mundum, & iuit ad patrem. A summo ad summum est cursus eius,
 quia deitate & potentia est æqualis patri. Postea verò quàm excurrit in-
 de, & recurrendo remeavit, misit spiritum suum: visæ sunt illis, super
 quos venit, linguæ diuisæ velut ignis. Et ideo sequitur: *Nec est qui se ab-
 scandat à calore eius.* Sicut ignis venit spiritus sanctus scenum carnis consum-
 pturus, aurum cocturus, & purgaturus. Vel sic potest intelligi, Nec est
 qui se abscondat à calore eius, id est, qui non habeat aliquem calorem,
 vel aliquam gratiam spiritus sancti: cum omnes intellectum habeant &
 rationem. *Lex domini immaculata conuertens animas.* Lex domini ipse est,
 qui venit legem implere, non soluere: & immaculata lex, quia pecca-
 tum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: non premens animas
 seruitutis iugo, sed ad se imitandum in libertatem conuertens. Vel domi-
 ni lex immaculata intelligi possunt diuina mandata, de quibus dicit A-
 postolus, lex quidem sancta, & mandatum iustum, & bonum. Ego au-
 tem carnalis sum, venundatus sub peccato. Hæc quidem lex, aspirante
 diuina gratia, animas conuertit, peccatores ad pœnitentiam mittit, te-
 pidos accendit, pigros excitat, immundos mundat, iniustos iustificat.
Testimonium domini fidele sapientiam præstans paruulis. Eloquia diuina non im-
 meritò dicuntur lex & testimonium. Lex, quia docent & præcipiunt: testi-
 monium, quia in eis quantum nos diligat, Deus probare dignatur. Et
 ipsum testimonium est fidele, id est, credibile. Per hoc enim testimo-
 nium quod in illo videmus impletum, sicut lex diuina docet: etiam futu-
 ra erga nos quæ sempiterna promissa sunt, expectamus & speramus im-
 plenda. Et ista lex & hoc testimonium sapientiam præstat paruulis, id est,
 humilibus. Vnde scriptum est, Super quem requiescit spiritus meus, nisi
 super humilem & quietum, & tremementem sermones meos? Et rursus,
 Confitebor tibi pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudenti-
 bus, & reuelasti ea paruulis. Præstat ergo sapientiam paruulis, quia
 instruit humiles de diuinis. *Iustitia domini recta, latificantes corda, præceptum
 domini lucidum, illuminans oculos.* Rectæ sunt iustitiæ domini, id est in-
 flexibiles: non declinant ad dexteram siue ad sinistram, non flectuntur
 in prosperis siue in aduersis: corda obseruantium eas latificant spiritua-
 li gaudio. Præceptum quoque domini lucidum est, sine velamento car-
 naliū obseruationum: illuminans oculos, id est, hominis interioris a-
 spectum. *Timor domini sanctus permanens in seculum seculi.* Timor domini,
 non ille sub lege pœnalis, temporalia bona sibi subtrahi perhorre-
 scens, quorum dilectione anima fornicatur: sed castus, quo Ecclesia spon-
 sum suum quantum ardentius diligit, tantò diligentius cauet offendere.
 Et ideo non foras mittit consummata dilectio timorem hunc, sed per-
 manet in seculum seculi. *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.*
 Iudicia

Ioan. 3. Iudicia eius, qui non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio: verè iustificata incommutabiliter: neque enim, vel minatus, vel pollicitus Deus quenquam fallit, aut quisquam vel impiis supplicium eius, vel piis præmium eius potest eripere. Iudicia domini iustificata sunt in semetipsa, id est per vnitatem, non ad rixas diuisionis, sed ad congregationem vnitatis. Ideo linguis omnium loqui fecit, in quos primò venit: quia linguis omnium gentium se in vnitatem congregaturum esse nuntiavit. Quod tunc faciebat vnus homo accepto spiritu sancto, vt linguis omnium gentium loqueretur, hoc modò vnitatis facit: linguis omnibus loquitur in omnibus gentibus. Et ipsa iudicia domini sunt. *Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum: & dulciora super mel & fauum.* Per hæc duo, scilicet aurum & lapidem pretiosum, quæ magis desiderantur in hoc seculo, vult comprehendere omnes diuitias. Et per alia duo, id est mel & fauum, quibus nihil in hoc mundo est dulcius, vult intelligere omnes dulcedines: vt tu intelligas nihil tam dulce, tam pretiosum, tam amandum, tam appetendum, quàm diuina iudicia. Et cum ea tam chara esse intellexeris: diligas & custodias illa: quatinus mercedem inde cælestem & recipere merearis, & dicatur de te quod sequitur. *Etenim seruus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.* Quàm dulcia ista sunt, custodiendo probat seruus tuus. Non custodiendi quidem amara sunt: & sequitur pœna. In custodiendis autem retributio multa, non in aliquo extrà posito commodo, sed in eo ipso, quo iudicia Dei custodiuntur, multa retributio est, & gaudetur in eis. Inter hæc autem iudicia diuina quæ desiderat, & retributionem cælestem quam sperat, de propriis vir sanctus videtur expauescere peccatis, cuius subiungit: *Delicta quis intelligit?* Et ideo sequitur oratio. *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.* Non est mirum si delicta sua quisque non intelligat, quia ipsa tenebræ sunt, & oculum cordis impediunt, nec lucem sinunt videre, nec se. Ergo Deo dicamus, qui nouit videre quid purget, nouit inspicere quid sanct. Illi dicamus, *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.* Delicta mea inquinant me, delicta aliena affligunt me. Ab his munda me, ab alienis parce. Tolle mihi ex corde malam cogitationem, repelle à me malum suaforem.


Matth. 15. Ista duo genera delictorum propria simul & aliena, primitus in exordio claruerunt. Diabolus suo delicto cecidit, Adam alieno deiecit. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.* Non ait, si non fuerint in me delicta: sed, si mei (inquit) non fuerint dominati. Impossibile est enim hominem esse sine peccato, quandiu mortaliter viuunt, teste Apostolo qui ait, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est: Ergo & si habemus peccatum in carne, & si pungat nos carnalis concupiscentia, si resistimus quantum possumus ex voluntate, si non consentimus ex spiritu, immaculati sumus apud Deum, nec imputabitur, quandiu non dominabitur nobis peccatum. Sed quod est maximum delictum, de quo ait, Et emunda

emundabor à delicto maximo? Proculdubio superbia hæc tam magnum est vitium, quòd deiecit angelum, & ex angelo fecit diabolum, eique interclusit in æternum regnum cælorum. Magnum hoc delictum est, & caput atque causa omnium delictorum. Scriptum est enim, In initium omnis peccati superbia. Et ne quasi leue aliquid contemnas, In initium, inquit, superbiæ hominis apostatare à Deo. Non leue malum est hoc vitium fratres mei, huic vitio in his personis quos videtis amplas, displicet humilitas Christiana. Propter hoc vitium dedignatur subdere colla iugo Christi, obligati arctius iugo peccati. Ab hoc vitio quod est caput omnium vitiorum (quia inde cætera nata sunt) facta est apostasia à Deo, eunte anima in tenebras, malè vten te libero arbitrio, peccatis etiam consecutus cæteris. Propter hoc vitium, propter hoc magnum superbiæ peccatum Deus humilis venit. Hæc causa, hoc peccatum magnum. Iste morbus animarum omnipotentem medicum de cælo deduxit vsque ad formam serui, humiliavit, contumeliis egit, ligno suspendit, vt ad saluantem medicinam curreret hic timor. Iam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus. Ita, inquit, mundabor à delicto maximo, quia Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam. Verè ille immaculatus est, qui hoc delicto caret: quia hoc est vltimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit. *Et erunt vt complacent eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Sic complacent eloquia nostra, & meditationes in conspectu tuo semper: si prius delicta fuerint edomita, & extincta superbia. Ex his profectò verbis instruemur, vt domino Deo nostro placere studeamus, in nostris sermonibus atque cogitationibus delicta illicita refrenando, atque à superbia nos emundando. Et ideo dicamus quod sequitur: *Domine adiutor meus & redemptor meus.* Adiutor esto in bonis, & redemptor in malis. Adiutor, vt habitemus in charitate tua: redemptor, vt liberet nos ab iniquitate nostra.

T I T V L V S P S A L M I X I X.

IN finem psalmus David. Iste psalmus attribuendus est propheta David, considerationem suam dirigenti in finem, id est Christum, qui est finis, & completio legis: sicut ipse dicit, Non veni legem soluere, sed adimplere. *Propheta ergo in hoc psalmo, non exorandi necessitate, sed ex magna affectione, ea quæ ventura, plenus spiritu sancto prouidebat, sub figura optandi cauit: hoc intendens, vt exposita nobis Christi resurrectione, cui ventura applaudit, confirmet nos, vt credamus nos resurrecturos, & in cælestibus confessuros: vt quò præcepsit celsitudo pastoris, sequatur humilitas gregis. Et per hoc quòd sub figura optandi hoc facit, desiderium & letitiam, quam inde habuerit, ostendit. Dixit itaque Christo.*

P S A L M V S



EXAUDIAT te dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.

Quare non ait, in die pacis, vel prosperitatis, vel gaudij, sed in die, inquit, tribulationis exaudiat te: Placet quidem Deo, & utilis est iusto tribulatio in hoc seculo. Ipsa enim cor humiliat, atque ad orandum excitat, & facit dignum vt exaudiatur: vnde alibi idem vir sanctus ait, In tribulatione inuocaui dominum & exaudiuit me. Dicit ergo propheta optando & prænuntiando futura, Exaudiat te ô Christe, dominus pater in die tribulationis, id est in tempore passionis tuæ. Exaudiat, inquam, vt te resurgere faciat: protegat te immortalitate, nomen Dei Iacob, id est, qui appellatus est Deus Iacob. Ad te enim pertinet posteriùs natus populus, quia maior seruiet minori. *Mittat tibi auxilium de sancto.* Videlicet de seipso. Ipse enim sanctus sanctorum est, à quo bona cuncta procedunt, teste Apostolo qui ait, Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum. *Et de Syon tueatur te.* Facienti tibi sanctificatum corpus Ecclesiam de speculatione tutâ, quæ expectat quando venias à nuptiis. Syon quippe interpretatur speculatio. Et hi pertinent ad Syon & ad corpus Christi, qui contemptis terrenis mentis oculum dirigunt ad superna. *Memor sit omnis sacrificij tui:* Hoc est, memores nos faciat omnium iniuriarum & contumeliarum, quas pro nobis pertulisti: *Et holocaustum tuum pingue fiat.* Et crucem in qua totus oblatus es Deo, in lætitiâ resurrectionis conuertat. Holocaustum quidem eius pingue apparuit, quâdo in cruce pendens, & seipsum pro nobis Deo offerens, pinguedine charitatis plenus pro suis persecutoribus exorauit, dicens: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. O dulcis domine, quàm pingue cor tuum fuit, quàm suaviter arsit, quàm mirabiliter nobis intus redolet! *Tribuat tibi secundum cor tuum.* Qui scisti quid utilitatis haberet passio tua. *Et omne consiliũ tuum confirmet.* Non solum quo animam tuam posuisti pro amicis tuis, vt mortificatum granum copiosius surgeret: sed etiam quo cæcitas ex parte in Israël facta est, vt plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret. *Letabimur in saluari tuo.* Non in terrenis diuitiis, non in transitoria gloria, non in vanitate huius mundi: sed in eo qui in æternum saluare nos potest. *Et in nomine Dei nostri magnificabimur.* Non in nomine nostro, non in meritis, neque in viribus nostris: sed in nomine Dei nostri magnificabimur. Inuocemus ergo nomen domini Dei nostri super nos, & confessio nominis illius non solum non perdet, sed etiam exaltabit nos. *Impleat dominus omnes petitiones tuas.* Non solum quas habuisti in terra, sed etiam quibus in cælo interpellas pro nobis. Aduocatum, inquit Apostolus, habemus apud patrem Iesum Christum, & ipse interpellat pro nobis. Magna nobis fiducia est, quod ipse qui iudex noster futurus est, orare pro nobis non cessat. Tantum caueamus ne ingrati simus, ne quod ipse misericorditer postulat, duritia cordis nostri à se repellat. *Nunc cognoui quoniam saluum fecit dominus Christum suum.* Ac si diceret propheta, Ea quæ præmissi, non ex diffidentia orauit: quia nunc tanto

ante

ante tempus certus sum, quoniam saluum fecit dominus filium suum, in passione confirmando, in obedientia conseruando, à mortuis suscitando, ad cælos subleuando, ad dexteram suam collocando. Ideo ponit præteritum pro futuro: quia illud quod futurum intelligebat de Christo, ita erat sibi certum, ac si esset præteritum. *Exaudiet illum de cælo sancto suo.* Non de terra tantum, vbi se petit clarificari, verum etiam de cælo, vbi iam ad dexteram patris interpellans pro nobis, diffundit inde spiritum sanctum super credentes in se. *In potentibus salus dextera eius.* Potentatus nostri sunt salus fauoris eius, cum etiam de tribulatione dat auxiliũ, vt quando infirmamur, tunc potentes simus. Nam vana salus hominum, quæ non dextera, sed sinistra eius est. Hac enim tolluntur in magnam superbiam, quicumque peccantes temporaliter salui facti sunt. *Hi in curribus, & hi in equis.* Volubili successione temporalium bonorum feruntur, & hi superbis trahuntur honoribus, atque in his exultant. *Nos autem in nomine domini Dei nostri inuocabimus.* Nos autem spem figentes in æternis, neque gloriam nostram quærentes, in nomine domini Dei nostri exultabimus. *Ipsi obligati sunt, & ceciderunt.* Et ideo ipsi temporalium rerum cupiditate obligati sunt, timetes parcere domino, ne à Romanis perderent locum: & irruentes in lapidem offensionis & petram scandali, de spe cælesti ceciderunt, quibus cecitas in Israël ex parte facta est, ignorantibus Dei iustitiam, & suam volentibus constituere. *Nos autem surreximus, & erecti sumus.* Nos verò vt populus gentium intraret, de lapidibus excitati filij Abraham, qui non sectabamur iustitiam, apprehendimus eam: & resurreximus, nec viribus nostris, sed per fidem iustificati erecti sumus. *Domine saluum fac regem.* Vt ipse qui nobis præliandi exemplum passione sua monstrauerit, offerat etiam sacrificia nostra sacerdos excitatus à mortuis, & in cælo constiturus. *Et exaudi nos in die qua inuocauerimus te.* Quoniam nobis offeres te, Exaudi nos in die qua inuocauerimus te.

TITVLVS PSALMI XX.

IN finem psalmus David. Propheta congaudens de exaudita oratione, dicit illum regem letari in domino. Et ostendit quot & quanta bona remuneratus est eum Deus pater propter constantiam. & e contrario quanta mala aduersariis suis daturus est. Et hoc facit vt omnes sperent in domino, & in misericordia Altissimi: ne dextera eius inueniat eos ad perdendum. Et hic notatur intentio, vbi dicit, Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, & cætera. Vox propheta canentis de Christo ad Patrem.

PSALMVS XX.

DOMINE in virtute tua letabitur rex, & super salutare tuum exultabit vehementer. Ac si diceret, domine pater, in virtute tua, quod verbum caro factum est, letabitur homo Christus Iesus, qui est antequam constitutus rex super Ecclesiam tuam, ad expugnandum diabolum, & regendum eam spiritualiter secundum bona opera, & virtutes, & super eam salutem, quam per eum eidem Ecclesie tribuisti, vehementer exultabit.

h

Latitia ad animam pertinet: exultatio ad corpus. Intus lætabitur de diuinitate coniuncta humanitati, foris exultare se ostenditur de Ecclesia sua per diuinitatem & humanitatem redempta: vnde & subditur, *Desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum.* Desiderauit enim manducare pascha, & ponere, cum vellet, animam suam, atque iterum sumere eam: & dedisti ei. Et non fraudasti eum, subtrahendo ei voluntatem labiorum eius. Quam voluntatem per labia sua manifestauit, sic dicens Deo: *Volo pater, vt vbi sum ego, illic sit & minister meus.* Et iterum, *Pacem meam inquit, relinquo vobis.* Est & aliud vnde lætabitur rex, & exultabit vehementer. *Quonia præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* Prius enim quam homo fieret, ab omnibus patriarchis & prophetis benedictus est. Ab ipso etiam angelo dicente ad Mariam: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Præuenit ergo Deus pater filium suum regem benedictionibus: quia priusquam fieret, benedictus est à pluribus. Et bene additum est, *Dulcedinis, quia hæc copia benedictionis ex dulcedine suæ processit dilectionis.* Mutauit amaritudinem iræ in dulcedinem misericordiæ, & peccatoris maledictionem cōuertit in peccatorum remissionem. Et hæc est benedictio. In capite quoque eius coronam de lapide pretioso posuit, quia in principio sermonis eius accedentes ambierunt eum lapides pretiosi discipuli sui, à quibus exordium annuntiationis eius processit. Vel per coronam positam in capite eius, totam Ecclesiam ex omni parte Christum circūdantem intelligere possumus: quæ constat ex viuus & pretiosis lapidibus, scilicet Apostolis, & martyribus, confessoribus, atque virginibus. Nec nos mouere debet, quod non dicit, de lapidibus pretiosis, sed de lapide pretioso. Multi enim sunt in vnitatem fidei vnum. Multi vnum sunt in compage charitatis: sicut scriptum est, *Erat illis anima vna & cor vnum in Deo.* *Vitam petiit à te.* Resurrectionem petiit, dicens, *Pater clarifica filium tuum.* *Et tribuisti ei longitudinem dierum in seculum, & in seculum seculi.* Id est longa tempora seculi huius, quæ haberet Ecclesia, & deinceps aternitatem in seculum seculi. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo. *Magna est gloria eius in salutari tuo.* Scilicet in eo quod eum saluasti, & resuscitasti, & de corruptibili incorruptibilem, & de mortali immortalem fecisti. Sed adhuc *Gloriam & magnum decorem impones super eum.* Cum in cælo ad dexteram tuam collocabis. Magna quippe Christo regi gloria est, à morte ad vitam resurgere: sed maior est ei gloria ad dexteram patris sedere. Et magnus decor est, hominem esse dominum. Vel gloriam & magnum decorem impones, id est, gloriosos & decoros ædificabis super eum, qui Ecclesiæ est fundamentum: de quo ait Apostolus, *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Gloriam possumus referre ad immortalitatem, siue beatitudinem, siue ad diuinitatem. Decorem autem ad opera & virtutes. Est & aliud, vnde lætabitur rex. *Quoniam dabis eum in benedictionem in seculum seculi.* Prius benedices ei, postea dabis eum in benedictionem populis: vt benedictus benedicat, sanctificatus sanctificet, glorifica

glorificatus glorificet. Vnde Abraham dictum, *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Vel dabis eum in benedictionem in seculum seculi, vt à nobis benedicatur, & laudetur in hoc seculo, & in futuro. *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.* Lætabitur enim Christus in die iudicij, cum vultus & gloria Dei, quam ipse credentibus promisit, manifestabitur. Salus nostra, & visio Dei, erit lætitia sua. Et tunc erit perfectum gaudium capitis, & corporis, quando implebitur quod per Apostolum dictum est: *Similes ei erimus, quando videbimus eum sicuti est.* Et in Euangelio, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Et meritò debes eum lætificare, vel in se secundum humanitatem, vel in membris suis. *Quoniam rex sperat in domino.* Non superbit propter regalem dignitatem, sed humilis corde in te domino & patre suo spem suam constituit. *Et in misericordia Altissimi non commouebitur.* Non conturbabit humilitatem eius obedientia vsque ad mortem crucis. Quid in hoc exemplo suo nobis commendat dominus Deus noster, nisi spei fortitudinem & humilitatem? Si enim rex sperat in domino, quanto magis nos in eo sperare oportet, qui sumus impotentes & fragiles homines? Si ille non commouetur in misericordia altissimi, qui est sine labe peccati, quanto plus in eadem misericordia persistere debemus, qui tot vitiis & peccatis corrupti sumus? Cauendum est enim ne nobis eueniat quod sequitur. *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.* Quæ est manus eius, nisi filius eius? Ipse quoque est dextera eius, secundum quod æqualis est ei. *Qui sunt inimici eius, quos ipse odit, & hi qui eum oderunt: nisi illi quos ipse reprobauit, & qui in eum non crediderunt, aut credentes non obedierunt?* Omnibus his in die iudicij inuenietur manus, id est apparebit Christus secundum humanitatem. Inueniet eos dextera eius, id est, idem dominus Christus, vt destruat eos per diuinitatis virtutem. Vnde & subditur, *Pones eos vt clibanum ignis.* Id est, constitues eos ardentem intrinsecus conscientia impietatis suæ. *In tempore vultus tui.* Id est in tempore manifestationis tuæ in die iudicij, cum facie ad faciem videbunt in quem pupugerunt. Vnde scriptum est, *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Tunc *Dominus in ira sua conturbabit eos.* Dicens, *Ite maledicti in ignem æternum.* Quid tunc fiet? *Et deuorabit eos ignis.* Heu dolor & tristitia. Data sententia statim sequetur pœna. Quam tremenda ira, quæ tunc erit sine misericordia! Quam sæua conturbatio, vbi nulla esse poterit consolatio! Quam infelices animæ illæ quas deuorabit ignis qui non extinguetur! Vbi est vermis qui non morietur, vbi est fletus & stridor dentium. *Fructum eorum de terra perdes, & semen eorum à filiis hominum.* Si per fructum opus, per semen intelligimus cogitationem, vtrunque perdes de terra viuentium, & de societate sanctorum. Neque enim inimici tui essent, nec tantas pœnas incurrerent, nisi opera & cogitationes inutiles habuissent. Et meritò hæc contigerunt eis. *Quoniam declinauerunt in te mala.* Dicentes, *Expedi nobis vt vnus moriatur, & non tota gens pereat.* Mala quæ sibi imminere te re-

gnante arbitrabantur, in te occidendum detorserunt. *Cogitauerunt consilia quae non potuerunt stabilire.* Cogitauerunt enim nomen tuum de terra delere. Cogitauerunt vt Christum occiderent, ne gentem & locum amitterent. Sed ideo amiserunt, quia occiderunt. Non potuerunt ergo stabilire consilium, quia non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra dominum. Atque ex hoc scio *Quoniam pones eos dorsum.* Vt respiciant retrò, & non sint apti regno Dei: vt mente & desiderio terrena appetant & caelestia amittant. Sed nunquid omnes perdes? Absit. Caecitas enim ex parte contingit in Israël, vt multitudo gentium intraret. Reliquiae autem saluae fient. Vnde & subditur: *In reliquiis tuis praeprabis vultum eorum.* Id est vultum tuum & praesentiam tuam, quae fuisset eorum, si ipsi credidissent. Praeparabis in reliquiis tuis, id est, quos tibi saluandos reliquisti. Et ideo, *Exaltare domine in virtute tua.* Id est, resurge & mane in aequalitate patris, vt ostendas potentiam tuam, & maiestatem tuam: qui prius venisti in humilitate. Nos autem *Cantabimus & psallemus virtutes tuas.* Cantus ad laudem, psalmus pertinet ad bonam operationem. Ac si diceret: corde & opere celebrabimus, & nota faciemus mirabilia tua.

Ibidem. Prouer. 21.

Luc. 9.

Roma. 9.

T I T V L V S P S A L M I X X I.

IN finem psalmus David, pro susceptione matutina. Iste psalmus attribuendus est David, id est, manu forti Christo, qui diabolum expugnauit, & mortem deuicit. Qui ideo dictus est David, quia factus est nobis ex semine David secundum carnem. Et ipse nos dirigit in finem, id est, in suae resurrectionis glorificationem. Et est psalmus pro assumptione matutina, id est, pro resurrectione facta mane. Matutina enim fuit prima sabbati resurrectio eius, qua susceptus est in aeternam vitam: cui mors ultra non dominabitur. Dicuntur autem ista in persona crucifixi. Nam de capite psalmi huius sunt verba, quae ipse clamauit, cum in cruce penderet: personam etiam seruans veteris hominis, cuius mortalitatem portauit. Nam *vetus homo noster affixus est cruci cum illo.* Intendit autem nos inuitare suo exemplo ad passionem & patientiam. Sicut enim ait Apostolus, *Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius.* Orat autem pro se & pro membris suis: dicit quam despectus fuerit à Iudaeis: passionem suam narrat: & liberari animam suam postulat. Inuitat nos ad Dei laudem, praedicat gentium conuersionem, & quod annuntiabunt caeli, id est, Apostoli, iustitiam eius, populo qui nascetur spiritualiter, quem fecit, id est, reformauit dominus.

Roma. 1.

Mar. 16.

Roma. 6.

Matth. 27.

Mar. 14.

Luc. 23.

Ioan. 19.

Roma. 6.

Colos. 2.

1. Pet. 2.

P S A L M V S

P S A L M V S X X I.

DEVS Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? longe à salute mea verba delictorum meorum. Istud verbum in cruce audiuius. Ibi dicit dominus, Hely Hely lamafabacthani. Interpretatus est illud Euangelista, & dixit eum Hebraicè dixisse, Deus meus, Deus meus quare me dereliquisti? Quid voluit dicere dominus? Non enim dereliquerat eum Deus, quia semper filius est in patre, & pater in filio: sicut scriptum est, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ipsum ergo verbum quod Deus erat, caro factum est. Suscepit mortem pro nobis, & nos fecit corpus suum, pro quo orat ad patrem, cum dicit, Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? ac si diceret, O Deus omnium per potentiam, specialiter autem Deus meus per gratiam, respice in me, id est, in meos, respectu tuae misericordiae. Quare me, id est, meos dereliquisti? Longe à salute mea verba delictorum meorum. Quomodo dicit Delictorum meorum, qui peccata non fecit, nisi quia ille pro delictis nostris precatur, & delicta nostra sua fecit, vt iustitiam suam nostram faceret? *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.* Dixit hoc de me, de te, de illo. Corpus enim suum gerebat, id est, Ecclesiam. Clamabo per diem in rebus prosperis huius vitae, vt non mutentur: nec exaudies, quia verbis delictorum meorum ad te clamabo. Et nocte, id est in aduersis huius vitae clamabo, vt prosperentur: & similiter non exaudies. Neque hoc facis ad insipientiam mihi, sed potius vt sapiam, quid me clamare velis. Non verbis delictorum, nec desiderio temporalis vitae, sed verbis conuersionis ad te in vitam aeternam. Multi clamant & non exaudiuntur, sed ad salutem, non ad insipientiam. Clamauit Paulus, vt auferretur ab eo stimulus carnis: & non est exauditus. Dicitur est ei, Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. Ergo non est exauditus, sed non ad insipientiam, imò ad sapientiam: vt intelligat homo medicum esse dominum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non poenam ad damnationem. Sub medicamento positus vreris, fecaris, clamas: non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem: *Tu autem in sancto habitas, laus Israël.* In illis habitas, quos sanctificasti. Non enim habitas in corpore subdito peccatis. Quoniam (inquit Sapiens) in maleuolam animam non introibit sapientia. Illi qui sunt iusti, qui sunt casti, & puri, & sancti, ipsi sunt habitaculum Dei. Talem ergo te exhibe, vt in te habitet Deus. Munda cor tuum, sanctifica temetipsum, vt ex his esse merearis, de quibus dicit Apostolus, Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Et bene ait, laus Israël. Israël enim interpretatur videns Deum. Illi Deum laudare nesciunt, qui eum non vident, non intelligunt: nec est speciosa laus in ore peccatoris. Sed ab his veraciter laudatur, à quibus spiritualiter videtur, id est, creditur,

Matth. 27.

Ioan. 10. & 14.

Ioan. 1. Roma. 12. Eph. 4.

Isa. 53. 1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

2. Corin. 12.

Matth. 9.

Sapien. 1.

1. Cor. 3. & 6.

Eccle. 17.

intelligitur, amatur. Esto & tu spiritualiter Israël, vt laus tua sit Deus. *In te sperauerunt patres nostri.* Nec eos fefellit spes. Non enim in se illam posuerunt, sed in te. Bonum enim est sperare in domino, quàm sperare in principibus. Et alibi: *Speret Israël in domino.* Et rursus. *Auditam fac mihi manè misericordiam tuam, quia in te speraui.* *Sperauerunt, & liberasti eos.* Ab inimicis, à tentationibus, à tribulationibus. *Ad te clamauerunt.* In tempore tribulationis. *Et salui facti sunt. In te sperauerunt, & non sunt confusi.* Sperauerunt vt dares eis terram promissionis, & acceperunt. Nouimus & legimus quàm multos patres nostros sperantes in se eruit dominus. Eruit populum Israel de terra Aegypti, eruit tres pueros de camino, eruit Daniele de lacu leonum, eruit Susannam de falso crimine. Sperauerunt, clamauerunt, & salui facti sunt. Et illi peccatores & puri homines fuerunt. *Ego autem sum vermis & non homo.* Ego autem non iam ex persona Adam loquens, sed ego propriè Iesus Christus, sine femine incarnatus, sum vermis, quia mortalis, quia de carne natus, quia sine coitu, & sine femine generatus. Non homo, subaudis tantùm, sed Deus, vt essem in homine ultra homines. Ego talis, sine femine, sine peccato, factus sum *Oprobrium hominum & abiectio plebis.* Ecce, tot patres sperauerunt & clamauerunt, & continuò liberati & saluati sunt. Ipsi tamen (vt dixi) puri homines erant, & peccatores: Dominus autem flagellabatur, colaphis cædebatur, sputis deturpabatur, spinis coronabatur, leuabatur in lignum, clamabat, Deus Deus meus quare me dereliquisti? Et nemo subueniebat. Quare hoc? Nunquid ea virtute, qua Deus erat, liberare se non poterat? Pòterat planè, sed nolebat. Volebat mori, volebat nos redimere, volebat nos exemplo suo informare: vt vel sic dignaretur humana superbia humilitatem Dei imitari: quia cum in forma Dei esset, humiliavit semetipsum factus obediens non vsque ad mortem aliquam vulgarem & communem: sed ad mortem crucis ignominiosissimam simul & crudelissimam. Propter hoc Deus homo voluit fieri opprobrium hominum, & abiectio plebis. Opprobrium hominum, propter crucem: abiectio plebis, quia abiecerunt eum, & petierunt Barrabam, qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate & homicidium, missus in carcerem. Petierunt autem sibi donari homicidam, authorem verò vitæ crucifigentes abiecerunt. Factus est igitur abiectio plebis Iudaicæ. Sed iam audiamus in psalmo, quanta passus sit Christus. *Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, & mouerunt caput.* Omnes, subaudis, illi qui venerant ad videndum, ad crucifigendum, habuerunt me derisui, in corde suo: & labiis locuti sunt derisoria verba: vt est illud, Aue rabi. Et mouerunt caput, dicentes, Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reedificas: Huic prophetiæ concordat euangelista, vbi ait, Et prætereuntes illud ebant. Et mouentes capita sua locuti sunt labiis hæc: *Sperauit in domino, eripiat eum.* Hinc Euangelista ait, Confidit in Deum, liberet eum si vult. *Saluum faciat eum,* liberando, *quoniam tulit eum.* Sicut ipse dicit, hæc ironicè de Christo dicebant Iudæi, & verum tamen dicebant.

Quoniam

Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre. Non solum de illo ventre virginali (nam omnibus hominibus lex ista nascendi est, vt de ventre extrahantur) sed etiam de ventre Iudaicæ gentis, cuius tenebris obtegatur, & nondum in lucem Christi natus est, quisquis in carnali obseruatione sabbati & circuncisione cæterorumque talium salutem ponit. *Spes mea ab uberibus matris meæ.* Spes mea Deus, non ex quo vberibus virginis lactari capi (nam & antè quoque) sed ab vberibus synagogæ, sicut de ventre (dixi) extraxisti me, ne carnalem consuetudinem fugerem. *In te confirmatus sum ex utero.* Ipse est uterus synagogæ, qui me non pertulit, sed iactauit me. Non autem cecidi, quia constituisti me. *De ventre matris meæ Deus meus est tu.* Non effecit uterus matris meæ, vt tanquam paruulus oblitus essem tui. Et ideo: *Ne discesseris à me:* Quia semper mecum eris. Et oportet: *Quoniam tribulatio proxima est.* Vnde in Euangelio, Surgite, eamus: Ecce appropinquabit qui me tradet. *Et non est qui adiuuet.* Neque Angelus, neque homo, nisi tu solus. *Circumdederunt me vituli multi.* Iudæi pingues, luxuriantes, indomitæ ceruicis. *Tauri pingues obsederunt me.* Anna & Cayphas, cæteri que maiores. Tauri quidem, quia superbi: Pingues autem, quia malitia pleni erant. *Aperuerunt super me os suum.* Palàm & alta voce blasphemantes. *Sicut leo rapiens & rugiens.* Sicut leo rapit prædam, ita ipsi ex malitia & crudelitate rapuerunt me ad passionem, rugientes atque irrationabili fremitu, & clamore sonantes, Tolle tolle, Crucifige eum. Reus est mortis. *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt ossa mea.* A qua effusa pedibus labentibus homines in se multotiens cadere faciunt. Effusus sum sicut aqua, scilicet ad lapsum & ruinam eorum. Ossa Christi Apostoli sunt, quibus corpus eius, quod est Ecclesia, sustinetur & roboratur. Hæc autem dispersa sunt, quia relicto eo omnes fugerunt: sicut scriptum est, Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. Aliter, aqua quæ funditur, aut abluit, aut rigat. Effusus est Christus, sicut aqua. Abluti sunt sordentes, rigati sunt sitientes. Ossa dispersa Apostoli sunt, missi ad prædicationem. *Factum est cor meum tanquam cera liquefscens in medio ventris mei.* Pro mortis dolore hoc intelligi potest, quia dixit, Tristis est anima mea vsque ad mortem: atque præ angustia factus est sudor illius tanquam guttæ sanguinis decurrentis vsque in terram: ita vt necesse fuerit eum ab Angelo cælitus missio confortari. Accessit enim (ait Euangelista) angelus de cælo, confortans eum. Vel cor meum, id est, sapientia mea, quæ in sanctis libris de me conscripta est, & tanquam dura & clausa non intelligebatur. Postquam ignis meæ passionis accessit, tanquam liquefacta manifestata est, & excepta in memoria Ecclesiæ meæ. Inde & velum Templi scissum est, postquam Christus expirauit, quia quod velabatur reuelatum est. *Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhaesi faucibus meis: & in puluerem mortis deduxisti me.* Aruit, quia se mortuum & sine vigore ostendit, neque seipsum, qui aliis auxiliari solebat, defendit. Lingua quoque adhæsit faucibus eius, quia sicut ouis ad

h iij

occisionem ductus est, & non aperuit os suum. Et in puluerem mortis ductus est, videlicet in locum sepulturæ. Vel tanquam testa aruit virtus eius, quia quod in ipso erat debile, infirmius factum est ex tribulatione. Et quomodo testa ante ignem mollis est, & post ignem fortis: sic Domini virtus ante passionem contemnebatur, post passionem honorificabatur: & qui prius mortalis & corruptibilis erat, postea factus est immortalis & incorruptibilis. Et quomodo lingua in nobis non valet nisi ad loquendum, sic prædicatores suos, linguam suam dixit adhæsisse faucibus suis, id est duobus testamentis, ut de interioribus caperent sapientiam. In puluerem quoque mortis dicit se deductum, qui puluis significat impios & sceleratos, quos proiicit ventus tentationis à facie terræ, id est à fide Ecclesiæ. Nec mirum si hæc passus sum, quæ prædixi. *Quoniam circumdederunt me canes multi.* Id est, Iudæi, latrantes contra veritatem. *Consilium malignantium obsedit me.* Scilicet principum, Scribarum & Phariseorum, qui consilium fecerunt in vnum, ut Iesum dolo tenerent & occiderent. Vnde & subditur, *Foderunt,* Id est clavis confixerunt, *manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.* Extendendo me in cruce quasi dinumerabilia ea esse ostenderunt. *Ipsi vero considerauerunt, & inspexerunt me.* Idem ipsi, & non mutati ab iniquitatis proposito, considerabant, & considerando apud semetipsos inquirebant quis essem. Et nihil in me inspexerunt, nisi purum hominem. *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Quod vestimenta diuiserunt, suam discordiam & errorem, regni que diuisionem significauerunt. Quod verò inconsutilem & meliorem non diuiserunt, Ecclesiæ concordiam figurauerunt, quæ macula caret & ruga. Vel vestimenta diuisa scripturas, & cætera sacramenta significant, quæ per hæreses diuidi potuerunt. Sed erat ibi tunica super texta, quam nemo diuisit. Quæ est ista tunica, nisi charitas, nisi vnititas, super texta de cælo à patre, à Spiritu sancto, quam nemo potest diuidere? Sacramenta sibi hæretici diuidere potuerunt, charitatem non diuiserunt: & quia diuidere non potuerunt, recesserunt: illa autem manet integra. Sorte obuenerit quibusdam, Qui habet hanc, securus est. Nemo illum mouet de Ecclesia catholica. Et si foris illa incipiat habere, intro mittitur, quomodo ramus oliuæ à columba, quam cum emisisset Noë, reuersam gaudens in arcam rursus intromisit. *Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me.* Non in fine seculi, sicut cæteros, quos iudicaturus in sede maiestatis tuæ venies: sed statim resuscita me. Quod factum est: die enim tertia solutis inferni doloribus, victoque diabolo resurrexit. Nam si usque ad generalem resurrectionem distulisset, tota nostra spes decidisset. *Ad defensionem meam conspice.* Ne quid mihi noceat. Attende in his verbis humilitatem & patientiam Christi. Hæc enim omnia propter te & patitur, & loquitur. Vide ergo quomodo totum auxilium suum & defensionem suam non in se, sed in patre constituit, cum ipse sit Dei virtus, &

tribu

Dei sapientia. Vult te informare suo exemplo ut cum positus fueris in tribulationibus siue tentationibus, humiliter & patienter sustineas, & diuinum auxilium postules, dicens, Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me: ad defensionem meam conspice. Vnde & subditur, *Erue à framea Deus animam meam: & de manu canis vnicam meam.* Frameam vult intelligere mortem: quia framea gladius est, & gladio interficiuntur homines. Et ne intelligeremus mortem carnis, ideo non ait, Erue corpus meum, sed, Erue animam meam. Magis enim debemus orare pro vita animæ in æternum victuræ, quàm pro vita corporis in terra putrescentis. Per vnicam suam, designat Ecclesiam. Per canem, Iudaicum populum latrantem, discordantem, mordentem, irascentem. De cuius manu, id est, potestate, eam postulat liberari. Quisquis litigat, discordat, mordet, irascitur, canis est. Hinc etiã dicitur, *Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me.* Talium noli quærere societatem, ne ab eis tandem sis morsus & laceratus: sed ora Deum, ut ab eis te eruat. *Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.* Leo significat diabolum, de quo dicit Apostolus, *Auersarius vester diabolus,* tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Cui resistite fortes in fide. Qui cum occultè insidiatur, draco est: cum apertè sæuit, leo. Quia ergo ad apertam sæuitiam ad occidendum Christum frenduerat, rectè dictum est, *Salua me ex ore leonis.* Vnicornes autem dicit superbos. Ideo subiecit, *Humilitatem meam.* A cornibus (inquit) vnicornium, id est à sublimitate superbiorum, se singulariter erigentium, consortesque non ferentium saluam fac humilitatem meam. In illis quidem latebat inuisibilis leo. Per illos à parte fremebat, à parte sæuiebat. Rapiebat prædam, dominicam lacerando carnem. Audiuius quæ passus est Christus, & quid orauit: attendamus modò quare passus est. Audi fructum. *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* Qui sunt isti fratres, nisi inuicem diligentes discipuli? Illis dictum est à Domino: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Hos designat in Evangelio ipse Dominus, quando dictum est ei, *Ecce mater tua, & fratres tui, foris stant quærentes te.* At ipse respondens dicenti sibi ait, *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Et extendit manum suam in discipulos, dicens, *Ecce mater mea, & fratres mei.* Quicumque (inquit) fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Et, *Mater mea, & fratres mei,* hi sunt qui verbum Dei audiunt & faciunt. Bene autem ait, *In medio Ecclesiæ laudabo te:* quia non occultè, sed palam venit Christus patrem suum prædicare. Ait enim, *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, & in templo quò omnes Iudæi conueniunt: & in occulto locutus sum nihil.* Et alibi idem seruator ait. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Quoniam quæ in tenebræ dixistis, in lumine dicentur: & quod in aure locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis, id est, palam & coram omnibus. Narrat nomen ut cogno

cognoscatur: prædicat laudem, ut ametur: quatinus per fidem & dilectionem à fratribus spiritualibus intra Ecclesiam colatur Deus. Deinde ad ipsius laudem nos inuitat, cum subiungit: *Qui timeris dominum, laudate eum, & uniuersum semen Iacob glorificate eum. Timeat eum omne semen Israël.* Tres ordines comprehendit hic, inchoantium, proficientium, perfectorum. Sed nonnulli qui peccatorum suorum magnitudine territi, diuino iudicio pauefacti, mala quæ gesserunt, corrigunt: & plus timore pœnæ, quàm amore iustitiæ ad dominum redeunt: tales hic admonentur, ut Deum voce & moribus laudare studeant, quem prauè viuendo antea blasphemabant. Et sunt nonnulli ad altiora promoti, qui iam student se spiritualibus studiis exercere, bonis operibus desudare, concupiscentias carnis rigore spiritus reprimere, vitia virtutibus supplantare. Ipsi sunt semen Iacob, qui supplantator dicitur. Hi dominum de suis profectibus glorificare iubentur, ut videlicet tantò plus proficiant, quantò non in seipsis, sed in domino gloriantur. Et sunt plerique, qui iam culmen perfectionis obtinent, qui ea quæ retrò sunt, penitus obliuiscetes, mentis oculos in aspectum veri luminis inrentos habent: cuncta terrena transcendunt, animo solis cælestibus commorantur, carnalia in se desideria extingunt, mundo mortuè Deo viuunt. Hi sunt spiritualiter semen Israël qui videns Deum, interpretatur, qui carnis & animæ inquinamenta fugiunt, ut Deum videre mereantur. Hi admonentur, ipsum quem amant, indefinenter timere: non seruili timore, quo peccatores timent Deum, ne puniantur: sed timore casto, quo perfecti Deum timent ne deserantur. Quare autem timendus & glorificandus sit dominus, ostenditur, cum subinfertur: *Quoniam non spreuit, neque despexit deprecationem pauperis.* Non spreuit, ut repelleretur, neque despexit, ut vilipenderetur, deprecationem pauperis, id est humilis. *Nec auerit faciem suam à me, & cum clamarem ad eum, exaudiuit me.* O mira omnipotentis Dei clementia! venit aliquis pauper ad diuitem, potentem deprecatur humiliter, clamat pro necessitate, postulat adiutorium, aut petit subsidium. Quid facit diues superbus? Despiciit humilem personam, auerit faciem suam, non dignatur attendere, fastidit audire. Quod superbus homo contemnit, humilis Deus suscipit. Excelsus enim dominus humilia respicit, pauperes misericorditer attendit, piè exaudit. Dicatur ergo meritò quod subditur. *Apud te laus mea in Ecclesia magna, & vota mea reddam in conspectu timentium eum.* Parua erat Ecclesia, cum in vna gente tantum, id est, in Iudæa notus erat Deus. Modò magna est, quia toto terrarum orbe diffusa: in ea quotidie laudes Deo referuntur, vota & sacrificia persoluuntur: non in abscondito, propter timorem persequentium: sed in manifesto, in conspectu credentium. Vnde & subditur: *Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt dominum qui requirunt eum: & uiuent corda eorum in seculum seculi.* Qui ieiuni erant, pabulo veritatis: qui esuriebant & sitiebant iustitiam, modò pascuntur diuinis scripturis: reficiuntur cælestibus sacramentis: laudant, qui requirunt eum: nam laus est domini, eructatio saturitatis illius. Inde viuunt corda eorum

eorum in æternum, quia cibus ille cordis & animæ est, de quo scriptum est, *Qui manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum.* Et, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Non enim in solo pane uiuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Quòd autem Ecclesia magna sit, ostenditur ex verbis quæ sequuntur. Dicitur enim, *Reminiscuntur & conuertentur ad dominum uniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius uniuersa familia gentium.* In eo quod ait, *Uniuersi fines terræ, & uniuersa familia gentium:* insinuat in omni parte mundi, & in omni gente coli & adorari dominum. Præuidebat vir sanctus futurum, quod nos modò videmus adimpletum. Reminiscuntur enim Deum, cuius obliuiscerant: & conuertuntur ad eum, à quo auersi erant, cum terrena appetere, & æterna non intelligerent, & seruirent creaturæ potius quàm creatori, qui est benedictus in secula. Et adorant eum, qui idola adorare consueuerant. *Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.* Expulsus est diabolus, recuperauit hæreditatem suam Christus: regit populum suum spiritualiter, possidet eum tanquam regnum suum, dominabitur in gentibus potestate perpetua. Et quia dixerat familias gentium Dominum adorare, adiunxit de potestatibus, dicens, *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ.* Qui sunt pingues terræ, nisi diuites & abundantes in seculo? Gustauerunt & probauerunt, quoniam suauis est Dominus: & ideo adorauerunt. Quod autem ait uniuersos fines terræ, & uniuersas familias gentium, & omnes pingues terræ conuerti & adorare Dominum: non sic intelligendum est, ut nullus remaneat in terræ terminis, siue in familiis, siue in principibus, qui Deum non colat: sed in omni parte terrarum, ab omni genere familiarum, ab omni genere potestatum accipiendum est credi, & adorare Deum. Nam quòd multi debeant reprobati, ostenditur, cum subinfertur: *In conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram.* In terram descendere, est statum mentis ad terrena concupiscenda inflectere. Sed, sicut dicit Apostolus, *Uniuersusque opus quale fuerit, ignis probabit.* Deus manifestè ueniet, uiuos & mortuos iudicaturus. Ibi cadent reprobi in infernum, ibi resurgent electi ad cælum. Audituri sunt illi, *Ite maledicti in ignem æternum.* Audituri sunt isti, *Percipite regnum uobis præparatum.* Vnde & subditur: *Et anima mea illi uiuet, & semen meum seruiet ipsi.* Illi iam uiuere incipiunt, qui cum Apostolo dicunt, *Nostra autem conuersatio in cælis est.* Hinc ipse ait, *Uiuo ego, iam non ego: uiuit uero in me Christus:* Ideo sancti uiri abnegant semetipsos, & quasi perdunt animas suas in hoc mundo, ut in uita æterna custodiant eas. Semen autem eorum sunt ipsorum opera bona, siue hi qui per eos conuertuntur & seruiunt Deo. Semen suum misit Christus in terram, cum præcepit Apostolis Euangelium prædicare omni creaturæ. Misit paucos grana, & creuit messis multa. Annuntiauerunt enim, & locuti sunt, & multiplicati sunt super numerum. Quod cum vir sanctus præuidisset futurum, subiunxit: *Annuntiabitur domino generatio uen*

Ioan. 6.
Matth. 5.
Matth. 4.

Rom. 1.

Ioan. 12.

Psal. 71.
1. Pet. 2.

Matth. 20.

1. Corint. 3.

Matth. 25.

Phil. 3.
Gal. 2.

Ioan. 12.

Marc. 16.

Luc. 10.

tio ventura, & annūtiabunt celi iustitiam eius populo qui nascetur, quem fecit dominus. Generatio ventura, generatio est noui testamenti, quæ nos sumus: annūtiata domino, id est ad honorem domini, vt ipsius hæreditas maneamus. Hinc Apostolus ait, Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Cælorum autem nomine Apostoli designati sunt, qui iustitiam Dei annuntiauerunt populo nato ex fide, creato à Deo in operibus bonis. Si ergo annuntiatum sumus domino, credamus in ipsum, & illuminati per iustitiam, qua sciamus declinare à malo & facere bonum: & nati in eo per gratiam, vt filij eius esse mereamur, facti ab eo noua creatura: Iustum est vt in hac nouitate vitæ maneamus, & seruiamus Deo nostro in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus vitæ nostræ.

1. Pet. 2.

Ioan. 5.

Psal. 33.

2. Corint. 5.

Rom. 6.

Luc. 1.

T I T V L V S P S A L M I X X I I.

PSALMVS David. Loquitur Ecclesia, per totum hunc psalmum gaudens & gratias agens, pro impensis sibi cælitus beneficiis. Potest ad personam cuiuscumque que fidelis refertur, qui consecutus gratiam baptismatis in sanctificatione spiritus sancti mundatus, refert gratias Deo. Intentio Ecclesie est, in hoc loco infirmiora membra sua informare, vt si aliquod bonum eis completum est, vel complendum, siue in hac vita, siue in futura, diuina gratia, & non meritis suis studeant imputare. Et per totum hunc psalmum fit commendatio diuine gratia. Ait ergo.

P S A L M V S X X I I.

DOMINVS regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit. Dicitur in alio psalmo, Reges eos in virga ferrea, id est, in inflexibili iustitia. Ad hoc enim rex constitutus est, vt spiritualiter Ecclesiam suam regat secundum bonos mores & virtutes: quatinus tuo regimine gubernata ab inopia præsentis miserie deducatur ad pascua æternæ vitæ. Ibi nihil ei deerit, vbi Deus erit omnia in omnibus. Ibi est locus pascuæ, qui in hoc mundo incipit à fide, ibi proficitur in contemplatione. Hinc Veritas ait, Per me si quis introierit saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Ingridietur, videlicet ad fidem: Egredietur ad contemplationem, Inueniet pascua, quando implebitur quod in alio psalmo dicitur, Satiabimur cum apparuerit gloria tua. Sed quia per redemptorem nostrum dicitur, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei: rectè subiungitur: *Super aquam refectionis educavit me, animam meam conuertit.* Aqua refectionis aqua est baptismatis: hoc sacramentum regenerationis est & salutis exordium: ibi anima reficitur, & educatur cum à peccatis abluatur, fide imbuitur, moribus innouatur. Ibi conuertitur à diabolo ad Deum, à malo ad bonum, à morte ad vitam, ab iniquitate ad iustitiam. Vnde & subditur, *Deducit me super semitas iustitiæ propter nomen suum.* Quid per semitas, nisi arctiora iustitiæ præcepta designantur, quibus fideles animæ ad cælestia regna deducuntur?

Psal. 2.

1. Corint. 13.

Ioan. 10.

Psal. 16.

Ioan. 3.

tur? Arcta enim & angusta est via, quæ ducit ad cælos. Nec sufficeret aquis refectionis educari, nisi contingeret operibus iustitiæ perfici. Teste enim Apostolo fides sine operibus mortua est. Et ne videretur hæc ascribere suæ iustitiæ, ideo ait, Propter nomen suum: ac si diceret, Non propter meritum meum. Non enim ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed propter suam misericordiam saluos nos fecit. Deinde non solum iustitia perfectam, sed etiam inter aduersa se esse intrepidam ostendit hæc fidelis anima, cum subiungit: *Nam etsi ambulauero in medio vmbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Mortis vmbrae sunt omnes reprobi, imitatores diaboli. Ipse enim hoc nomine appellatus est, sicut Ioannes ait, Et nomen illi mors. In medio vmbrae mortis erant, quibus Paulus dicebat, In medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis tanquam luminaria, verbum vitæ continentes. Quare autem non timuerit in medio prauorum constitutus ostendit, dicens, Quoniam tu mecum es. Magna est securitas, secum habere Deum. Vnde Apostolus, Si Deus, inquit, pro nobis, quis contra nos? Vbi diuina præsentia est, ibi impossibile est vitia interesse. Vbi est virtus diuina, omnia superat aduersa. Et quia eos quos inhabitat Deus, aliquando vtiliter exercet flagellis, aliquando misericorditer spiritualibus & temporalibus refouet bonis: rectè subiunctum est: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Quia virga percutimur, baculo sustentamur: per virgam intelligimus disciplinam, per baculum, consolationis sustentamentum. Vtroque modo nos consolatur dominus, flagellis videlicet & donis. Ad hoc enim modò nos flagellat, vt in futuro nihil in nobis inueniat, quod puniat. Ad hoc corripimur, vt probemur, & emundemur, vt emendetur negligentia, probetur patientia, tribuatur corona: Vnde scriptum est, Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Virga domini consolabatur Apostolus, cum diceret, Gloriamur in tribulationibus. Et quia sancti viri, dum foris tribulantur, gratia Dei pleni interius gloriantur: bene subiunctum: *Parasti in conspectu meo mensam.* Vt iam non lacte alar, velut paruulus: sed velut maior cibum sumam firmatus. *Aduersus eos qui tribulant me.* Vel per mensam possumus intelligere sacram scripturam, quæ in conspectu nostro parata est atque exposita: quæ præsentat nobis diuersarum sententiarum fercula, vt eis reficiamur tanquam cibus spiritualibus, ne inter mundi huius aduersa deficiamus. Vnde Paulus ait, Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Et quia ipsa scriptura nihil prodest sine gratia, subiunctum est, *Impinguasti in oleo caput meum.* Id est, lætificasti gaudio spirituali mentem meam. Rectè per caput, mens intelligitur: quia sicut capite reguntur membra, ita mente cogitationes disponuntur. Caput ergo in oleo impinguatur, quotiens infusione sancti Spiritus mens nostra inungitur. Vel parauit mensam dominus, quando in sacramento suo nobis dedit carnem suam ad manducandum, & sanguinem suum ab bibendum. Hinc est, quòd in cæna paschali, quando dominus traditus est, cœnantibus discipulis, accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditque disci-

Matth. 7.

Iacob. 2.

Tit. 3.

Apoc. 6.
Phil. 2.

Roma. 8.

Apoc. 3.

Iaco. 1.

Rom. 5.

1. Corint. 3.

Rom. 15.

Matth. 26.

Marc. 14.

Luc. 22.

1. Corint. 11.

pulis suis, dicens, Accipite & manducate: hoc est enim corpus meum. Obtulit & calicē sanguinis sui, ut biberēt ex illo, in remissionem peccatorum. De hoc calice subditur: *Et calix meus inebrians quā praeclarus est.* Verē praeclarus, quo sanguis offertur immaculatus. Hoc poculo fidelium inebriatur affectus, & lætitiā induit de remissione peccatorum: quod significat oleo caput impinguatum. Hoc pane cor iusti confirmatur, hoc oleo latificatur, hoc calice inebriatum mutatur à peccatis, per misericordiam abluitur, virtutibus deriuatur. Deinde per eiusdem misericordiæ donum ad cælestem patriam anima fidelis subleuatur. Vnde subiunctum est, *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Misericordia domini electos suos præuenit, & subsequitur. Nolentem præuenit, ut bene velit: volentem adiuuat, ut perficiat: operantem subsequitur, ut perseverare mereatur. Non enim qui cæperit, sed qui perseverauerit vsque in finem, hic saluus erit. Vnde & subditur: *Et ut inhabitem in domo domini in longitudine dierum.* In illa beata domo, ubi sanctorum est habitatio, nulla est dierum varietas: sed vnus dies, & vna æternitas. Ibi enim splendet sol iustitiæ, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Sed quia nos longa tempora dierum spatiis solemus mensurare, scriptura sacra nostro vsu loquens æternam vitam dierum longitudine voluit designare. Ecce qualiter nos regit Deus noster, ut ad vitæ pascua deducere possit. Aquis baptismatis nos abluit, animas nostras à vitiis, & à diabolo ad Deum cōuertit: Super iustitiæ semitas nos exaltat, inter aduersa corroboret, disciplina castigat, consolatione sustentat, pabulo veritatis mentem satiat, gaudio spirituali replet, charitate inebriat. Ad vltimum perseverantiam vsque in finem nobis tribuit, & post finem in cælesti domo perenniter & fœliciter inhabitare facit.

TITVLVS PSALMI XXIII.

VELVM presentis tituli iuuante domino subleuemus, ut nobis penetrabilia psalmi clariùs immorescāt. Titulus eius est, *Psalmus David, prima sabbati.* Significat diem dominicum prima sabbati, quæ prima est post sabbatum, quæ die dominus resurrexit à mortuis: quæ propter excellentiam tanti miraculi propriè dominica nuncupatur. Dicit psalmus quod domini est terra, & ab ipso fundata. Intendit quosque fideles admonere, ut ascendant in montem domini, montem iustitiæ: ut mūdēt se ab omni inquinamēto carnis & spiritus, ut proficiāt in operibus bonis, ut custodiāt se ab omni dolo: quatinus accipere mereantur benedictionē & misericordiā à domino. Item admonētur attollere portas virtutū ad introducendū dominū, qui est fortis & potens debellator hostiū & vitiorum, dominus virtutū, & rex gloriæ. Vox est in hoc psalmo congratulantiū Christo resurgenti, quasi victori de bello redeuntis. Dicatur ergo.

P S A L M V S X X I I I.

DOMINI est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & uniuersi qui habitant in eo. Si hæc verba iuxta historiā accipimus, ex rebus visibilibus intra nos pensare debemus, quanta sit dignus veneratione tantus ac talis dominus, qui totum mundum suo dominio potuit

potuit subiugare. Quod si hoc spiritualiter accipimus, per terram Ecclesiā, per plenitudinē eius, opera & virtutes intelligere possumus. Quæ cuncta domini sunt, id est à domino facta atque disposita. Et ne quis tantum vnam terram, aut vnam gentem, scilicet Iudaicam esse domini aestimaret, subiunxit: *Orbis terrarum, & uniuersi qui habitant in eo.* Cū clarificatus dominus annūciatur in fidem omnium gentiū, gratia eius abundanter distribuitur, longè latèq; peccata dimituntur. Millia millium domino reconciliantur, Et vniversus orbis terrarū fit Ecclesia eius. Et meritò. *Quia ipse super maria fundauit eū, & super flumina præparauit eum.* Terra vel orbis super maria fundari dicitur, quia aquis maris vndique circumdatur: sicut dicimus aliquam ciuitatem super mare fundatam, non ut sub ea mare sit, sed quia in fine primo supereminet mari. Si autem aliud, quod ad nos magis pertinet, ista dicta significant: possumus intelligere per mare, mundum: per flumina cupidos homines, qui labuntur in seculum. Etiam istos superat Ecclesia, quæ deuictis per domini gratiam cupiditatibus secularibus, ad recipiendam immortalitatem charitate parata est. Super maria fundata est Ecclesia, quia iuxta amaras huius seculi fluctuationes sita est. Siue super maria, non sub mari fundatur: quia nullis impiorū tormentis superatur. Vel quia nō ei vitia, sed ipsa vitiis dominatur. Super flumina quoque præparatur, quia super populos, & super principes & potestates, qui fluminū nomine designantur, magistri atq; prælati cōstituuntur. Ecce, Ecclesia posita est in sublimi: in alto locauit dominus orbem suum, sicut imperator palatium. Et quis miles ascēdet illuc ad imperatorem? *Quis ascendet in montem domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* Ascendere multorum est, stare autem paucorum tantum & perfectorū. Ascendit Iudas, sed minimè stetit. Ascenderunt multi alij, sed cōuersi abiire retrorsum. Quis ergo sic stabit, ut non cadat ut in tempore tērationis non recedat? Sequitur & dicit, *Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo.* Innocens manibus & mundo corde est, qui nō operatur, nec cogitat malū. In manibus enim opera, in corde cogitationes intelligimus. In vano autē animā suā accipit, quisquis infructuosè viuuit. In vano animas suas acceperāt, quibus paterfamilias dicebat: *Quid hīc statis tota die otiosi?* Qui ne otio vacarent vanitatis, continuò audierunt, *Ite & vos in vineā meā, & quod iustū fuerit dabo vobis.* Quisquis ab bene operandum se præparat, hic est qui non accepit in vano animā suā. Proximo suo in dolo iurare, est verū ei pro falso, aut falsum pro vero affirmare. In dolo proximo suo iurat, qui ea verba affirmando denūtiat, quibus eum decipiat. Qui ergo sic bona agit, ut in opere, in cogitatione, & in verbo innocuus sit, *Hic accipiet benedictionem à domino, & misericordiā à Deo salutari suo.* Inter illos enim erit, quibus in die iudicij dicturus est dominus, *Venite benedicti patris mei.* Et hæc benedictio non erit ex meritis suis, sed ex misericordia sui saluatoris qui non ex operibus iustitiæ nostræ, sed propter suam misericordiam saluos nos fecit. *Hæc est generatio quæ uenturum eum, quæ uenturum faciem Dei Iacob.* Ex talibus, inquit, constituitur Ecclesia, sic nascuntur qui quærunt eū: qui quærunt faciem, id est cognitionem Dei Iacob, minoris fratris, in quo Deus gratiam

suam commēdauit. Antequam enim aliquid egissent boni vel mali, dictum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Sicut tunc minori fratri gratia diuina data est, & maiori non data: sic adhuc superbis, tanquam maioribus, resistit dominus, humilibus autem, quasi minoribus dat gratiam suam. Diapsalma. *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloria.* Quinque portas habet homo, quinque videlicet corporis sensus: visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum. Hæ autē portæ, nisi singulis custodibus custodiantur, per eas diabolus frequenter ingreditur & regreditur. Oportet ergo vt hæ portæ claudantur diabolo, & aperiātur Deo. Vnde & rectè hic principes appellantur, quia his corporalibus sensibus spiritualiter principantur. Qui student castigare corpus suum, & in seruitutē redigere, ne regnet peccatum in eorum mortali corpore: hi iubētur attollere portas suas, scilicet sensus corporales, & portas æternales eleuare, quæ sunt fides, spes, & charitas, cæteræque virtutes: quæ meritò æternales portæ nominantur, quia per eas ingressus æternæ patriæ aperitur. Per eas etiam portas Deus ad humana corda ingreditur. Vnde dicitur: Et introibit rex gloriæ. Ipse est enim rex cæli & terræ, largitor gloriæ, destructor superbiæ: vt qui gloriatur, in domino gloriatur. Pauer admirans natura mortalis, & quærit: *Quis est iste rex gloriæ: dominus fortis & potens, dominus potens in prælio.* Qui accepit formā serui, ecce dominus est. Antè infirmus ex corruptione, modò fortis ex immortalitate. Antè quasi impotens, cūm occideretur: modò potens in prælio, cūm morte sua mortem destrueret, & resurgens à mortuis diabolum debellaret. Et quia duo populi erant, Iudaicus videlicet & gentilis, qui per Dei gratiam saluandi fuerant: rectè quod primum Iudaico dicitur, postmodum gentili replicatur, cūm subditur, *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloria.* Rursus tremat humana fragilitas, & quærit, *Quis est iste rex gloriæ: dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Notandū quòd superius describitur Dominus fortis & potens in prælio: hic verò dicitur virtutum & rex gloriæ: quia videlicet apud Iudæos sustinuit certamen passionis, apud gentiles obtinuit gloriam virtutis. Apud eos in terra pœnis afficitur, apud istos in cælo iam residens, virtutibus & miraculis declaratur. *Nos autem honoremus dominum & regem nostrum, qui potenter aëreas potestates debellauit: & referamus ei gratias, qui seruis suis virtutem & gloriam misericorditer tribuit.*

TITVLVS PSALMI XXIIII.

SEQVENTIS operis titulus est, Psalmus David. Quoniā quid sit psalmus & quis intellectus sit per David, frequenter diximus: non oportet vt in his moram faciamus. Vox est fidelis anima in hoc psalmo de morte infidelitatis ad fidem conuersa, perseverantia orantis. Intendit autem nos exemplo suo instruere, vt postquam ad fidem conuersi fuerimus, ad vomitū non redeamus: sed vt perseveremus in bono proposito, orationi insistamus. Vox Ecclesiæ.

P S A L M

P S A L M V S X X I I I I.



D te domine leuavi animam meam, Deus meus in te confido non erubescā.
Cūm te desereret anima mea, carnalibus desideriis conculcatur in terra. Homo enim recedens à Deo, statim vitiorū traditur potestati. Et ex eo quod in me confidebā, perductus sum vsque ad hāc quā patior ærumnā. Et qui deserto Deo, sicut Deus esse volui, à paradisi gaudiis eiectus, de mea superbia malè irrisus erubui. Et quia mihi malè erat sine te, conuersus animā meam leuavi ad te. Iam te Deum meum confiteor, in te fiduciam meam constituo. Non erubescam vterius, corruptus à peccato. *Neque irideant me inimici mei.* Id est, serpentinis atque oculis suggestionibus insidiantes non me deiiciant. Irrisione enim digni sunt, qui diabolicis decepti suasionibus à bono proposito recedunt: qui post conuersionem ad seculum redeūt, qui post virtutes ad vitia decidunt. Sed cum inimici non potuerunt irridere, quem in bono proposito diuina bonitas fecerit permanere. Vnde & subditur: *Et enim vniversi qui sustinent te, non confundentur.* Deum sustinet, qui nullis ab eo tentationibus moueri valet. Hinc Veritas suis discipulis ait, Vos estis qui permanistis mecū in tentationibus meis. Hi profectò non confundentur, imo gloriabuntur, quia scriptum est, Beatus vir qui suffert rētionem: quoniam cūm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Quo contrā de reprobis dicitur, Væ his qui perdiderunt sustentiam. Sustentiam videlicet perdunt, qui dum diu se immorari in istis visibilibus æstimant, spem inuisibilium derelinquunt: de quibus subiungitur: *Confundantur omnes iniqua agentes superuacue.* Superuacue inquam, reprobi agunt, quia nihil secum de fructu sui laboris deferunt. Alius nanque adipiscendis honoribus exudat, alius multiplicandis facultatibus estuat, alius promerendis laudibus anhelat. Sed quia cuncta hæc hic quisque moriens deserit, labores in vacuum perdidit, qui secū ante iudicem nihil tulit. Tunc reprobis quisque cōfunditur, cūm iudex exterius cernitur, & omnis ante oculos culpa reducitur: cūm accusator interius toleratur, & mens super gehennæ incendia suo grauius igne cruciatur. Hoc etiā in confusione reprobos vertitur, quòd electos gloriā conspiciunt, vt ad maiora reatus sui supplicia repulsi videāt quā perdiderunt: horū extrema cōfusio, æterna dānatio est, quam ne cōuersus iste per latā gradiēdo viam incurrat, dominū suum humiliter exorat dicens, *Vias tuas domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* Per vias latiora & minora præcepta iustitiæ possunt intelligi. Per semitas verò altiora & perfecta mandata. Ad latiorē iustitiæ pertinet viā, cū ex rebus possessis præcipimur decimas dare, pauperes recreare, nudos vestire, eleemosynis peccata redimere, & cæteris operibus misericordiæ deseruire. Ad semitas autē pertinere videtur, cūm omnibus quæ habemus renūciare iubemur, cuncta quæ mundi sunt, despicere, nosmetiplos abnegare, Deum ex toto corde diligere. Istas spirituales vias & semitas electis suis dominus & in scripturis exterius demōstrat, & interius in corde per gratiæ aspirationē docere nō cessat: quatinus eruditi & errorē vitare sciant, & dirigi in veritate. Et ideo subiungit: *Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus saluator meus, & te sus-*

i iij

Psalm. 115. *stinui tota die.* Quia nihil in me habeo nisi tortitudinē peccati, & mendaciū erroris: ideo necesse est, vt in veritate dirigas tortuosum, & doceas ignarum. Quod ideo debes facere, quia tu es Deus meus qui me creasti, saluator meus, qui me redemisti: quem tota die sustinui, id assidue expectaui. Vnus dies nō præterit, quin te sustinerē: nec prosperis nec aduersis moueri potui, quin in te semper spem meam constituerem. Vel post cognitas vias & semitas, id est post cognita latiora mādata, vt est, Non occides, non mœchaberis, nō furtum facies, & similia: & post cognita altiora mandata, vt est Diliges proximum tuum sicut teipsum, & Quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis: & Diligite inimicos v̄stros, benefacite his qui oderunt vos, & c. Postquā has vias & semitas monstraueris & docueris, Dirige me in veritate tua, id est, fac me rectum in operatione iustitiæ: Et doce me, id est, fac mihi notum, quia tu es Deus saluator meus, id est, creator & redemptor. Ac si diceret, Doce me vias, quibus ad veritatem veniam: qua completa ad teipsum, qui veritas es & vita, cognoscendum & perfruendum pertingam, & pertingendo sustineam. Quod vt possit fieri, *Reminiscere miserationum tuarum domine, & misericordiarum tuarū quæ à seculo sunt.* Nulla obliuio cadit in Deum, vt reminisci possit: Ei enim qui est vera sapientia, cuncta sunt præsentia. Sed humano vsu loquitur, cū exorat Deum, vt reminiscatur. Quasi enim oblitus miserationum suarum Deus fuerat, cū tanquam iratus, subiaceret peccato humanum genus permittebat. Orat ergo vt reminiscatur miserationū & misericordiarū suarū, quæ à seculo sunt præfinitæ. Ab æterno enim præordinauerat Deus per suam misericordiā redimere humanum genus. Bene autē ait, Miserationum & misericordiarum. Miserationes enim ad exhibitionem pertinet, misericordiæ ad præfinitionem de multa sua misericordia. Multæ sunt miserationes eius. Vnde in se est misericors, inde est miserator in nobis. Miserum ergo se cognoscit, qui misericordiā qua parcatur sibi, reduci ad memoriā deposcit. Vnde & subiungit: *Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineras.* Ideo ait, Iuuentutis, quia hæc ætas magis semper est prona ad peccādum. Et in hac ætate potissimum corrigere quisque se debet, sicut scriptum est, Fili, à iuuentute tua excipe doctrinam. Et sciendum quia tribus modis fit omne peccatum. Id est aut studio, aut infirmitate, aut ignorantia. Studio peccauit Iudas, infirmitate Petrus, ignorantia Paulus. Peccata studij & infirmitatis concludit, cū ait, *Delicta iuuentutis meæ.* Inuentus enim (vt diximus) praua est & infirma ad delinquendū. Peccata verò ignorantie designat, cū subiungit, *Et ignorantias meas ne memineras.* Ac si diceret, *Delicta quæ feci aut per studium, aut per infirmitatem, aut per ignorantiam, ne reducas ad memoriā, ne referues ad vindictam: sed tanquam excidant tibi, & vt obliuiscaris delicta mea, recordetur mei misericordia tua.* Et hoc est quod subdit: *Secundum misericordiam tuam memento meitu.* Non secundum iram quam merui. *Propter bonitatem tuam Domine.* Non propter meritum meum. Ego quidem miser, tu misericors: ego malus, tu bonus. Noli ergo me attendere ex me, sed

sed ex te attende me. Nam ex me mihi damnatio, ex te mihi saluatio. Vnde & sequitur: *Dulcis & rectus dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* In dulcedine mansuetudo, in rectitudine iustitia signatur. Plerumque nos cū rectitudinem exequimur, mansuetudinem relinquimus: & cū mansuetudinem seruare cupimus, à rectitudine iustitiæ declinamus. Dominus verò ac redemptor noster sic vtrunque in se temperat, vt nec dulcedo rectitudinem, nec rectitudo dulcedinem in aliquo minuat. Sic dulcis est dominus, vt peccata dimittat: sic rectus est, vt post vocationis & veniæ gratiam vltimo iudicio digna merita exquirat. Propter hoc lex data est delinquentibus in via: vt ex lege sibi ostensa recognoscat quisque in quo deliquerit, aut admissum qualiter emēdare possit. Quia enim dulcis est dominus, ideo nō vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Rursus, quia rectus est, id ipsum peccatum non dimittit impunitū. Propter hoc ergo lex delinquentibus datur, vt secundum legem aut corrigantur, aut iudicentur. Cū audis quod dominus tuus dulcis est, attende quid diligas. Cū audis rectus, attende quid timeas: vt amore & timore Dei excitatus, legē eius custodias. Charitas enim implet legem: timor castus seruat charitatem. Hæc vtraque virtus & vitia extinguit, & virtutes gignit. Vnde & subditur: *Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas.* Mansueti dicuntur, qui in se sunt quieti: qui non irascuntur, non contendunt, non rixantur. Mites sunt, qui aliorum contumelias, iras & iniurias patienter sustinent. De talibus ipsa Veritas ait, Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & tremorem sermones meos? Tales dirigit dominus in iudicio, quia ipsi spiritum Dei habent: & spiritualis omnia iudicat, ipse verò à nemine iudicatur. Tales non præsumunt regere semetipsos, & ideo diriguntur à domino: faciunt enim eum rectorem suum, neque recalcitrant quando eis iugum suauē imponitur & onus leue. Quas autem vias docebit eos, ostendit, cū subiungit: *Uniuersa via domini misericordia & veritas, requirentibus testamentum eius, & testimonia eius.* Has vias docebit eos, id est, misericordiam, qua placabilis est: & veritatem, qua incorruptus est. Quorum vnum præbuit, donando peccata: alterum merita iudicando. Et ideo vniuersæ viæ domini. Duo aduentus filij Dei: vnus miserantis, alter iudicantis. Intelligunt autem dominum misericordem primo aduentu, & secundo iudicem: qui mites & mansueti requirunt testamentum eius, quo sanguine suo nos in nouam vitam redemit: & in prophetis atque Euangelistis requirunt testimonia eius, quæ eidem redemptioni testimonia perhibent. Et ideo subiungit: *Propter nomen tuum domine propitiaberis peccato meo, multum est enim.* Quia via tua est misericordiæ, ideo peccato meo propitiaberis non propter meritum meum, sed propter nomen tuum. Necessarium quidem nobis est, vt non solum delicta iuuentutis nostræ, & præteritas negligentias non reminiscaris: sed & vt peccato nostro quotidiano propitius sis. Multum est enim, teste Apostolo qui ait, In multis offendimus omnes. Quandiu enim hīc mortaliter viuimus, sine multo non possumus esse peccato. Sed habemus propitiatorem Christum, qui interpellat pro nobis. Vnde non

oportet nos de nobis præsumere, sed timere. Timedo enim Deum incipimus vitare peccatum, relinquere iter erroris, & tenere viam veritatis. Et quia magnum est timere Deum, & pauci sunt qui timeant eum: inquit quis timeat, & ostendit quis infructus procedat. Ait ergo, *Quis est homo qui timet dominum?* Ac si dicat, Quisquis ille est, magnus est, beatus est. Inde incipit venire ad sapientiam. Principium enim sapientiae timor domini. Vnde & subditur: *Legem statuit ei in via quam elegit.* Et non iam delinquenti, sed per timorem & humilitatem se ad Deum conuertenti. Statuit Deus ad perseverandum, non legem literam, quae data est delinquentibus in via (propter transgressores enim tradita est lex) sed legem gratiae, quae non solum data, sed statuta est, & immobiliter fixa proficienti, non in qualibet via, sed in via quam elegit, quae est Christus. In hac via ponitur timens Deum, atque ibi statuitur ei lex diuina, quae spiritualiter viuat Deo. Vnde & subiungit: *Anima eius in bonis demorabitur, & semen eius hereditabit terram.* Delectatur enim legi Dei secundum interiorum hominem, caelestibus desideriis inardescit, spiritualibus studiis inhæret, in bonis operibus se exercet. Cuius quidem semen opera bona sunt: vnde Apostolus nos admonet dicens, Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus, non deficientes. Et iterum, Qui parcat seminat, parcat & metet. Recte autem dixit semen eius terram hereditare: quia bonum opus, quod quasi seminat, cum agit: faciet eum caelestem hereditatem, & terram viuentium possidere. Et ne videatur præsumere de bonis operibus tanquam per ea fortis sit, ideo subdit: *Firmamentum est dominus timentibus eum, & testamentum ipsius ut manifestetur illis.* Per se quidem fragilis & infirma est ecclesia: sed quia fundata est supra firmam petram, ideo & portae inferi non praeualebunt aduersus eam. Sed quia hanc per gratiam suam sic confirmat, ipse ei in testamento suo promittit, ut & semetipsum ostendat. Hinc in euangelio de diligentibus se Veritas ait, Ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Merces nostri laboris est visio Dei: quem cum viderimus, nihil ultra erit quod quaeramus. Hinc Philippus ait, Domine ostende nobis patrem & sufficit nobis. Et quia electorum ecclesia quandiu hic corporaliter viuat, illic sua desideria incessanter ostendit: ideo adiungit, *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellat de laqueo pedes meos.* Non sunt hic accipiendi corporales oculi. Neque enim corporali intuitu videtur Deus. Per oculos ergo, interioris hominis sensus: per laqueum quæque tentatio: per pedes, animi affectus possunt intelligi. Ab hoc diuersarum tentationum laqueo nemo euellitur, nisi cuius intentio & desiderium ad alta subleuatur. Noli ergo retrò respicere, si vis aptus esse regno Dei. Sint ad dominum Deum tuum oculi tui, sensus tui, cor tuum, desiderium tuum. Et ipse te euellat ab omni laqueo & impedimento, ab omni tentatione & deceptione. Et ideo orando subiungit: *Respice in me, & miserere mei, quia unicus & pauper sum ego.* Ego attendo in te: tu respice in me: attendo delirando, respice miserando. Meum est enim amare te, tuum est saluare me. Quia sum vnicus tuus, vnicae ecclesiae tuae seruus vnitatem (quam nulla scismata vel haereses tenent) in vna fide, spe & charitate perseverans sum, & pauper tuus, non quaerens aurum, vel argentum: non possessiones aut diuitias

tias supra te. Non præsumens de meipso, non inflatus spiritu: sed humilis corde: nihil aliud quaerens, nisi te. Quamobrem respice vnicum, miserere pauperi. *Tribulationes cordis mei multiplicatae sunt: de necessitatibus meis erue me.* Tribulationes cordis intelliguntur interiores animi passiones, ut sunt vitia & desideria praua, delectationes mentis & concupiscentiae, & alia huiusmodi quibus tribulatur cor. Necessitates ad corpus pertinent, quibus affligitur exterior homo: ut est in fame & siti, in frigore & calore, in infirmitate & corruptione carnis, & aliis similibus: quae ideo dicuntur necessitates, quia sunt quasi naturales, & velimus & nolimus, contingunt nobis. Ab his tribulationibus cordis, & necessitatibus corporis postulat vir sanctus erui: ut possit beata immortalitate vestiri. Et quia sunt nonnulli, qui cum talia sentiunt, impatienter ferunt: corde repugnant, lingua murmurant, flagella omnipotentis Dei despiciunt: & vnde purgari debuerant, inde in deterius superbiendo tendunt: ideo subdit, *Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea.* Afflictio cordis & corporis, poena peccati est. Sed si hæc humili & patienti corde sustinetur, mira omnipotentis Dei misericordia agitur, ut vnde punitur culpa, inde sequatur venia. Propterea ergo humilitatem suam videri postulat, qua laborem patienter tolerat: quatinus ex tolerantia laborum mereatur veniam delictorum. Vniuersa, inquit, dimitte: id est præterita, præsentia, & futura. Non illa tantum iuuentutis & ignorantiae meae antequam crederem, sed etiam ista quae iam ex fide viuens, per infirmitatem, vel vitæ huius caliginem admitto. Ad maiorem quoque cumulum tribulationis quam patitur, adiungit, dicens: *Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.* Non solum enim foris, sed etiam in ipsa intus ecclesiae communione, non desunt inimici. Foris sunt Iudaei & pagani, intus haeretici, qui in fide errant, & falsi Christiani, qui fidem moribus impugnant. Isti sunt qui iniquo odio ecclesiam odiunt. Aequum odium est, cum oditur culpa, & diligitur natura. Iniquum verò est odium, quando culpa diligitur, & natura oditur. Vel odium iniquum est, quando quis odit amicum. *Respice inimicos.* Ac si dicat, attendendo eos me protege. Ideo subdit. *Custodi animam meam, & erue me: non erubescam, quoniam speravi in te.* Custodi, ne pereat: erue, ut euadat: non erubescam, ut à proposito cadam. Et ideo hæc debet agere, quoniam speravi in te. Hoc quod ecclesia orat, quotidie in electis suis dominus agere non cessat: quos quasi & custodiendo deserit, & deserendo custodit. Permittit corda tentationibus concuti: corpora necessitatibus affligi, prauorum odiis exerceri: sed dum hæc hosti relaxat, animam sibi semper referuat. Hostis enim antiquus & per se & per membra sua, sanctos viros tentare maliciose appetit: quod omnipotens Deus fieri non nisi benigne permittit, scilicet ut bonum quod latet, appareat: & virtus per patientiam excre-scat. Sed electi, dum maligni hostis tentamenta intus & exterius sentiunt, de se in nullo præsumentes, mox ad sui protectoris Dei auxiliū recurrunt: ne erubescenda committant, humiliter exorant: & ut exaudiri mereantur, spei se fortitudi ne roborant. Quod cum perfecti faciunt, ceteros ad se per exemplum trahunt. Vnde & subditur: *Innocentes & recti adhaeserunt mihi, quia sustinui te.* Innocentes moribus

*Psal. 119.
Philip. 1.
1. Cor. 15.
Psal. 117.*

Matth. 11.

moribus, recti fide. Innocentes in his quæ in imis agunt, recti in summis quæ sentiunt. Qui innocenter viuunt, qui cælestem patriam ex desiderio appetunt, sicut disiungi à malis, ita adhærere cupiunt bonis. Sicut enim corrumpunt mores bonos colloquia mala: ita bonos mores ædificant colloquia bona. Et scriptum est, Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Adhærent ergo sancti sanctis, innocentibus innocentes: ut sese inuicem verbis & moribus ædificent, & bona propria per charitatem sibi communicent: quatinus in bono crescat alter ex altero. Inter hæc dum tot mala patienter tolerant, & dum in bonis operibus ardentem defudant, dum spei rectitudine solidantur, ne sustinentia vacentur in tantis tribulationibus constituti: ut euadere valeant, liberatorem Deum suppliciter implorant, dicentes: *Libera Deus, Israël, ex omnibus tribulationibus suis.* Israël interpretatur vir videns Deum. Ac si dicat, Libera Deus populum, quem præparasti ad te cõtemplandum, ex omnibus tribulationibus suis. Non solum ex his quæ exterius tolerant, sed ex his quæ interius patiuntur. Studeamus & nos animas nostras ad dominum leuare, fiduciã nostram in ipso ponere, humilia & alta eius mandata discere: ut mereamur in veritate dirigi, & sapiẽtiam ipsam (quæ Deus est) mente intueri: ut per eius misericordiã à delictis iuuentutis & ignorantie exuamur: ut mansueti & mites facti, vias misericordie & veritatis sectemur, ut emundati per propitiatorem dominum à quotidiano peccato, timeamus eum, atque in via constituti (quæ Christus est) legẽ gratie eius possideamus, per quẽ in bonis demoremur, & hæreditate perfruamur æterna. Interim habentes firmamentum Deum, ad quẽ metis oculos dirigamus: donec euellamur de laqueo huius mundi, & per suã misericordiam à cunctis tribulationibus liberemur, Israël spiritualiter facti, cõtemplantes in sua maiestate dominum Deum nostrum.

TITVLVS PSALMI XXV.

SEQVENTIS Psalmi titulus est, *Psalmus David.* Hæc scriptura est attributa excellentiori membro Ecclesie superius Deum oranti, & hic ostendit se esse exauditum, & diuina misericordia adeptum innocentiam & perfectionem: de cetero oranti, ne à proposito suo dimoueat. Et hoc facit, ut à quibus moraliter segregatur, ab his etiam æternaliter separetur. Intentio eius est, nos exemplo suo ad innocentiam & perfectionem inuitare. Aut ergo.

P S A L M V S X X V.

Eph. 3.

IUDICA me domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: & in domino sperans non infirmabor. Qui culpam habet, iudicium timet. Ipse ergo perfectus est: quia causam suã iustã vidit, à domino se iudicari petiit. Bene autem in innocentia ingressum se fuisse commemorat: quia innocentia spiritalis via est, qua teditur ad Deum: & innocenter viuere, ad interiorẽ pertinet hominẽ. Quod autem se innocentem pronuntiat, non est superbia elati, sed confessio non ingrati. Ac si diceret: Post misericordiã, quã tu mihi prærogasti, innocentia meã habeo aliquod meritum, cuius viam custodiui. Nec tamen etiam sic in me, sed in domino sperans, non infirmabor in opere, sed permanebo: ut sicut incepit, ita perficiam. Si de se presumeret, si in

si in se gloriaretur, proculdubio infirmaretur. Sed quia spem suam ponit in domino, iam infirmari non valet: quia ipse dominus est eius fortitudo. *Proba me domine, & tenta me: ure renes meos & cor meum.* Ego dixi, iudica: sed si quid in me est purgandum, o domine, hinc tenta me, & corrige flagello filiorum: & sic proba me; id est probatum redde: ure renes meos, id est, destrue delectationes carnis (quia in renibus maximè voluptates abundant) & cor meum, id est, prauas cogitationes. Ure renes meos & cor meum: ac si dicat, Exterioribus & interioribus vitiis spirituale adhibe medicamentum. Sancti viri etsi perfecte viuunt, adhuc tamen paterna flagella desiderant: ut tantò perfectiores ad patriam tendant, quanto piẽ feriens disciplina eos quotidie etiam de minimis purgat. Et ideo sustinent disciplinam, ut consequatur misericordiam: de qua subditur, *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, & complacui in veritate tua.* Verax magister discipulum verberat mendacem: verberatus discipulus attendit, & petit à magistro misericordiam. Sic facit erga nos cælestis magister, & pius pater. Peccauimus, ideo flagellamur. Ille verberat, nos expectamus ut parcat. Misericordia tua (inquit) ante oculos meos est, disciplinam tuam patienter fero: sed ut miserearis indefinenter expecto. Et iam cõplacui tibi in veritate vindictæ quam merui, qui prius displicui in mendacio culpæ qua deliqui. Et qui lapsus merui iram, à te correptus inueni misericordiam. Ex hoc autem apparet quoniam in innocentia mea ingressus sum: quia *Non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo.* Cum concilio vanitatis sedent, qui conuentui eorum commorantur, qui ex studio conueniunt, & vacant ad hoc, ut de vanitate loquantur. Cum iniqua gerentibus introire, est societati prauè agentium se inferre, atque iniquis operibus cum ipsis iniquis se ex votoingere. Tale est studium peruersorum atque carnalium. Aut enim vanè loquacitati sedent & vacant, aut iniquæ operationi defudant. Quo contra sancti viri, ut verbo & facto habeantur innoxij, & à vanitate restringunt linguam, & ab iniquo opere conseruant vitam. Et quia prius est rem malam non diligere, demum etiam odire: rectè subiungitur: *Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo.* Odiui non homines, sed præuaricatores, non naturam, sed culpam. Malignantes sunt, qui ad hoc laborant, ut conformes suos malitia antecedant. Impij sunt infideles, qui dominum non colunt. Pietas enim proprie pertinet ad cultum Dei. Ab his omnibus quanuis non corpore, tamen vita & moribus separatur Ecclesia. videlicet à torpẽtibus ocio, & vacantibus vanitati, ab iniqua operantibus, à malitiam suam studiose exaggerantibus, ab infidelibus. Et notandum quod prius dixit, Non sedi: hinc inquit, Cum impiis non sedebo. Ibi inchoatio, hinc perseverantia designatur. Opus est enim, ut bonum quod incipitur, usque ad finem perducatur. Sed qui ab iniquis se separat, cum quibus adiungitur, audiamus. *Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum domine.* Non aqua visibili lauas manus, quando piẽ cogitas de operibus tuis: & innocens es coram oculis Dei, qui est & altare coram oculis Dei, quod ingressus est sacerdos, qui pro nobis se primus obtulit. Est cæleste altare, quod non amplectitur, nisi ille

Apoc. 3.

Matth. 23.

Matth. 12.

1. Tim. 4.

Matth. 24.

Apoc. 6.

Eph. 5.

Hebr. 9.

Hebr. 13.

ille qui lauat manus inter innocētes, factus & ipse innocens. Nam multi altare hoc tangunt indigni, & tolerat Deus pati iniuriam ad tempus sacramenta sua. Sed non quomodo recipis cum malis intra parietes Ecclesiæ, ita recipis cum malis in sinu Abraham. Non ergo timeas: laua manus, & circunda altare Dei, ubi offers vota domino, ubi preces fundis, ubi cōscientia tua pura est, ubi dicis Deo quis: & si aliud est, quod displiceat Deo, curat ille cui confiteris. Quare circundas altare Dei vir sancte. Sequitur, & dicit: *Ut audiam vocem laudis, & enarrem uniuersa mirabilia tua.* Audire vocem laudis, est intelligere intus: quia quicquid in te mali est, de peccatis tuū est: & quicquid boni, in iustificationibus Dei est. Ira audies vocem laudis, ut nō te laudes. Et quando bonus es, audis etiam diuinas laudes intus quas in te loquitur dominus Deus tuus, & ibi audiēdo dicis, ut enarres mirabilia eius uniuersa, corporalia & spiritualia, visibilia & inuisibilia. Ad mirabilia domini pertinet, quando aliquis suscitatur in corpore. Ad maiora verò pertinet mirabilia, quando aliquis suscitatur in anima. Grandemiraculum est, cūm resurgit uiuus, qui erat mortuus. Maius est, cūm resurgit pius, qui erat impius: cūm resurgit castus, qui erat luxuriosus: cūm resurgit humilis, qui erat superbus. Exteriora ista mirabilia profunt ad fidem, interiora ad morum ædificationem, laudes domini ad dilectionem. Ad hoc laudatur dominus Deus tuus: ad hoc mirabilis prædicatur, ut ames, credas & speres. Ama laudabilem, crede & spera in mirabili. Ad hoc pertinet quod sequitur. *Domine dilexi decorem domus tue, & locum habitationis gloriae tuae.* Domus Dei est Ecclesia, decor eius iustitia, locus habitationis requies æterna. Et rectē præposuit decorem domus, deinde locum habitationis: quia amando & sectando iustitiam ad æternæ quietis pertingitur gloriā. Et quia electus quisque quantumcunque proficiat, adhuc tamen reprobari formidat, misericordē Deum humiliter exorat, dicens, *Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum uiris sanguinum vitam meam.* Impij sunt odientes Deum, uiri sanguinum odientes proximum. Nam qui odit fratrem suum, homicida est. Isti sunt Ecclesia malignantium, qui agunt concilium vanitatis, cum quo uir sanctus non fedisse se perhibet. Et notandum quod non ait, In concilio: sed, Cum cōcilio. Nam in concilio vanitatis potest quis sedere ad utilitatem, cūm ad hoc ibi sedet, ut liberet innocentem, aut ut ipsam redarguat vanitatem. Cum concilio verò vanitatis sedere, est ipsi concilio consentire. Quod quia non fecit, orat nunc, ut qui particeps non fuit in culpa, non sit etiam particeps in pena. Et hoc est iudiciū quod postulat à domino, ut discernatur à malis cum quibus habitat. *In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.* Sicut hoc quod in manibus tenemus, in promptu habemus: ita in manibus dicuntur habere iniquitates, quod in promptu semper habent malè agere. In eorum manibus iniquitates sunt, qui parati sunt ad homicidium, ad furtum, ad rapinam, & ad cætera mala faciēda. Hi sunt qui acquirendis lucris insunt ardenti studio, circumquaque exquirunt, ut dextera eorum repleatur muneribus. Sed quia non manus, sed dextera dicitur, aliquid nobis subtilius ex hoc nomine designatur. Vltus quippe prauorum est, ut donum

1. Corin. 11.

Luc. 16.

Matt. 5.

Ioan. 1.

Iob. 9.

Eccle. 9.

1. Cor. 4.

1. Ioan. 2.

et 3.

num gratiæ vertant in augmentum culpæ. Bene ergo ait, Dextera eorum repleta est muneribus: quia quod eis ad obtinendam æternam salutem datum est, ad accipiēda huius seculi munera conuerterunt, existimātes quæstum esse pietatem. Hi sunt qui sapientiam suam vendunt, pro iustitia pretium requirunt, ipsis etiam spiritualibus studiis quandoque defudant, ut terrenum aliquid conquirant. Sed quia vir Dei manum suam ab omni munere excutit, & quicquid agit, purè propter Deum agit: non ut hinc thesaurizare appetat, sed ut ex hac captiuitate liber euadat: redemptorem suum suppliciter implorat dicens, *Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me & miserere mei.* Valeat mihi ad perfectionem liberationis tantum meum pretium sanguinis domini mei: ut in periculis huius vitæ misericordia tua non deferat me: *Pes meus stetit in directo.* Id est, affectus meus non recessit à iustitia. Quare in directo: Quia superius dixerat, Et in domino sperans non infirmabor. Ille titubabat inter malos, qui non in domino sperat. Hinc factum est, ut scismata fierent. Sed quid concluditur: *In Ecclesiis benedicam te domine.* Qui benedicit domino lingua, & factis maledicit, non in ecclesiis benedicit dominum. Imo ex illis est, de quibus dicitur, Væ his per quos nomen domini blasphematur. Hoc est ergo in Ecclesiis benedicere dominum, sic uiuere, ut per mores cuiusque benedicatur dominus.

Math. 6.

Isa. 52.

TITVLVS PSALMI XXVI.

PSALMVS David, priusquam liniretur secundo. Psalmus iste est ascribendus David, hoc est perfecta Ecclesia. Psalmus (dico) agens de eo negotio, quod contigit priusquam liniretur secunda inunctione. Legitur David bis inunctus fuisse. Primum à Samuele in domo patris, que præfigurauit secundam inunctionem. Deinde uero quādo fuit susceptus à populo, & rex constitutus super Iudæam in Ebron, secundo inunctus fuit. Eodem modo fuit Christus bis inunctus, non corporali, sed spirituali inunctione. Primum cūm immunis à peccato, fuit rex super Iudaicū populum constitutus: post resurrectionē uero fuit inunctus, uidelicet cūm immortalis & impassibilis fuit factus. Et fuit sibi datum nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium & inferorum. Eodem modo fideles bis inunguntur: primo in baptismo, quando accipiunt pignus spiritus: qua inunctio est præfiguratio & quasi arrha inunctionis futurae. Et secundo post hanc uitam, quando immortalitatem & impassibilitatem consequuntur. Et David post primam inunctionem non confirmatus est in regno, donec Saule deuictus. Et multos aduersarios deuicit, antequam secunda inunctione ungeretur. Similiter fideles in hac uita multos habent aduersarios, antequam inungantur secundo. Et nunquam confirmabuntur in regno, donec Saule deuictus, id est, donec diabolo superato penitus, & morte destructa. Et hoc modo titulus iste potest exponi de capite & membris. Intendit perfecta anima in hoc psalmo, suo exemplo unumquēque exhortari, qui pignus spiritus sancti accepit: ut si beatus esse desiderat, in tentationibus uitæ præsentis uiriliter agat, & per beneficia in hac uita à Deo collata (qua in principio psalmi enumerantur, ubi dicit, Dominus illuminatio mea, & cætera) seipsum conformando, pondus diei & æstus pia longanimitate sustineat. Dicit itaque sic:

2. Reg. 2.

1. Reg. 16.

2. Reg. 2. &

5.

Philip. 2.

1. Cor. 1. & 5.

Eph. 1.

Eph. 6.

1. Pet. 5.

Math. 20.

DOMINVS illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus pro-
 tegetur vita mea, à quo trepidabo? Tria sunt quæ dicit: illuminatio, sa-
 lus, protegio. Ista tria reddunt intrepidum hominem cõtra ad-
 uersa omnia. Si enim eum illuminat Deus, vt recta videat: si sa-
 nat, vt recta quæ viderit, opere compleat. Deinde si protegat, ne tentatus ca-
 dat: quid restat, quod formidare debeat? Venit lux vera, quæ illuminat om-
 nem hominem venientem in hunc mundum. Redemit animam meam, illu-
 minauit, protegit ne amittat, à quo trepidabo? Video hostes, video tyran-
 nos incurrentes: sed neminem timeo dominica fretus admonitione, qua di-
 citur, Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt
 occidere. Vnde subditur: *Dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas:
 Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.* Appropinquant no-
 centes, inuadunt me hostes, obsident inimici: vt carnes meas edant, vt me la-
 cèrent, & occidant, vt carnales & imperfectos decipiant, & nefario corpori
 suo coniungant. Vel carnes edere, est carnales affectiones igne tribulatio-
 nis consumere: sed in eo infirmantur à propriis viribus, & victi cadunt, quo
 ad interiora animi irrumperè non possunt. Vnde adhuc etiam subiungit:
Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si impiorum exercitus, si vi-
 tiorum impetus, si dæmoniorum cæcus collectis viribus atque ordinata ac-
 cie confurgat, nihil cor dubitat: quòd omnipotens Deus illuminando, sanan-
 do, protegendo confirmat. *Si exurgat aduersum me praelium, vt me debellat:
 velint inimici supradicti. In hoc ego sperabo.* In quo? Sequitur, & dicit: *Vnam
 petij à domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ.*
 Valent nobis tentationes & tribulationes huius seculi ad consequendum re-
 gnum Dei. Vnde sancta Ecclesia dum bella in imis sustinet, spem suam ad
 alta subleuat: & quanto grauiora hinc patitur, tanto ibi maiorem mercedem
 expectat. Hinc in Euangelio dominus ait, Cum maledixerint vobis homi-
 nes, & persecuti vos fuerint propter me; gaudete in illa hora, quia merces
 vestra multa est in celo. Videamus ergo quam vnam petij, qui inter aduer-
 sa constitutus nihil timet. Quæ est illa vna? Vt inhabitem (inquit) in domo
 domini omnibus diebus vitæ meæ. Domus ea dicitur, vbi semper manebi-
 mus. In ista peregrinatione propriè appellatur tabernaculum, quod perti-
 net ad militantes & pugnantes contra hostem. Quid acturi sumus in illa do-
 mo, habes in alio psalmo. Beati (inquit) qui habitant in domo tua domine,
 in secula seculorum laudabunt te. Hac iste cupiditate ardens, & amore æ-
 stuans, desiderat per omnes dies vitæ suæ in domo domini habitare. Dies,
 inquam, non finiendos, sed æternos. Sic dicuntur dies, quomodo anni, de
 quibus dictum est. Et anni tui non deficient. Nā dies vitæ æternæ, vnus dies
 est sine occasu. Hinc ergo dicit, A domino hanc concupiui, hanc vnam pe-
 tij, hanc requiram. Et quasi diceremus: Quid tibi facturuses? Ad quid hoc
 petis? *Vt videam* (inquit) *voluntatem domini, & visitem templum eius.* Ecce
 quod amo. Ecce quare volui habitare in domo domini, vt contempler dele-
 ctationem

Ioan. 1.
Apoc. 5.

Mat. 10.

Mat. 5.
Luc. 6.

Psal. 83.

Psal. 101.
Hebr. 11.

stationem eius. Video enim nunc per speculum & in ænigmate: tunc autem
 facie ad faciem. Nunc ex parte cognosco, tunc autem cognoscam sicut &
 cognitus sum. Bene autem ait, & visitem templum eius: quia illa beata visio
 non implebitur, nisi in visione templi Dei, quod rectè & domum nominat
 & templum. Domus dicitur, eo quòd habitatur à sanctis. Templum, eo quòd
 ibi laudes domino persoluuntur. Vt autem illuc perueniam, vnde mihi pro-
 mitto: sequitur & dicit, *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum:
 protexit me in abscondito tabernaculi sui.* Dies malorum præfens vita est, in qua
 fit malum. Vnde Apostolus ait, Redimètes tempus, quoniã dies mali sunt.
 Tabernaculum est Ecclesia præfens, in qua militamus. Accepit de isto taber-
 naculo carnem filius Dei, & factus est nobis absconditum tabernaculi. Ab-
 scondit nos in tabernaculo per fidem, protegit nos in Christo ad salutem:
 filij Dei sumus, sed nondum apparet quod erimus. Per fidem enim ambula-
 mus, & non per speciem. Mortui estis (ait Apostolus) & vita vestra abscon-
 dita est cum Christo in Deo. Et quia sic nos abscondit à vitiis, & protegit in
 Christo Deus, vt in ipso nos exaltet ad virtutes: rectè subiungit, *In petra exal-
 tauit me, & nunc exaltauit caput meum super inimicos meos.* Dominus Iesus Chri-
 stus & petra est, & caput. De hac petra ipse dominus ait, Et super hanc petra
 ædificabo Ecclesiam meã. In hac petra firmiter fundata exaltatur de mun-
 do ad cælum, de diabolo ad dominium: vbi & nunc dum moratur & labo-
 rat corpus inter inimicos in terra, iam caput suum, id est, Christum exalta-
 tum dicit. Surrexit enim à mortuis, & sedet ad dexterã patris in cælo. Con-
 fidant ergo membra, nec timeant inimicos: cum iam nunc super eos caput
 suum videant exaltatum. Vbi enim caput est, ibi & membra secutura sunt.
 Sumus & nos cum illo sursum. Est & ille nobiscum deorsum. Ecce quale pi-
 gnus habemus. Vnde & nos fide & spe & charitate cū capite nostro sumus
 in celo in æternum: quia & ipsum bonitate, diuinitate, vnitatem nobiscum est
 in terra vsque in consummationem seculi. Vnde ei laudes & sacrificia non
 cessat immolare Ecclesia. Ideo subiungit, *Circuiui, & immolauit in tabernaculo
 eius hostiam vociferationis: cantabo & psalmum dicam domino.* Consideraui fidem
 orbis terrarum, in qua exaltatum est caput meum, super eos qui me perse-
 quebantur. Et in ipso tabernaculo, id est in Ecclesia toto orbe terrarum dif-
 fusa, totis viribus laudauit dominum. Vociferare est ingenti virtute vocem
 efferre. Immolamus Deo hostiam vociferationis, quando ei laudes offeri-
 mus cum magna deuotione & contritione cordis. In hoc quod ait, *Canta-
 bo & psalmum dicam*, frequentiam diuini ministerij insinuat. Cantus per-
 tinet ad iocunditatem laudis, psalmus verò ad exercitium boni operis: Sic
 est laus nostra Deo acceptabilis, si voce, corde & opere laudamus eum. Dein-
 de postulat vt exaudiatur, cū subiungit, *Exaudi domine vocem meã qua clamaui
 ad te, miserere mei, & exaudi me.* Gemamus modò, oremus modò. Gemitus nõ
 est nisi miserorum, Oratio non est nisi indigentium. Transiet oratio, succe-
 det laudatio. Transiet fletus, succedet gaudium. Interim modò, quando in
 diebus malorum sumus, non cesset oratio nostra ad Deum, à quo vnam il-
 lã petamus. Et ab ipsa petitione nõ desistamus, donec ad illam illo donante

1. Cor. 13.

Eph. 5.

Ioan. 1.

Ioan. 3.
Col. 3.1. Cor. 10.
Eph. 1. & 2
Matth. 18.Eph. 1.
Mat. 16.Ioan. 14.
Mat. 18.Mat. 28.
Psal. 115.

Psal. 118.

Ioan. 16.

ac perducente perueniamus. finiantur omnes cupiditates, vna in corde sit & in postulatione. Vnde & subditur: *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea: faciem tuam Deus requiram.* Ac si dicat, Oratio mea non in solis labiis est, sed corde prolata. Exquisiuit te facies mea, id est intentio mea, fides mea, mens mea, in qua me cognoscis: faciem tuam Deus requiram. Non honorem, non gloriam, non diuitias quero, facies tua, pulchritudo tua, visio tua mihi est in desiderio. *Non auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à seruo tuo.* Forte ab aliquibus declinat non in ira, quomodo à quibusdam, qui illi dicunt, Auerte faciem tuam à peccatis meis. Quando à peccatis tuis auertit faciem suam, non in ira à te declinat. Auertat ergo faciem suam à peccatis tuis, sed non auertat faciem suam à te. Ira eius non est nisi auersio vultus eius. *Adiutor meus esto: ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.* Ecce in via sum: petiui à te vnam, liberum arbitrium: habeo. Recta quæ agere debeam, cognosco: sed sine te nihil agere valeo. Esto ergo adiutor meus, vt proficiam: nec me derelinquas, ne cadam: neque despicias me, ne peream: quod debes facere, quia tu Deus meus es, qui me creasti, & salutaris meus, qui me redemisti. Non habeo adiutorem extra te. *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, dominus autem assumpsit me.* Exceptis illis duobus parētibus, de quorum carne nati sumus: habemus hic alium patrem, & aliam matrem, vel potius habuimus. Pater secundum seculū diabolus est, & fuit nobis pater, cum essemus infideles. Nā dicit dominus infidelibus, Vos à patre diabolo estis. Iste est pater omnium impiorum, ipse operatur in filiis diffidentia. Mater est illa Babylonia societas omnium perditorum, ab oriente vsque in occidentem. Ipsa habet regnum terrenum. Hæc prima fuit mater nostra: in hac nati sumus. Cognouimus alium patrem Deum, reliquimus diabolum. Cognouimus aliam matrem Ierusalem caelestem, quæ est sancta Ecclesia cuius portio peregrinatur in terra: reliquimus Babyloniam. Separati sumus à mūdo & diabolo. Assumpsit nos dominus vt pater, quia condidit, quia vocat, quia iubet, quia regit. Assumpsit vt mater, quia fouet, quia nutrit, quia lactat, quia continet. Sed assumptus à domino quid petat, audiamus. *Legem pone mihi domine in via tua, & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.* Via domini in hoc loco fides potest intelligi: semita recta, charitas: de qua Apostolus discipulis suis ait, Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro: & cœpit loqui de charitate. Inimici sanctæ Ecclesiæ sunt carnaliter viuētes, & hæretici: qui male viuendo, & prauè docendo comprimunt seruos Dei. Postulat ergo vir sanctus legem sibi poni in via, & dirigi à Deo in semitam: quatinus per legem instructus rectè credat, & per gratiam directus, amando & operando rectè incedat. Et hoc facit, propter inimicos suos, qui eos quos minus eruditos aut imperfectos inueniunt, ad errorem siue iniquitatem (si possunt) trahunt. De quibus adhuc subditur: *Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.* Si tradideris carnem meam in manus eorum, non tradas me, id est animam meam, in animas, id est voluntates eorum, vt ex toto animum & desiderium suum expleant de me: vt si occidunt corpus, vel animam non

occidant. Quoniam vt à te reuocarent, insurrexerunt in me, testantes iniquitatem & falsitatem. Multotiens enim falsi testes contra sanctos surrexerunt, qui eos prauaricatores legis, & seductores affirmarent. Sed iniquitas mentita est sibi, non sanctis: quia mendacium eorum sibi verum est in pœnam & damnationem, sanctis verò in gloriam. Quæ in re notandum est, quia quæ bona sunt, malorum impugnatione non solum non deficiunt, sed etiam magis esse bona noscuntur. Si doctrina Ecclesiastica simplex esset, & nullus extrinsecus hæreticorum dogmatum assertionibus eam stringeret: non poterat tam clara, & tam examinata videri fides nostra. Sed idcirco doctrinam catholicam contradicentium obsidet impugnatione, vt fides nostra non otio torpescat, sed exercitiis elimetur. Propter hoc denique & Apostolus dicebat, Oportet autem & hæreses esse, vt probati quique manifesti fiant. Inter nos, ipsum denique diabolum, & oblucentes aduersum nos contrarias potestates, si auferas virtutes animi, sine oblucente non poterunt enitescere. Sic & fidelium gloria non poterit resplendere, nisi eam infidelium reprobatio & pœna commendet. Post illum circuitum & iubilationem, post ista pericula & labores, inter manus tribulantium positus, æstuans, anhelans, laborans, firmus & certus domino suscipiente, deducente, regente, quid subiungat, audiamus. *Credo videre bona domini in terra viuentium.* O bona domini dulcia, immortalia, sempiterna! Quæ do vos videbo? Credo, inquit, videre. Iustus enim ex fide viuit. Quid est fides? Credere quod non vides. Quæ enim videntur, temporalia sunt, ipsa sunt in terra morientium. Quæ autem non videntur, aterna, ipsa sunt in terra viuentium. Terra dicta est per similitudinem, propter stabilitatem. Nullus ibi perit, sed semper manet & beatè viuit. Sed quid dicit Apostolus? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. Recte ergo diuina scriptura nos admonet, dicens: *Expecta dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine dominum.* Hinc per prophetam dicitur: si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet. Si differtur, non aufertur. Multi negligunt expectare dominum, quia merces eius in præsentem non datur, sed in futuro referuatur. Ideo fatigantur & remanent in via. Propterea diuinitus admoneris, vt viriliter, id est fortiter agas, & corde confirmatus patienter sustineas. Non enim sufficit bona viriliter agere, nisi ex virtute animi studeas & mala æquanimiter tolerare.

Noli dissolui, ne sis inter eos quibus dicitur, Væ his qui perdiderunt

sustinentiam. Qui sustinentiam perdit, effœminatus est, perdit vigorem. Operare ergo viriliter, sustine patienter:

vt bene viuendo sis iustus, & patiando perfectus.

Sic bona quæ credis, videbis: Sic re-

cta opera ad finem perfe-

ctum perduces.

*

k iij

Matth. 26.
Act. 6.

1. Cor. 11.

Roma. 1.
2. Corin. 4.
Ibidem.

Roma. 8.

Abacu. 2.

Matth. 5.

Ecclesi. 2.

TITVLVS PSALMI XXVII.

PSALMVS ipsi Dauid, id est excellentiori membro Ecclesie. Negorium est Ecclesia clamans ad dominum, ut eius sic exaudiat orationem, ne eam cum operantibus iniquitatem perdat: sed prout meruit, sibi tribuat: malos autem impunitos non deferat. Quod faciendo suadere intendit, ut quisque fidelis sui exemplo, cor suum ponat in domino: quatinus eius caro restoreat in ipso. Vel quia dicitur, ipsi Dauid, ipsius mediatoris vox est, manu foris in conflictu passionis. Quae autem videtur inimicis orare, non maliuolentiae votum est, sed denuntiatio poenae. Non optat quae dicit, sed quid eis imminet praedicat. Ait ergo pro se & membris suis sic.

P S A L M V S XXVII.

Ad te domine clamabo, Deus meus ne sileas à me: nequando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum. Merito dominum eum vocat, cui subiecta est omnis creatura: sicut scriptum est, Omnia seruiunt tibi. Qui cum sit omnium Deus per creationem, proprie filius Dei per naturam, vel specialiter Ecclesiae per gratiam: ad quem clamare est toto desiderio, toto affectu orare. Ne sileas (inquit) à me: quantum ad exteriorum eruditionem. Et ne aliquando taceas à me, quantum ad interiorum inspirationem. Oportet enim ut misericors Deus, sicut pro salute humani generis olim locutus est in prophetis, nouissimè autè in filio suo: sic & nunc non sileat, sed per eius vicarios verbo & gratia informatos incessanter nobis loquatur, nos erudiat, nos aspiret. Et si, inquit, tacueris, Assimilabor descendentibus in lacum. Si tacuisset Christus, similis apparuisset cæteris mortalibus. Sed quia in eo Deus locutus est, propterea dixit ei Petrus, Verba vitae aeternae habes, & Tu es Christus filius Dei viui. Fides enim ex auditu, auditus autè per verbum Christi. Rursus si taceat à doctoribus Ecclesie, eius tacere nostrum perire est. Aliter, per hoc quod ait, Clamabo: notat se incessanter clamare ad dominum toto tempore obedientiae suae. Per hoc quod subiugit, Ne sileas, notat affectionem piam inter Deum & hominem: quia ex quo homo clamare incipit, Deus audit. Hebraica veritas non habet hoc, nequado taceas à me: sed 70. Interpretes addiderunt, nec tamè sine causa: sed per hoc dant nobis intelligere eum clamasse de prima & secunda clarificatione. Prima clarificatio est ante resurrectionem, cum fuit immunis ab omni peccato, & per eum Deus miracula fecit, quae nemo alius facere potuit. Secunda clarificatio fuit in resurrectione, quae eius humanitas impassibilitatem & immortalitatem suscepit. Et si sileas remotus à me, tunc assimilabor, id est, similis ero descendentibus in lacum, id est, in huius mundi miseriam. Si enim homo dominicus à praesidio diuini verbi sibi vniti defereretur, similis vtique aliis hominibus inueniretur. Bene dicit, Descendentibus: quia maximus descensus est à Deo deuiare, & se ad huius mundi miseriam inclinare. Ascensus verò, relictis his miseris ad bona perpetua festinare. Ideo subiungit: Exaudi domine vocem deprecationis meae dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. Duo praetendit, pro quibus dignè debeat exaudiri, dicens, Dum, id est, quia oro ad te. Et quia extollo manus meas in cruce, ad templum, id est, Ecclesiam construendam, vt

Psal. 118.
Deut. 32.
Matth. 3.
& 17.

Hebr. 1.

Ioan. 6.
Matth. 18.
Roma. 10.

Hebr. 7.
1. Pet. 2.
Ioan. 15.
Mar. 16.

Ioan. 19.
1. Co. 3. & 6.

dam, vt sit templum sanctum Dei. Magnum meritum exauditionis fuit incarnatio & passio redemptoris, qui factus est (vt Apostolus ait) propitiatio pro peccatis nostris in sanguine suo, quo lauaret nos à peccatis, & aptaret sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. Attende & tu caput tuum: exemplo eius disce orare, disce tolerare, disce amare. Extende manus tuas ad templum. Extendete ad bonam operationem propter regnum Dei. Audi & ora quod sequitur. Ne simul tradas me cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem ne perdas me. Cum peccatoribus quidem fuit Christus, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & cum impiis deputatus est. Sed tamè traditus simul cum peccatoribus non est, vt & ipse esset peccator: quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Descendit in infernum, vbi descendunt impij. Sed cum operantibus iniquitatem non perit: quia & si ab iniquis occisus est, à morte tamè resurrexit, & nos moriendo redemit. Et sic mors illa non perditio, sed vita fuit. Ora & tu ne simul tradaris cum peccatoribus, ne eorum cum quibus habitas, prauis moribus corrumparis, & cum operantibus iniquitatem, ne perdaris: ne videlicet cum iniquis in aeternum pereas, quorum persecutionem temporaliter toleras. Et non solum sunt iniqui actu, sed etiam in lingua. Nam subditur, Qui loquitur pacem cum proximo suo. Qui dixerunt, Scimus quia à Deo venisti magister. Mala autè in cordibus eorum. Cogitabat enim, vt Iesum dolo teneret & occideret. Christus Iudeorum proximus dicitur, & secundum carnem, quia de germine eorum fuit: & secundum hoc, quod eis misericordiam facere venerat. Iuxta quod de Samaritano in Euangelio legitur, quia proximus dicitur illi qui in latrones incidit, quia misericordiam ei fecit. Quam multi tales inueniuntur in Ecclesia Dei, qui persecuntur adhuc corpus Christi. Hi sunt qui veniunt in vestimentis ouium, intrinsecus autè sunt lupi rapaces. Et quia ipsi tales sunt: Da illis secundum opera eorum. Et secundum modum culpae, sit retributio poenae. Sed dicit aliquis, Bona fuerunt opera eorum, etià cum Christum occiderunt: quia sic humanum genus redemptum est. Ideo sequitur: Et secundum nequitiam adinventionem ipsorum. Ac si diceret, Non dico vt secundum vtilitatem, quae ex eorum operibus processit, reddatur eis: sed secundum nequitiam, quae se ad vtilitatem suam inuenisse putauerunt. Non enim ideo Christum occiderunt, vt genus humanum redimeretur: sed ne illi locum & gentem amitterent. Qua in re notandum est, quod eadem actio secundum diuersas intentiones & bona dicitur, & mala. Nam filium suum, quem Deus pater tradidit, tradiderunt Iudaei. Vna ex vtraque parte fuit actio: sed intentio diuersa. Nam ad hoc tradidit eum pater vt nos resurgendo saluaret. Ad hoc tradiderunt eum Iudaei, & morte turpissima condemnandum curauerunt: vt penitus deperiret. Non ergo iustitia aut iniustitia in actione est, sed in voluntate. Sequitur ergo, Secundum opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis. Quid per opera manuum eorum, voluit designari: nisi excellentem iniquitatem, quam fecerunt in mortem domini: Cum apponit manum post opera, ostendit illos magnam studium & affectionem ad illud opus adhibuisse. Quod dicit manuum, tractum est ab artifice: quia illa opera vult dici suarum manuum, quae studiosè fecit. Bene autè dicit, retributionem: quia cum Christus eis bona fecisset, ipsi ei malum retribuuerunt. Ac si aperte dicat: Sicut ipsi retribuuerunt mihi malum, redde ipsis malum

1. Ioan. 2.
Apo. 1.
Eph. 5.
Matth. 19.

Ioan. 1.

Isa. 53.
1. Pet. 2.
Eph. 4.

Mar. 15.
& 16.

Ioan. 3.

Ioan. 11.
Matth. 26.
Matth. 15.
Roma. 1.

Luc. 10.

Roma. 12.
Matth. 7.

Ioan. 11.

Ibidem.

Ioan. 3.
Roma. 8.
Ioan. 11.

Ierem. 18.

similiter. Et merito: *Quoniam non intellexerunt opera domini.* Scilicet illa quæ in lege mysticè scripta sunt, siue illa quæ occultè postmodum operatus est per filiū suū: sicut est quod eum incarnari fecit de virgine, quod eum pro nostra redēptione misit. *Et in opera manuum eius.* Id est, in manifesta opera, subaudiis, non intellexerunt. Hebræi habent, Non inspexerūt in opera manū eius. Quæ sunt illa? Quod infirmos curabat, leproso mūdabat, mortuos suscitabat, & alia multa miracula, quæ per filiū suū faciebat pater. Hinc veritas Iudæis aiebat, Si mihi non creditis, vel operibus credite. Opera enim quæ ego facio testimoniū perhibēt de me. Excusabiles autē inuenirētur in occultis, sed nō inuenirētur in apertis. Quia ergo in opera manifesta nō intellexerūt, vt mente perciperēt diuina: ideo sequitur: *Destrues eos,* Spiritualiter & corporaliter: sicut fuit in destructione Titi & Vespasiani. Et propheta prouidēs illā destructionē esse irreparabilē, addidit: *Et non edificabis eos,* vltierius. In aliis enim destructionibus reparauerat eos deus, vt in destructionibus Babylonis & in captiuitate Ægypti. Vel etiā si spiritualiter essent destructi, vt si sub aliquo duce essent idolatræ, per aliū ducē Deus eos ab idolatria liberabat. De hac autē nouissima excæcatione spirituali, nō reparabūtur vsque in finē: quando eorum reliquiæ saluabuntur: corporaliter verò nunquam restituentur. Ab hoc versu incipit agere gratias de sua exauditione. Ait enim, *Benedictus dominus, quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ.* Quotiens exaudimur à domino, debemus illum benedicere. Non enim habet homo quid tribuat Deo pro tantis eius beneficiis, nisi benedictionē & laudē. Nemo autem donis Dei fit beatus, si donātī existit ingratus. Sic autē colitur à nobis pater luminis, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum descendit: scilicet sacrificio laudis, & actionibus gratiarum. Non tantū exaudiuit de remouēdis malis, sed etiam, *Dominus est adiutor meus,* ad bene operandū: *Et protector meus,* ne lædar à telis persequētium. *Et in ipso sperauit cor meum:* Id est, intentio mea: sperauit autem de resurrectione. Et ideo, *Adiutus sum.* Ad hoc nos adiuuat in bono, & protegit in malo omnipotens Deus vt spēs nostrā constituamus in ipso. Quanto autem fidētius in ipso speramus, tanto ab ipso adiuuamur vberius. Vnde fit, vt per Dei adiutorium spes in nobis generetur, & deinde per spei meritum Dei adiutorium augeatur. Et ostēdit in quo adiutus sit Deus. *Et restoruit caro mea.* Antē floruerat Christi caro, cum fuit immunis ab omni peccato: restoruit quando impassibilitatē & immortalitatem refurgendo suscepit. Propterea sequitur: *Et ex voluntate mea confitebor illi.* Voluntariā cōfessionem diligit Deus: coacta autē seruitia non recipit. Vnde scriptum est, Seruus non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Seruus est qui seruit ex timore, filius est qui obedit ex amore. Ille à cælesti domo excluditur, quia seruus est. Ille introducitur, quia filius est. Confiteamur ergo domino totā voluntate, toto affectu: vt tanquam deuoti filij consequamur hæreditatem Dei. Illi nanque debetur rectē confessio, de quo subditur, *Dominus fortitudo plebis suæ.* Id est sibi deuotæ. Fortitudo Dei in eo est, quia homines de diaboli iugo eripit, & suos facit. *Et ipse est protector saluationum Christi sui.* Id est, illorum, qui per Christum saluati sunt. Et hinc

Luc. 1.
Ioan. 3.Luc. 7.
Ioan. 11.
Matth. 8.
Luc. 17.
Ioan. 10.

Rom. 9.

Psal. 115.

Iaco. 1.

2. Corint. 9.
Ioan. 3.

Et hinc manifestè notat, quod mysteria Christi profunt hominibus ad salutem. Et quia Dominus est fortitudo plebis, ergo Domine fac quod tuum est. *Saluum fac populum tuum domine.* Eripiendo de inimicorū potestate, dirigendo ad fidem. *Et benedic,* dando incrementum virtutū ipsi facto: *Hæreditati tuæ: & rege eos,* Secundum mores & virtutes: *Et extolle illos,* De virtute in virtutem, *vsque in æternum.* Id est, donec perueniant ad æternitatem.

TITVLVS PSALMI XXVIII.

PSALMVS Dauid in consummatione tabernaculi. Remissa arca domini à Philisthis, & reducta in Ierusalē, cum prohiberetur à Nathan propheta ne faceret domum domini, quia vir sanguinum erat: fecit tabernaculū de tentoriis, in quo reponeret arcam Dei. Quo consummato, inuitauit multos vt ad templum illud venirent: non vacuis manibus, sed vt ibi adductas hostias immolarent. Et post hanc consummationem scripsit psalmum istum: non quod de historiali consummatione scriberet, sed nobis consummationem Ecclesie futuram per spiritum sanctum prophetaret: cuius consummatio, illius tabernaculi figura erat. Quod sciens Hesdras propheta Dauid intellexisse, sic intitulauit. Qui titulus sic legitur. Psalmus iste conuenit Dauid propheta, qui hic loquitur. Psalmus dico, habitus in consummatione tabernaculi, id est, in consideratione consummationis Ecclesie. Hanc rectē tabernaculum appellamus, quia hinc in ea tanquam in tabernaculo militamus. Ipsa est in hoc psalmo materia. Negotiū propheta sub persona Ecclesie est, ostendere quomodo tabernaculum Dei compositum sit, id est, qua virtute & qua magnificentia per septiformem gratiam spiritus sancti, qua concipitur ex voce domini, septies repetita. Et hæc faciendo intendit, vt qui filij Dei facti sunt per adoptionem, pura Deo mentis hostiam offerant. Ait ergo:

2. Reg. 6.
& 7.

1. Paral. 17.

Isa. 11.

PSALMVS XXVIII.

AFFERTE Domino filij Dei, afferte domino filios arictum. Afferte domino vosmet ipsos, quos per Euangelium duces gregum Apostoli genuerunt, habentes tanquam duo cornua duo testamenta. Hinc Paulus aries spiritualis gregi suo dicit, Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. Et iterum: Filioli mei, quos iterum parturio. Deo nos afferimus, si deuotè agimus, quod per sapiētiam audimus. Præbe (inquit) fili, cor tuum mihi. Sed necesse est, vt hæc oblatio cordis etiā in completionem se demōstret actionis. Vnde & subditur: *Afferte domino gloriam & honorem.* Tales vos exhibete, vt honoretur & glorificetur Deus in vobis. Iuxta quod scriptū est: Luceat lux vestra corā hominibus, vt videntes opera vestra bona glorificent patrem vestrum qui in cælis est. *Afferte domino gloriam nomini eius.* Gloriosè per orbem innotescat. *Adorate dominum in atrio sancto eius.* Hoc est, in dilatato & sanctificato corde vestro. Illi quippe nos ipsos debemus, à quo cōditi sumus. Cui iure honor & gloria à nobis exhibetur pro tot & tantis beneficiis quæ in ædificationem spiritualis tabernaculi, id est Ecclesie subscribuntur. Dicitur enim: *Vox domini super aquas.* Vox domini super populos, qui per aquas rectè designati sunt, quoniā aquarum more

1. Corint. 4.
Gal. 4.

Prover. 23.

Matth. 5.

more fluxu mortalitatis incessanter decurrunt. *Deus maiestatis intonuit.* Deus de nube carnis terribiliter poenitentiam predicauit. Ipse per seipsum intonuit qui Deus est maiestatis, potestatis & excelso virtutis. Hinc est quod in canticis Ecclesia dicit, Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. Intonuit etiam vox domini super aquas: quia in Iordane super Christum vox patris audita est: Hic est filius meus dilectus. Intonat nunc quoque super aquas baptismatis: quia in nomine patris, & filij, & spiritus sancti baptisantur credentes. Et quia ipse est qui baptizat, recte subiungitur: *Dominus super aquas multas.* Scriptum est enim, Vnus dominus, vna fides, vnū baptisma. Vel dominus super aquas multas, id est, ipse dominus Iesus postquam emisit vocem super populos, & perterritus, eos conuertit in se, & habitauit in eis. *Vox domini in virtute.* Vt est illud, Lazare veni foras. *Vox domini in magnificentia.* Non enim loquebatur Iesus tanquam Pharisei, sed tanquam potestate habens. Vnde quidam ait, Nunquam loquutus est homo sicut hic homo. Tanta huius vocis dominicæ virtus erat, quod & mortuos suscitabat, cæcos illuminabat, leprosos mundabat. Vel vox domini in virtute & magnificentia fuit, cum prius Apostolos fidei virtute instruxit, & per eos postmodum magna fecit. Vnde subinfertur: *Vox domini confringentis cedros, & confringet dominus cedros Libani.* Quid per cedros, nisi alti in superbia designantur? Et bene post cedros addidit, Libani. Libanus enim interpretatur candidatio. Vox autem domini confringit cedros Libani: quia per eam etiam illi conteruntur, qui in honoribus & diuitiis, & in nitore terrenæ nobilitatis exaltantur. Vnde Apostolus ait: Infirmam mundi elegit Deus, vt confundat fortia. Sed sciendum, quia duobus modis confringit cedros vox domini: quosdam videlicet dammando, quosdam ad se trahendo & penitus humiliando: de quibus subiunctum est, *Et comminuet eas tanquam vitulum Libani.* Et amputata superba celsitudine illorum, deponet eos ad imitationem humilitatis suæ, qui tanquam vitulus per ipsam huius seculi nobilitate ad victimam ductus est. Astiterunt enim reges terræ, & principes conuenerunt aduersus dominum & aduersus Christum eius. *Et dilectus quemadmodum filius unicornium.* Nam & ipse dilectus atque vnicus patri exinaniuit se nobilitate sua, & factus est homo, sicut filius Iudæorum ignorantium iustitiam Dei, & superbe iactantium tanquam singularem iustitiam suam. *Vox domini intercedentis flammam ignis.* Id est, diuidentis furentem iracundiam persecutorum suorum, vt alij dicerent: Nunquid forte ipse est Christus? alij, Non, sed seducit populum: atque ita præcedentis insanum tumultum eorum, vt alios traiceret, alios in malitia eorum relinqueret. *Vox domini concutientis desertum.* Id est, commouentis ad fidem gentilem populum, qui quondam erat sine spe, sine Deo, sine propheta, sine prædicatore. *Et commouebit dominus desertum Cades.* Id est, verè celebrari faciet dominus sanctum verbum scripturarum suarum, quod à Iudæis non intelligentibus deserebatur. *Vox domini preparantis ceruos, & reuelabit condensa.* Cerui Apostolos designant, qui preparante eos Spiritu sancto ad currendum, & Euangelium nunciandum agiles erant, qui que mortifera venena diaboli & hæreticorum, non timebāt. His condensa reuelauit, quia script

scripturas aperuit, & diuina mysteria manifestauit. Hinc Paulus ait: Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui. Et scriptum est, Aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas. Tunc eis reuelauit opacitates diuinorum librorum & umbracula mysteriorum, vbi cum libertate pascantur. Et quia per hæc dona consummat Deus Ecclesiam suam, recte subiungitur: *Et in templo eius omnes dicent gloriam.* Hoc est, in seipsis templum Dei factis, domino gloriam dicent, à quo bona perceperunt, quæ habent. *Dominus diluuium inhabitare facit.* Quia electos suos, tanquam in arca, ita in Ecclesia custoditos, mundum istum superare & despicere facit. Qui mundus rectè per diluuium designatur: quia carnales intra se extinguit, spirituales supra se repellit. Et quia semper in Ecclesia sua dominus regnabit post diluuium, bene subiunctum est: *Et sedebit dominus rex in æternū.* Sūt enim sancti sedes Dei, & ipse rex eorū, defendens illos à potestate diaboli, & regens eos spiritualiter, ne peccatum regnet in eorū mortali corpore. De quibus adhuc subditur: *Dominus virtutem populo suo dabit.* Ne ab inimicis & vitiis superetur. *Dominus benedicet populo suo in pace.* Vt post procellas & turbines istius seculi, requiescāt feliciter in æternitate.

T I T V L V S P S A L M I X X I X .

DSALMVSCANTICI IN DEDICATIONE DOMUS DAVID. Psalmus iste est Cantici, id est exultationis habita in dedicatione, hoc est, in consideratione dedicationis domus David. Dedicatio domus David resurrectio saluatoris intelligitur: in qua omnia vite nostre corpora dedicantur. Domus David edificatur, quando humanitas assumitur. Domus David edificatur, quando à mortuis resuscitatur. Domus Christi est humanitas. Sicut enim domus celebris fit in dedicatione: sic Christus celebris factus est in resurrectione, assumpta impassibilitate & immortalitate. In prima parte psalmi est actio gratiarum de liberatione: in qua etiam hortatur sanctos, vt pro ea Deo grates reddant, quæ liberatio eorum est, quia per eam liberati sunt. In secunda parte quæ incipit, Ego autē dixi in abundantia mea, ostenditur meritū, quare fuit dignum vt liberetur. In tertia parte quæ incipit, Audiuit dominus, ostendit qualiter fiat ipsa dedicatio. Circa finē manifeste ponit resurrectionē. Materia est Christus. Intentio est hortari homines ad laudem Dei de sua liberatione, quæ illorū est. Quod notamus vbi dicitur, Psallite domino sancti eius. Ait ergo:

P S A L M V S X X I X .

AL T A B O te domine, quoniā suscepisti me. Ampliabo nomētuum per multas gentes, quoniā humanitatem meam verbo tuo vnisti. *Nec delectasti.* Id est, nec delectari fecisti *Inimicos meos super me.* Quia licet putaret se esse in passione super me, tamen illud gaudium in tristitia est conuersum. Quod dicitur modò ex persona fundamēti, post modū dicitur ex persona vniuersę domus. Iam facta est dedicatio domus in capite, tanquam dedicatio fundamēti. Domus, id est, Ecclesia, adhuc fabricatur: postea dedicabitur. Tunc apparebit gloria populi Christiani, quæ modò latet. Sequiant modò inimici. Exultent in fabricatione domus: confundentur in dedicatione. Tunc enim stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt. Dicent autem inter se poenitentes & præangustia spiritus gementes, Quid nobis profuit superbia? & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra. Et quid

Et quid dicunt de iustis? Quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est: tunc implebitur quod modò dicitur, Nec delectasti inimicos meos super me. *Domine Deus meus clamaui ad te.* Clamauit cum dixit, Pater clarifica filium tuum: *Et sanasti me.* Erat enim infirmus pro parte carnis. Sanauit igitur eum pater, quia resuscitando ipsam carnem immortalem & incorruptibilem fecit. Audi Apostolum, Vide veram sanitatem. Absorpta est (ait) mors in victoria. Vbi est mors aculeus tuus? Vbi est contentio tua? Subiungit aliam causam, qua debeat dominum exaltare. *Domine, inquit, eduxisti ab inferno animam meam.* Expoliavit enim infernum, & animas sanctorum secum in celo duxit. *Saluasti me à descendentibus in lacum.* Id est ex manibus Iudæorum me liberaisti, qui sua sponte in infernum & mortem & fauces diaboli descendunt. Et quia eius liberatio ad communem pertinet salutem, ideo nos admonet dicens: *Psallite domino sancti eius, & confitemini memorie sanctitatis eius.* Ac si dicat, Vos per meam liberationem facti sancti eius, Psallite domino: benedicite operando, & confitemini ore & corde, memorie illius. Obliti enim eratis eum, sed ipse vos non est oblitus. Quòd autem vestri memor extitit, non ex vestra, sed ex illius sanctitate processit. Et ex hoc etiam psallite, & confitemini. *Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* Vindicauit in vos primum peccatum, quod morte soluitis, & vitam æternam, ad quam redire nullis vestris viribus possitis, quia voluit, dedit. Cùm audis quoniam ira in indignatione eius, habes in Deo quid timeas. Indignatur enim Deus homini, & infert iram pro peccato. Rursus cùm audis, Et vita in voluntate eius, habes in Deo quid speres & diligas. Ibi iustitia commendatur, hinc gratia. Ad iram autem & vitam pertinet quod subiungit: *Ad vespertinum demorabitur fletus, & ad matutinum letitia.* Vespera fit, quando sol occidit. Vespera cœpit, vbi sapientiæ lumen recessit à peccante homine, quando morte damnatus est. Occiderat enim illi sol iustitiæ, non gaudebat ad præsentiam Dei. Inde inchoata est omnis vita ista mortalis. Ab ipso vespere moras habebit fletus, quãdiu in laboribus & tentationibus populus Dei expectat diem domini. Deinde veniet matutinum, quo exultatio resurrectionis futura est. Tunc orietur fidelibus lux, quæ occiderat peccatoribus. Ideo & dominus Iesus in matutino surrexit de sepulchro, ut quod dedicauit in fundamento, hoc promitteret domui. In domino nostro vespera fuit, quia sepultus est: & matutinum, quia surrexit tertia die. Sepultus es & tu vespere in paradiso, & resurrexisti tertia die. Quomodo tertia die? Si seculum cogites, Primus dies est ante legem: Secundus sub lege: Tertius sub gratia. Quod triduo illo ostendit caput tuum, hoc triduo seculi ostenditur in te. Sperandum est & lætandum, sed perferendum est modò & gemendum. Ostendit autem se contrarium Adæ, cùm subiungit. *Ego autem dixi in abundantia mea, Non mouebo in aeternum.* Ille positus in paradiso voluptatis, abundans omnibus bonis, motus est ad persuasionem serpentis. Christus autem in abundantia virtutum, dixit, id est, deliberavit, ut non moueatur in aeternum, sed sit obediens patri vsque ad mortem. Nec hoc suis viribus attribuit, vnde & subdit: *Domine in voluntate tua*

præst

præstisti decori meo virtutem. Quod decorus sum in iustitia, fortis in paciëntia, non hoc habeo ex mea potestate, sed tua voluntate. *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Visus est enim auertisse faciem suam pater à filio, quando eum in passione dereliquit. Vnde & Iudæi dixerunt, Si filius Dei est, liberet eum, si vult. Factus est autem conturbatus, cùm ait, Tristis est anima mea vsque ad mortem. Hinc magnum meritum Christi ostenditur, qui nec sic probatus ab obediëntia recessit. Tu auertis faciem tuam à me: sed ego non sum auersus à te. Nam sequitur: *Ad te Domine clamabo, & ad dominum meum deprecabor.* Clamabo de obtinendis bonis, deprecabor de remouendis malis. Tu enim dominus meus, qui regis me: & Deus meus, qui creasti me. Hinc nobis ostenditur in capite nostro quid agere debeamus. Si auerterit à nobis faciem suam dominus, & indignatus fuerit pro peccatis nostris: mox conturbari debemus per pœnitentiam. Et ad pias eius aures tandiu clamare, donec indulgentiam consequamur. Quid autem clamauerit Christus, ostendit cùm subiungit: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem?* Quid proficiet mihi vel aliis sanguis meus effusus, si ego in corruptionem descendo: si corpus meum putrescat in sepulchro: si tertia die non resurgo? *Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annuntiabit veritatem tuam?* Nunquid caro redacta in puluerem confitebitur tibi, id est, erit causa confessionis & laudis tuæ? Aut annuntiabit veritatem tuam, id est, erit causa quare veritas tua annuntietur de reparatione generis humani, quam tu per me facturus es? Ab hoc clamore se exauditum insinuat, cùm protinus addit: *Audiuit dominus, & misertus est mei: dominus factus est adiutor meus.* Misertus est mei, ne rumperer: adiunxit, ut etiam resurgerem. Misericordia pertinet ad remissionem peccatorum. Adiutorium pertinet ad profectum bonorum operum & virtutum. Primum miseretur nobis sine præcedentibus meritis, ut liberati à peccato bonum velimus. Deinde nos adiuuat, ut bonum quod volumus, impleamus. Quòd peccata corrigimus, misericordia Dei est. Quòd ad virtutes resurgimus, adiutorium Dei est. In quo autem sit adiutus, ostendit, ex familiaritate se conuertens ad patrem, & dicens: *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi.* Planctum passionis in gaudium mutasti resurrectionis, mihi, id est, ad utilitatem mei & meorum. *Conscidisti saccum meum, & circumdediti me letitia.* Saccus de capris conficitur, & de hœdis. Et capræ & hœdi inter peccatores ponuntur. Dominus de numero nostro saccum solum accepit, non assumpsit meritum sacci, quod est peccatum. Saccus autem est mortalitas. Saccum autem conscidit, quia mortalitatem destruxit, & insuper circumdedit eum lætitia: quoniam stola immortalitatis induit illum dominus. Ad hoc autem circumdatus est lætitia, ut faciat quod subiungit. *Ut cantet tibi gloria mea.* Id est, resurrectio mea, atque beatitudo mea: *Et non compungar.* Id est, non moriar. Nam Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, Mors illi ultra non dominabitur. Quod factum est in capite, futurum est in corpore. Cantabit deo gloria nostra, quando similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. Fiet enim quod subditur: *Domine Deus meus in aeternum confitebor tibi.* Hæc est gloria mea, ut tibi confitear in aeternum, quo-

*Matth. 11.
Ioan. 13.
Iaco. 5.
1. Ioan. 1.* niam nihil mihi ex me, sed omnia ex te, qui es Deus, omnia in omnibus. Confitere ergo modò quod tu fecisti in Dominum, id est, peccata, & confiteberis quid tibi fecerit Deus, dimittendo peccata: vt ei confitens in æternum non compungaris peccato.

T I T V L V S P S A L M I X X X.

1. Apoc. 1. **T**ITVLVS psalmi sequētis hic est, In finem psalmus ipsi Dauid, Extasis. A-
scribitur psalmus ipsi Dauid mediatori, manu forti in persecutionibus, qui loquitur hic non tantum pro se, sed etiam pro martyribus suis, dirigenti in finem. Extasis quæ addita est in titulo, excessum metis significat: quæ fit vel pauore vel aliqua reuelatione. Sed in hoc psalmo pauor maxime apparet perturbati populi Dei persecutione omnium gentium, & defectu per orbem fidei. Sed prior loquitur ipse mediator. Deinde redemptus sanguine ipsius populus gratias agit: ad extremum perturbatus diu, loquitur, quod ad extasin pertinet. Prophetæ vero ipsius persona bis interponitur: Prope finem, & in finem. Materia habet duo opposita. Auxiliu diuina pietatis, & miseriam humana fragilitatis. Intendit homines admonere, vt neque desperent attendentes suas miserias, neque superbiant stultè de Dei misericordia presumentes: & sic manifestè in finem, id est, in Christum nos dirigit. Ait ergo:

P S A L M V S X X X.

*Matth. 25.
Rom. 6.
Matth. 25.
1. Corint. 4.
Ioan. 3. & 6.
Ioan. 3.
1. Corint. 15.* **N**te Domine speraui, non confundar in æternum. Videtis quia timet, sed pavor iste nõ est sine spe. Si est aliqua in humano corde cõturbatio, non recedit diuina consolatio. Non negat quin patiatur inimicorum insultationem, sed talis cõfusio non durat in æternum. Illa confusio perhorrenda est, quæ æterna est. Nam est quædam cõfusio temporalis, utilis: perturbatio animi respicientis peccata sua, respectione horrentis, horrore erubescens, erubescendo corrigentis. Vnde dicit & Apostolus, Quam enim gloriã habuistis in his in quibus nunc erubescitis? Hanc confusionem non formidat Christianus, imo si hanc non habebit, æternam habebit. Quæ est illa? Ite maledicti in ignem æternum. Et ideo securus adiunxit: *In iustitia tua libera me.* Nam si attendas ad iustitiam meam, damnas me. Fit autẽ iustitia Dei & nostra, cum nobis donatur: quæ ideo Dei iustitia dicitur, ne homo se putet à seipso habere iustitiã, & sic in seipso inaniter gloriatur. Et quia vox mea non posset ascendere ad te, *Inclina ad me aurem tuam, accelera vt eruas me.* Fecit hoc Deus, quando ipsum Christum ad nos misit. Auris inclinatio est assumptio humanitatis. Inclinat aurem suam ad nos Deus, misericordiã deponens super nos. Quæ maior misericordiã, quàm vt vnicum suum daret nobis, non viuere nobiscum, sed mori pro nobis? Sed vt inclinata misericordia cito resurgat petit, cum subiungit: *Accelera vt eruas me.* Ac si dicat, Cito fac me resurgere. Si enim vsque in communem resurrectionem distulisset, tota spes credentium decidisset. Vel ad hoc positum est *Accelera, vt hoc totum quod nobis diu videtur, quandiu voluitur: secundum punct*

punctu esse intelligamus. Non est enim diu quod habet extremu. Trãsuolant tẽpora, & quod tibi tardu est, in oculis Dei breue est. *Esto mihi in Deum protectorem.* ne vulnerer telis inimicorum. *Et in domum refugij, vt saluum me facias.* Id est in domum securitatis, in quia requiescam finitis laboribus istis, atque in æternum saluus permaneam. Si vis euadere iaculamentationum, æstus vitiorum, furorem persequentium: inuoca protectorem dominum. Si ipse te protegit, non est qui feriat. Si vis esse saluus & securus, fac de ipso refugium tuum. Nullum enim tam tutum potest tibi esse refugium, quàm Deus tuus: de quo subditur, *Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu.* Fortitudo qua ego possim & mihi contra impugnantes resistere. Refugium in quo securus valeam permanere. Fortitudo in bello, refugium post triumphum. Fortitudo qua vincimus, refugium in quo quiescamus. *Et propter nomen tuum, dilatandum & glorificandum, deduces me, ne aberrem: & enutries me.* ne in via deficiam. Vel deducitur Christus, cum per Apostolos vbique nunciatur. Enutritur autem, cum paruuli lacte fidei & miraculorum gaudio refouetur. Domine Deus noster, dux nobis es, quo spiritualiter proficiscimur: & verus cibus, quo spiritualiter enutrimur. Ducit nos præceptis, nutrit sacramentis. De quo adhuc subditur: *Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi.* Per laqueum, deceptionem vult intelligi: quam Christo absconderunt Iudæi. Hinc est quod ei dixerunt, Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Dic ergo nobis si licet censum dari Cefari an non? Ecce laqueus, quem absconderunt. Si dixisset, Licet: cecidisset in laqueum. Opposuit enim illi, Contra legem agis, quæ dicit, Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruias. Si dixisset, Non licet: in alium laqueum cecidisset. Dixissent enim Herodiani, Contra regem agis: reus es mortis. Vel educes me de laqueo, id est de morte, quæ ideo dicitur laqueus: quia per mortem putauerunt impedire nomen eius: quem absconderunt, id est latenter parauerunt, mihi, quem nullum latet secretum. Suos similiter eripit Deus de laqueis diaboli, id est de tentationibus. Ideo scio quod educes me. *Quoniam tu es protector meus.* Et non potest illa queari, qui talẽ habet protectorem. Et ideo sequitur: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Hoc completum fuit, quando in cruce positus dixit, Pater in manus tuas comendo spiritum meum. Ecce quomodo Prophetia & Euãgelium in eodẽ sermone concordant. Intellige ergo quia idem Christus qui loquitur in Euangelio, locutus est etiam in psalmo. Qui protinus adiungit, dicens: *Redemisti me domine Deus veritatis:* Redempta est anima Christi & aliorum per suam perfectã obedientiã. Et bene ait, Domine Deus veritatis: non enim sefellit in promissione, sed impleuit fideliter quod promisit. Et ideo quia tu es Deus veritatis, *Odisti obseruantes vanitates superuacue.* Illi superuacue custodiunt vanitates, qui sic terrenis inhaerent, vt celestium obliuiscantur. Tales odit Deus, qui sperat falsam beatitudinem seculi istius. Ego autẽ non quomodo illi qui sperat in vano, & qui obseruat vanitatem: sed in domino speraui, qui non est vanitas. Ideo exultabo corpore, & lætabor spiritu in misericordia tua, quæ donauit mihi vt sperarem in te. Et merito exultabo: *Quoniam respexisti humilitatem meam.* Id est, misertus es meæ

fragilitatis & meae afflictionis, ne à persequentibus superarer. Respiciendo autem humilitatem, *Saluasti de necessitatibus animam meam.* Id est, de corporalibus miseriis, quas in hac vita patitur anima propter culpam. Nisi prius te humiliare, non te exaudiret, qui te à necessitatibus liberaret. Humiliatus est qui dixit, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Sed audi continuam saluationem: Gratia (inquit) Dei per Iesum Christum: vnde sequitur. *Nec conclusisti me in manibus inimici.* Quia neque ab his qui sepulchrum custodiebant, neque à malignis spiritibus in inferno detentus est: sed potius, *Statuisti in loco spatiofo pedes meos.* Quia non solum in Iudaea, sed per omnia regna mundi Apostoli prædicabant: quibus in sola Iudaea prius prædicare præceptum fuerat. Vel statuisti pedes meos, id est, firmiter posuisti afflictiones meas in loco spatiofo charitatis. Hic incipit enumerare miseria humanæ fragilitatis, dicens, *Miserere mei Deus, quoniam tribulor.* Et ipsam tribulationem describit, cum subiungit, *Coturbatus est in ira oculus meus, anima mea & venter meus.* Id est, intellectus meus, voluntas mea, memoria mea. Quauis certus esset de promissione Dei, qui dixerat, Clarificabo: nõ ita dicimus intellectum Dei Christi vel voluntatem, siue memoriam esse turbatam, vt aliquo modo deficeret: sed spontaneè perturbari voluit, vt aliis exemplum relinqueret, ne si turbarentur, ideo desperarent. *Quoniam defecit in dolore vita mea.* Post expertam iram Dei qua dictum est primo homini, Morte morieris: multos defectus doloris habuit vita ista mortalis. Et quia vita eius posset acta esse in dolore per vnum diem, vel duos dies, quod non videretur magnum: ideo addidit, *Et anni mei in gemitibus.* Totum enim spatium præsentis vitæ, sanctis labor & gemitus est. Vnde & subditur, *Infirmata est in paupertate virtus mea.* Id est, in consideratione meae paupertatis: quia nihil ex me habeo. *Et ossa mea,* Id est, firmitas mea, vel robor corporis mei, *Coturbata sunt.* Cum Christus dicit se esse infirmum, & in corpore & in anima: ostendit à se remotam omnem superbiam, & quod aliquis non debet de se præsumere. Ponit item alias miseria dicens: *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde, & timor notis meis.* Quid per notos nisi Apostoli: quid per vicinos valde, nisi illi qui iam fidei eius appropinquabāt, designantur? Illis opprobrium & timoris causa efficitur, cum à Iudæis in cruce suspenditur. Rectè super omnes inimicos suos se in opprobriū factū dicit, quia plus despectus apparuit ipse qui sine culpa occidebatur, quam ipsi etiā iniqui, qui pro suis sceleribus damnabantur: vnde & subdit: *Qui videbāt me, foras fugerunt à me.* Videbant enim Apostoli Iudæos capere Christum, & relicto eo omnes fugerunt. *Oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde.* Obliti sunt me, tanquam mortuus sim à corde ipsorum. *Factus sum tanquam vas perditum: quoniam audiui vituperationem multorum, commorantium in circuitu.* Vas perditum & contractum, nulli vtilitati est idoneum. Quasi vasa perditæ erant latrones, cum tanquā inutiles ad perditionem traderentur. Sic & Christus tanquā vas perditū factus est, quia etiam cum impiis deputatus est. Quantas autem à circumstantibus audierit vituperationes, ipsi qui passionem eius legunt, agnoscunt. *In eo dum conuenirent simul aduersum me, accipere animam meam conciliati sunt.*

sunt. Dum simul (inquit) aduersum me iniqui Iudæi conuenirent, in eo conuentu nihil aliud conciliati sunt, nisi vt animam meam perderet. Quid hæc verba nos docent, nisi contemptum mundi & mortis, nisi humilitatem & patientiam, & vt spem nostram habeamus in Deo? Vnde & subditur, *Ego autem in te speravi domine: dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meae.* Recta est spes, quæ in Deo est. In quocumque alio sperauerit homo, frustrabitur spes eius. Qui autem in Deo sperat, sicut Deus immutabilis est, ita spes eius mutari non poterit. Dixi domino, proposui, voui, fixi in animo, Deus meus es tu. Tu enim nõ deficis, Tu nõ fallis. Et ideo in te speravi, quæ Deum meum elegi. In manibus tuis, id est in potestate tua, sortes meæ sunt. Sors nõ aliquid mali est, sed res in dubitatione humana diuinam indicans voluntatem. Nam & sortes miserunt Apostoli. De duobus discipulis consultus est Deus, quem illorum esse vellet Apostolum. Et cecidit sors super Mathiam. Sortis nomine in hoc loco gratia Dei designatur: quia in sorte non est electio, sed voluntas Dei. Nam vbi dicitur: Ille facit, iste non facit, merita considerantur. Et vbi merita considerantur, electio est, & non sors. Quando autem Deus nulla merita nostra inuenit, sorte voluntatis suæ nos saluos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus. Hæc est sors. Gratia salui facti estis per fidem (ait Apostolus) & hoc non ex vobis. Hinc est quod Petrus Symoni dicit, Quia existimasti donum Dei pecunia comparare, non est tibi pars neque sors in hac fide, id est, non pertinet ad istam gratiam quæ gratis omnes accepimus. Bene autem nõ sortem, sed sortes dicit: quia multæ sunt diuisiones gratiarum, quas credentibus dominus distribuit. *In manibus tuis sortes meae.* Ac si aperte dicat: In potestate tua sunt omnes electi mei. Et ideo, *Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me.* Id est, de illorum potestate, qui me oderunt, & eorum qui mihi mala inferunt. Dicit hoc vnusquisque de inimicis suis. Bonum est enim, & orare debemus, vt Deus nos eruat de manibus inimicorum nostrorum visibilium & inuisibilium. Inter hos gemens iste ait: *Illustra faciem tuam super seruum tuum.* Confusio enim quædam putatur, cum omnes Christiani dicuntur: & qui malè viuunt, & qui bene viuunt. Omnes vno charactere signantur. Omnes ad vnum altare accedunt. Eodem baptisinate abluuntur: eandem dominicam orationem proferunt: in idem mysteriis celebrandis interfunt. Quando discernentur? Quando illustrabit faciem suam dominus super seruos suos: in iudicio. Tunc separabuntur boni à malis. Vnde scriptum est, Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Et ideo subdit: *Saluum me fac in misericordia tua: non in iustitia mea.* Domine non confundar quoniam inuocaui te. Quisquis modò dominum inuocat, id est inter se vocat, corde puro, corde integro, deuotè orando, rectè viuendo, voce, corde, operibus consonando: non confundetur in iudicio. Confundetur autem illi, de quibus subditur: *Erubescant impij & deducantur in infernum.* Iudæi scilicet qui dominum suum crucifixerunt, vel gentiles qui idola coluerunt: vel falsi Christiani, qui dominum colere neglexerunt. Tunc utique erubescer, quando à domino audient, Amen dico vobis, Nescio vos. Et rursus, Ite maledicti in ignem æternum. Tunc fiet quod subditur: *Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem in superbia & in abusione.* Superbè enim

Ioan. 18.
& 19.
Ioan. 11.

Mala. 3.

Acto. 1.

Rom. 4.
Ephes. 2.

Acto. 8.

Matth. 10.
1. Corin. 12.

Matth. 24.

Ephes. 4.
Matth. 6.Matth. 25.
Isa. 26.

Matth. 25.

& abusiue, id est, contra seruorum vsum, loquebatur Iudæi aduersus dominum, dum, Reus est mortis, & Crucifige clamabāt. Quotidie modò clamāt mali contra bonos, superbi contra humiles. Quotidie blasphemant, latrant, detrahunt, garrunt linguis malignis & dolosis: sed tunc efficientur labia eorum muta, quando sanctorum apparebit gloria, & sibi videbunt imminere tormenta. Strepitus verborū vertetur in luctum. Ibi enim fletus & stridor dentium. Quo contra sanctorum fœlicitatem intuens, suauitatem regni cœlestis admirando laudauit, dicens: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te!* Admirabilis est, delectabilis est. Verbis explicari non potest. Nam quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, præparasti Deus diligentibus te. Abscondisti autem timentibus te. Quid est, abscondisti illis? seruasti vt soli ad eam perueniant. Quandiu enim adhuc timent, nondum & ipsi peruenerunt: sed credunt se peruenturos, & à timore incipiunt. Nihil enim dulcius est immortalitate sapientiæ: sed initium sapientiæ timor domini, quam abscondisti timentibus te: sed *Perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.* Id est, eis perfecisti dulcedinem tuam, qui in conspectu filiorum hominum sperant in te. Quo modo dicit dominus, Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego illum coram patre meo. Ergo si speras in domino, coram hominibus spera: ne forte abscondas ipsam spem tuam in corde tuo, & timeas confiteri, cum tibi pro crimine obiiciatur, quia Christianus es. Si vis ambulare viam Dei, etiam in conspectu hominum spera in dominum, id est, noli erubescere de spe tua. Quo modo viuit in corde tuo, sic habitet in ore tuo: quia non sine causa signum suum Christus in fronte nobis figi voluit, tãquam in sede pudoris: ne Christi opprobrio Christianus erubescat. Hoc ergo in conspectu hominum si feceris, si inde coram hominibus non erubueris, si in cõspectu filiorū hominum, nec ore, nec factis Christum negaueris: spera tibi perfici dulcedinem Dei. Hanc autem dulcedinẽ incipit Deus dare fidelibus in hac vita, sed perficit in alia. De quibus adhuc subditur: *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ.* Id est, in secreto contemplationis diuinæ. *A conturbatione hominum.* Vt nullus eos iam valeat conturbare. Sed iterum cum peregrinantur in hoc seculo, quia multas patiuntur linguas contradicentes, quid eis facis? sequitur & dicit, *Proteges eos in tabernaculo tuo.* Scilicet in præsentī Ecclesia, in qua militamus, *A contradictione linguarum.* Ne linguæ hæreticorum contradicentes veritati valeant eos incorporare sibi. Deinde pro tantis beneficiis ad laudandum & benedicendum Deum erumpit, dicens, *Benedictus Dominus, quoniam mirificauit misericordiam suam mihi in ciuitate munita.* Inde est benedicendus & glorificandus dominus, quoniam mirabilem ostendit misericordiam suam mihi, id est, ad vtilitatem mei & meorū, in ciuitate munita, id est, in sanctis, qui dicuntur ciuitas: quia multi sub vna diuina lege coniunguntur, & munita propter multas virtutes, & diuersa dona sancti Spiritus, quibus muniuntur. Dominus sic mirificauit: ego autem habui miserias. Vnde & subdit, *Ego autem dixi in excessu mentis meæ, Proiectus sum à facie oculorum tuorum.* Excessus dicitur, siue quando homo rapitur ad contem

contemplationem diuinorum, (vt Paulus dicit, siue mēte excedimus, Deo.) ^{2. Cor. 5.} siue quando aliquis præ tristitia seipsum excedit, nec remanet apud se. Sic & iste vidit se pauentem nescio qua tribulatione magna, sicut non defunt. Attende cor suum pauidum & trepidum: & ait, *Proiectus sum à facie oculorum tuorum.* Si in facie tua essem, non sic timerem. Si me attenderes, non sic trepidarem. Et quia confessus sum, & quia humilis fui, quia cor meum accu saui, quia trepidans clamaui: *Ideo exaudisti vocem orationis meæ.* Et meritum quoddam exauditionis supponit, cum dicit, *Dum clamarem ad te.* Id est, quia clamaui. Clamor ad dominum non est voce, sed corde. Multi silentes labiis, ^{Exod. 14.} corde clamauerunt. Multi ore strepentes, corde auerso nihil impetrare potuerunt. Si ergo clamas, clama intus, vbi audit Deus. Sed iam quid nos hor tatur, audiamus. *Diligite dominum omnes sancti eius.* Tanquam diceret, Credite mihi. Ego sum expertus, habui tribulationes: inuocaui, & non sum deceptus. Speravi in Deum, & non sum cõfusus. Cogitationes meas illuminauit, trepidationem meam firmavit. ^{1. Ioan. 2.} Diligite dominum, qui non diligitis mundum, hoc est omnes sancti eius. *Quoniam veritatem requirit dominus.* Licet permittat eam modò conculcari, tamen ipse requirit eam in suo tempore. A quibus requirit? Ab his qui eam contra falsitatem tenuerunt. Requirit autem ab illis, vt remuneret. Requirit etiam ab his, qui eam superbe neglexerunt. De quibus subditur: *Et retribuet non modicè, sed abundanter facientibus superbiam.* Qui sunt qui superbiam faciunt, nisi hi qui veritatem Dei contem nunt? Ne ergo cum eis condemnemur, audiamus, & faciamus quod subin fertur. *Viriliter agite.* Nolite læsas manus in tribulationibus dimittere. Et si in corpore est infirmitas vel lassitudo, sit in corde ad toleranda mala mundi patientiæ fortitudo. Et hoc est quod subiungit: *Et confortetur cor vestrum.* Sed quibus hoc dicit? Nunquid amatoribus mundi? Non. Sed audi quibus. ^{1. Corin. 12.} *Omnes qui speratis in domino.* Verba quę audistis in psalmo, fratres, in corde describite: in vobis transformate: in his dominum laudate. Et si orat psalmus, orate: & si gemit, gemite: & si gratulatur, gaudete: & si sperat, sperate: & si timet, timete. Omnia quæ hîc scripta sunt, speculum nostrum sunt.

PSALMVS XXXI.

INTELLECTVS David. Hæc scriptura edita à David legentibus intel lectum gignit. Hoc scilicet, vt quisque intelligat non posse saluari aliquem, nisi per peccatorum remissionem. Prima intelligentia est, vt te noueris peccato rem. Consequens intelligentia est, vt cum ex fide per dilectionem bene cõ- Gal. 5. peris operari, nec hoc viribus tuis, sed gratia Dei deputaueris. Materia est David propheta, vel quicumque alius fidelis, intellectu penitens: qui cum ante ignorasset peccata sua, iam recognoscit. Ponit etiam illius confessionem: deinde illius confessionis commendationem. Postmodum inducit Christum promittentem bona plura huiusmodi penitenti. Inten tio illius penitentis est, nos admonere ad intellectum huiusmodi confessionis. Et in prima parte ostendit se peccata recognoscere, cum dicit:

BEATI quorum remissa sunt iniquitates, & quorum recta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus. Sunt nonnulli pœnitentes, quorum per lauachrum regenerationis remissa sunt iniquitates, & beati sunt. Rursus sunt plerique, qui post baptismum peccauerunt, sed ad confessionem redierunt: & per pœnitentiam & emendationem recta sunt eorum peccata, quæ gesserunt. Et ipsi nihilominus sunt beati. Est alius vir stenuus, & ideo vnus quia rarus, animi virtute fultus, qui se ab omni peccato criminali custodiuit, qui culpam cum per carnalem concupiscentiam oriretur, per rigorem spiritus fortiter restrinxit: non delectatus est, non consensit. Hic est beatus vir, cui dominus peccatum non imputauit. Hinc per eundem psalmistam alibi dicitur, Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero. Et Apostolus ait, Nihil nunc damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Et dum iste vir sanctus in hoc non se iustificat, sed peccatorem confitetur, & seipsum accusat: non est in spiritu eius dolus. Quod quia pœnitens iste non fecit, quale damnum pertulerit, insinuat, cum subiungit: *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Contrarium videtur esse, quod ait, Tacui dum clamarem. Sed aliquid tacuit, aliquid clamauit. Tacuit confessionem, clamauit præsumptionem. Quandiu peccatum nostrum reticemus, ipsum peccatum clamat ad dominum. Hinc est quod Cain à domino dicitur, Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Quia enim requisitus negauerat, ipsa fusio ad dominum clamor erat. Quoniam tacui (inquit) inueterauerunt ossa mea. Si clamaret peccata sua, innouarentur ossa eius, id est, tota virtus eius robusta esset in domino: quia in se inueniretur infirmus. Modò autem, quia in se voluit esse firmus, factus est infirmus: & inueterauerunt ossa eius. remansit in vetustate, qui noluit confitendo amare nouitatem. Quid est, Dum clamarem tota die? dum perseuerarem in defensione peccati. Et quia tacuit, vindicantem domini manum sensit: dicens, *Quoniam die ac nocte,* Id est assidue *grauata est super me manus tua.* Super illum dominus manum grauat, quem exaltantem se humiliat. Qui à confessione humilitatis suæ noluit humiliari, humiliatus est pondere manus Dei. Et ideo subdit: *Conuersus sum in erumna mea,* Id est, in consideratione meæ miseriæ, *Dum configitur spina.* Dum compungitur conscientia. Per ferientem manum domini sensit super se pondus flagelli, sensit intra se compunctionem peccati. Datus est ei sensus doloris, & sic inuenit suam infirmitatem, qui tacuerat confessionem. Vnde protinus ait: *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi.* Per delictum potest intelligi peccatum cogitationis. Per iniustitiam, peccatum operis. Vel delictum est, cum mandatum Dei relinquimus. Iniustitia verò, quando ipsa quæ præcepta Dei prohibet, opere perpetramus. Vtrūque hoc peccatū prius iste pœnitēs reticuit. Vnde & vindicantem domini manū sensit: & sic flagellatus & erudi

& eruditus, ad confessionem & emendationem humilis venit. Piaque domini dispensatione factum est, ut quod pœna peccati extitit, hoc ipsum virtutis occasio fuerit. Vnde & ait: *Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Vide quàm velox sit Dei misericordia erga peccatorem. Proposuit se pronuntiatum, & ille iam dimisit. Vox nondum venerat in ore, sed auris Dei iam erat in corde. Postquam autem dixit, Confitebor, non sine causa mox addidit, Aduersum me. Multi enim pronuntiant impietatem suam, sed aduersum ipsum dominum: quando inueniuntur in peccatis, dicunt, Deus hoc voluit. Si enim homo dicat, Non feci: aut, Hoc factum quod arguis, non est peccatum. Non pronuntiat nec aduersum se, nec aduersum dominum. Si autem dicat, Feci: prorsus peccatum est, sed: Deus hoc voluit, quod ego feci. Pronuntiat aduersum dominum. Multi hoc dicunt. Dicunt & aliud, Fatum mihi fecit, Casus mihi fecit. Et ita per circuitum volunt venire ad accusandum Deum. Tollit ergo pœnitens iste tales occasiones in peccatis, ne declinet cor suum in verba malitiæ & confitetur aduersum se iniustitiam suam domino. Quid est aduersum se? Accusans & increpans semetipsum, & non alium. Talem confessionem sequitur velox remissio. Ideo ait, Et tu remisisti impietatem peccati mei. Et notandum quòd non ait peccatum, sed impietatem peccati. Cum enim agimus malum, vel loquimur, vel cogitamus, peccatum quidem est. Cum autem id ipsum Deo abscondere volumus, iam non solum peccatum est, sed etiam impietas peccati. Ex his ergo verbis ostendit, quòd ex hoc, quòd confiteri peccatum suum disposuit, non solum ei Deus quod malè gessit, sed etiam quòd impiè absconderat, dimisit. Licet autem Deus dimittat peccata, ex quo homo in voluntate pœnitet: tamen confitendum est ministris Ecclesiæ, quia nisi confiterentur, ex sua inobedientia damnarentur. Quod ostensum est in Lazaro, qui postquam viuificatus est, indignus solui. *Pro hac videlicet impietate peccati, orabit ad te omnis sanctus.* Inde orabit ad te, quia dimisisti peccata. Nam si non dimitteres peccata, non esset sanctus qui ad te oraret. Orabit autem *In tempore opportuno.* Modò est opportunum tempus orandi, confitendi peccata sua, & corrigendi. Modò enim tempus gratiæ, tempus misericordiæ, de quo dicit Apostolus, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: Modò possunt appropinquare Deo, qui volunt, si præterita mala puniant, si mores corrigant, si sobriè & iustè uiuant. Erit postmodum tempus iudicij, tempus vindictæ: quo iam non appropinquabunt, qui modò appropinquare contempnunt. Hoc est quòd subiungit. *Veruntamen in diluuium aquarum multarum, ad eum non appropinquabunt.* Rectè per diluuium, Dei iudicium designatur: quia sicut prius in diluuium, ita in extremo iudicio peccatores damnabuntur. Nemo autem arbitretur cum repente finis venerit sicut in diebus Noè, remanere confessionis locum, pro qua propinquetur ad Deum. Modò non videtur dominus, & prope est. Tunc autem videbitur, & iam prope non erit. Multi fluctus diluuiorum corda commouebunt prauorum, quos illi sensuri non sunt, qui modò ad portum diuinæ misericordiæ refugiunt. Quod fecit iste pœnitens, qui ait: *Tu es refugium*

Ioan. 3.
Tit. 3.

1. Ioan. 1.

Gal. 5.

Psalm. 18.

Roma. 8.

Luc. 18.

1. Ioan. 1.
Iacob. 5.

Gene. 4.

Luc. 18.

Isa. 66.

Ecclesi. 4.
Ioan. 11.

2. Cor. 6.

Tit. 2.

Gene. 7.
Matt. 24.Philip. 4.
Apoc. 1.
Zach. 1. 3.

fugium meum, à tribulatione qua circumdedit me. Multa est tribulatio, quæ nos vndique circumdat, Teste Apostolo qui ait, Foris pugna, intus timores. Et in alio psalmo dicitur, Multa tribulationes iustorum. Denique tota vita ista mortalis seruis Dei tribulatio est. Sed ab hac tribulatione qua circumdatur in hoc mundo, non inuenit homo tam tutum refugium, quam ipsum Deum. Refugiant alij ad vires suas, ad munitiones suas, ad defensiones peccatorum suorum. Mihi non est refugium, nisi tu, qui es etiam *Exultatio mea.* Quia de te gaudeo. Et ideo *Erue me à circumdantibus me:* Inimicis & vitiis. Audio vocem gaudij, Exultatio mea. Audio gemitum, redime me. Gaudes & gemis? ita, inquit. Gaudeo in spe, gemo adhuc in re. Spe enim salui facti sumus: ecce vnde gaudium. Spes autem quæ videtur, non est spes. Si autem quod non videmus, speramus: per patientiam expectamus. Ecce gemitus. Ideo ait, *Erue me.* Diapsalma. Responsio Dei. *Intellectum tibi dabo.* Vt cognoscas te semper, & semper gaudeas ad Deum in spe, donec ad illam patriam peruenias: vbi iam non spes, sed res erit. *Et instruam te:* Armis iustitiæ, scientia, bonis moribus & virtutibus, & *In via hac virtutum, qua gradieris, firmabo super te oculos meos.* Super nos in via nostra dominus oculos firmat, cum profectum nostrum per viam virtutum misericorditer attendit. Et nos in eodem itinere perseveranter custodit. Neque enim sufficeret intellectum dare, & bene viuendo informare: nisi & in his nos faceret permanere. Post hunc intellectum & protectionem suam conuertit se ad superbos defendentes peccata sua, & ostendit nobis quid sit intellectus. *Nelice fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Equus superbos significat & luxuriosos. Mulus autem, pigros & infœcundos. Tales sunt homines huius seculi: in elatione se erigunt, carnalibus voluptatibus deseruiunt: nullum animæ fructum faciunt. Et dum solis terrenis inhærent, bestialiter viuentes sicut equus & mulus, intellectum de cælestibus non habent. Qualiter tractandi sunt tales, sequitur: & dicit, *In chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Duris disciplinæ vinculis debent coerceri, crebris verberibus ora iactantia reprimi: quia prauè & indomitè viuunt, effrenatè loquuntur: Deum fugiunt, in mortem currunt. De talibus non est mirum, si adhibito freno flagella sequuntur. Vnde subditur. *Multa flagella peccatoris.* Indomitum animal esse cupiebat: domatur freno & flagello. Atque vtinam perdometur. Verendum est enim, ne nimium resistendo Deo dominatori, relinqui mereatur, & ire in vagam suam licentiam: vt dicatur de illo, *Prodiert quasi ex adipe iniquitas eius: sicut de illis, quibus modò sunt impunita peccata.* Ergo cum flagellatur, corrigatur, dometur: quia & ille sic se dixit edomitum. Equum & mulum se dixerat, quoniam tacuit. Sed vnde domitus est? flagellis conuersus in ærumnam dum configeretur spina. Siue flagella dicas, siue stimulos dicas, domat Deus iumentum cui infideat: quia iumento expedit, vt infideatur, & flagello dometur: quatinus Dei misericordiam cõsequatur. Vnde & subditur: *Sperante autè in domino misericordia circumdabit.* Quæ primo circumdat tribulatio, postea circumdat

2. Cor. 7.
Psal. 33.
Iob. 7.

Roma. 8.
Ibidem.

1. Corin. 13.

Psal. 72.

circundat misericordia: quoniam misericordiam dabit, qui propter peccata nostra iustè tribulari nos voluit. Ideo admonendo subiungit: *Lætamini in domino, & exultate iusti.* Lætamini corde: exultate in corpore, non in vobis, non in mundo: non mundi amatores, non peccatores: sed iusti. *Et gloriâmini omnes recti corde.* Non est magnum gloriari in gaudiis. Rectus corde gloriatur etiam in tribulatione. Vide rectum cor. Scientes, inquit, quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem. Spes autem non confundit. quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ergo si iusti, sumus, si rectum cor habemus, lætemur corde in domino: exultemus corpore: gloriemur in tribulatione.

Philip. 4.

Roma. 5.

T I T V L V S P S A L M I X X X I I.

IN finem psalmus David. Psalmus iste conuenit David propheta. Cuius materia est laus Dei, siue beneficia ipsius, siue potentia. Admonet nos ad laudem Dei, proponendo causas, quare debeamus eum laudare. Et hæc est eius intentio. In secunda parte ostendit illos esse beatos, qui Deum laudauerunt. Sc autem incipit.

P S A L M V S X X X I I.

BXULTATE iusti in domino. Iniusti exultant in seculo. Finito seculo finitur iniustorum exultatio. Permanente domino, permanebit iustorum exultatio. Et benedico, vt exultent iusti in domino: quia, *Rectos decet laudatio.* Non est autem speciosa laus in ore peccatoris. Qui sunt recti? qui dirigunt cor secundum voluntatem Dei: & si eos perturbat humana fragilitas, diuina consolatur æquitas. Iusti sunt, qui per fidem & bonam operationem deseruiunt. Recti sunt, qui nec extolluntur in prosperis, nec franguntur in aduersis: & in his eidem domino gratias referunt. Iustitia ergo in fide & actione, rectitudo in voluntate. Qui tales sunt, ad laudandum Deum & in eo exultandum idonei sunt. Tales admonet psalmus, cum subiungit: *Confitemini domino in cythara, in psalterio decem chordarum psallite illi.* Cythara ex inferiore parte sonat, Psalterium ex superiore. Vitam ex ista terra, tanquam ex inferiore parte habemus: est autem terrena prosperitas, & terrena aduersitas: & in vtroque laudandus est Deus. Quæ est terrena prosperitas? Cum sani sumus secundum carnem: cum fructus largè proueniunt: cum abundant omnia, quibus viuimus: quisquis inde non laudat Deum, ingratus est. Aduersitates verò sunt in doloribus, in læguoribus, in pressuris, in amissione rerum, in tribulationibus. Ergo confitere domino in cythara, siue abundet tibi terrenum aliquid, siue desit: gratias age illi, qui dedit vel abstulit. Non est enim tibi ablatum ille, qui dedit, quanuis tibi ablatum fuerit quod dedit. Tange ergo chordas in corde: & dic tanquam in cythara inferiore, Dominus dedit, dominus abstulit. Sicut domino placuit ita factum est. Sit nomen domini benedictum. Iam verò cum attendis superiora dona Dei: quid tibi contulerit præceptorum, qua doctrina cælesti

Sapient. 3.

Eccle. 15.

Isa. 52.

Hebr. 11.

2. Cor. 3.

Iob. 1.

Iob. 1.

lesti te imbuerit, quid tibi desuper ex illius veritatis fonte præ cæteris dederit. conuertere, & ad psalterium psalle Deo in psalterio decem chordarum. Præcepta enim legis decem sunt. In decem præceptis legis habes psalterium. Perfecta res est: habes ibi dilectionem Dei in tribus, & dilectionem proximi in septem. Et utique nosti domino dicente, quia in his duobus præceptis tota lex pendet, & prophetæ. Dicit tibi Deus desuper, quia dominus Deus tuus Deus vnus est. Habes vnam chordam. Non accipias in vanum nomen domini Dei tui: habes alteram chordam. Obserua diem sabbati, non carnaliter, non Iudaicis delitiis, qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius esset eis vt tota die foderent, quàm tota die saltarent. Sed cogita requiem in Deo tuo omnia facientem. Abstine ab opere seruili. Omnis enim qui facit peccatum, seruus est: & vtinam hominis, & non peccati. Hæc tria pertinent ad dilectionem Dei. Cuius cogites vnitatem, veritatem, voluntatem. Est enim quædam voluntas in Deo, vbi verum sabbatum, vera requies. Vnde dicitur, Delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: quis enim sic delectat, quàm ille qui facit omnia quæ delectant? In his tribus charitas Dei, in aliis septem charitas est proximi. Ne facias alij quod pati non vis: honora patrem & matrem, quia vis te honorari à filiis tuis. Non mœcheris, quia nec mœchari post te vxorem tuam vis. Nō occidas, quia & occidi non vis. Non fureris quia furtum pati non vis. Non falsum testimonium dicas, quia odisti aduersus te falsum testimonium dicentem. Non concupiscas vxorem proximi tui, quia & tuam non vis ab alio concupisci. Non concupiscas rem proximi tui, quia si quis tua concupierit, displicet tibi. Conuerte & in te linguam, quando tibi displicet qui te nocet. Hæc omnia præcepta Dei sunt: sapientia donante data sunt: desuper sonant. Tange psalterium, imple legem quam Deus tuus non venit soluere, sed adimplere. Implebis enim amore, quod timore non poteras. Qui enim timendo non facit malè, mallet facere si liceret. Itaque & si facultas non datur, voluntas rea tenetur. Hæc cogitantes recti corde, confitemini domino in cythara, in psalterio decem chordarum psallite ei. *Cantate ei canticum nouum.* Exuite vetustatem. Non enim pertinet canticum nouum ad veteres homines. Non illud discunt nisi homines renouati per gratiam ex vetustate, & pertinentes iam ad testamentum nouum, quod est regnum cælorum. Ei suspirat omnis amor noster. *2. Cor. 5.* Nouus homo, noua gratia, noua vita nobis commendatur. De his agere, in his dominum laudare, in nouitate spiritus canticum nouum cantare est. *Bene psallite ei in vociferatione.* Bene psallit, qui bene viuit. Sed hæc ipsa bona vita nostra quandam in auribus Dei debet habere spiritualem vociferationem, vt quicquid bene viuendo agimus, toto affectu, tota fide, tota deuotione ad laudem Dei (in quantum possumus) faciamus. Et inde causam subiungit, cum ait: *Quia rectum est verbum domini, & omnia opera eius in fide.* Dominicum verbum rectum est: quia recta docet, recta iubet, recta prædicat, recta promittit. Ad nullam falsitatem distortum est, ad nullam vanitatem, ad dexteram non declinat neque ad sinistram, recto itinere, regia via ad supernam patriam nos perducit. Nec in verbo tantum Deus est rectus, sed & in operibus suis

bus suis fidelis extitit, reddens homini quod promissit. Teneamus fidelissimum debitorem, quia tenemus misericordissimum promissorem. Omnia dona quibus gaudemus, ab illo sunt. Omnia opera eius in fide sunt. Omnia instruunt, omnia ad superiora nos mittunt. *Diligit misericordiam & iudicium.* Quod non ideo dicit, quin ipse diligit alia: sed quia ipse potius secundum hæc operatur. Secundum misericordiam, cum peccata remittit. Secundum iudicium, cum & bonis & malis secundum meritorum qualitatem retribuit. Misericordiae tempus modò est: iudicij tempus post erit. Vocat modò auersos, donat peccata conuersis: Patiens est super peccatores, donec conuertantur. Venturum est iudicium. Erit & tunc poenitentia, sed iam infructuosa. Dilige & tu misericordiam & iudicium. Scriptum est enim, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Qui misericordiam diligit, miseretur. Qui autem miseretur, misericordiam consequetur. Rursus de iudicio scriptum est, Nunquid qui non amat iudicium, sanari potest? Amat iudicium, quisquis vias suas subtiliter discutit, & secretarium cordis ingressus, quid dominus ipsi tribuat, quid ipse domino Deo debeat, pensat. Hinc idem psalmista alibi dicit. Honor regis iudicium diligit, vt videlicet qui iam Deum honorat ex fide, sollicitè iudicet quid ei debeat in operatione. Et Salomon ait, Cogitationes iustorum iudicia. Iustus enim quisque intra se & cogitando & formidando considerat, quàm districtè quandoque feriat, quandiu patienter expectat. Metuit in his quæ se egisse meminit. Punnit flendo, quod perpetrasse se intelligit. Odit se, qualem fuisse agnoscit. Et ipse qui est, persequitur eum qui fuit: fitque rixa in animo parturiens pacem cum Deo. Et hoc facit, vt quæ timet iudicem, inueniat misericordem. De quo & subditur: *Misericordia domini plena est terra.* Quid cæli non indigent misericordia, vbi nulla est miseria. In terra abundat hominis miseria, superabundat Dei misericordia. Nunquid ergo cæli, quia non indigent misericordia, non indigent domino? Omnia indigent domino, & miseria & felicitas. Sine illo miser non subleuatur, sine illo felix non erigitur. Ergo ne forte de cælis quæreres, subiungit: *Verbo domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Non à se solidamentum fuerunt, nec ipsi cæli firmitatem sibi propriam præstiterunt. Audi vnum opus Patris, Filij, & Spiritus sancti. Cum enim dominus pater per verbum filium cælos firmat, per spiritum roborat, manifestè ostenditur, quia vnum Pater & Filius & Spiritus operantur. Sed & hic alios cælos diuina virtute firmatos intelligimus, id est Apostolos, de quibus scriptum est, Cæli enarrant gloriam Dei. Istos omnipotens Deus de infirmis hominibus cælos fecit, verbo instruxit, spiritu confirmauit, per omnem terram misit: & suam misericordiam, id est, remissionem peccatorum prædicari præcepit. Qui intantum spiritu oris Dei repleti sunt, vt eis diceretur, Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Sæuiebat tunc mare, id est, seculum, ingentibus fluctibus persequentium, quod modò inter suos terminos manet inclusum. Vnde & subditur: *Congregans sicut in vtre aquas maris.* Salsa enim aqua maris, id est, populus infidelis & amarus, qui remansit inter Christia-

nos, iam non audeat scire. Occultum autem murmur rōdit ipse, intra mortalem pellem fremit conclusa salsugo. Hinc est quod alibi dicitur, Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & ardescet. Mortalis enim pellicon tegegit amarā cogitationem. Timentes enim pellicon suæ intus tenent quod non audent emittere. Nam eadem est amaritudo, sed qui tunc aperte scirebant, nunc occultè. Pensemus igitur modò non deesse Deo, vnde proferat quo nos emendet, cum opus est nobis. Ideo sequitur: *Ponens in thesauris abyssos.* Per thesauros, secretum Dei vult intelligi. Per abyssos, reprobos. Nouit ille omnium corda. Scit quod ad tempus proferat, vnde proferat, quantam potestatem tribuat malis in bonos, ad iudicandos quidem malos, erudiendos autem bonos. Fiat ergo quod sequitur: *Timeat dominum omnis terra.* Nescis vnde proferat quod opus est ad flagellandum te, pater tuus: qui quidem ad disciplinam tuam habet abyssos thesauros, quibus erudiet te ad thesauros cælorum. Ergo redi ad timorem, qui iam ibas ad securitatem. Et ne conuerteret se homo ad timendum aliquid aliud præter Deum, confirmat nos in timore Dei, cum subiungit. *Ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem.* Commoueantur omnes ab illo. Non timeant alterum præter illum. Furit, scruit, serpens insidiatur, odit homo, diabolus impugnat. Deum time. Tota enim creatura sub illo est, quem iuberis timere. Vnde & subdit: *Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt.* Omnia fecit, omnia sequuntur eius imperium. Ipse dixit, id est voluit, & facta sunt omnia ex informi materia. De informi autem materia, per mandatum eius species suas accepit omnis creatura. Ipse qui omnia fecit verbo, & creauit mandato: cum iubet, mouentur: cum iubet, quiescunt: & malitia hominum cupiditatem nocendi habere valet: propriam potestatem, si ille non dat, non habet. Non est enim potestas, nisi à Deo. Ideo adiungit: *Dominus dissipat consilia gentium.* Quæ Ecclesiam putabant destruere, & idola & deorum templa ædificare. *Reprobat autem cogitationes populorum.* Id est Iudæorum, qui propter legem in qua viuere debuerunt, populi non immerito appellati sunt. Cogitationes eorum fuerunt de gente retinenda, & loco. *Et reprobat consilia principum.* Id est dæmoniorum, & regum, & ducum, & pontificum: quorum quidem consilium fuit, vt Iesum interficerent. Sed in hoc est dissipatum, quia eum quem occiderunt, retinere in morte non valuerunt. Non enim est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra dominum. *Consilium autem domini in æternum manet.* Vnde, nisi de nobis, quos antè præsciuit & prædestinavit: Quis tollit prædestinationem filij Dei ante mundi constitutionem? Vidit nos, fecit nos, emundauit nos: misit ad nos, redemit nos. Hoc eius consilium manet in æternum. *Cogitationes cordis eius in generatione & generationem.* Id est, dispositiones eius, quæ ideo dicuntur cordis, quia rationabiliter ordinantur, in omnem generationem extenduntur. Vnde & subditur: *Beata gens cuius est dominus, Deus eius.* Quis hoc audito, non erigat se? Amant homines beatitudines, & ideo peruersi sunt homines, quia mali esse volunt, sed miseri nolunt. Et cum sit malitiæ comes indiuidua miseria, isti peruersi non solum mali esse volunt, & miseri nolunt: quod fieri

fieri non potest: sed ideo volunt esse mali, ne sint miseri. Furtum facit aliquis. Quæris quare? Propter famem, propter necessitatem. Ergo ne miser sit, malus est. Et ideo miserior, quia malus. Semper ergo beati esse volunt, siue male viuentes, siue bene viuentes. Non erunt autem, nisi illi, qui iusti fuerint. Quære igitur quid habeas, vt beatus sis. Fieri autem non potest, vt res deterior te faciat meliorem. Accipe itaque fidele consilium. Melior te vis esse: quære quid sit melius te: & inde efficieris melior te. In animo est quod quæris. Beatus enim esse vis in animo tuo: quære quid sit melius. Cum enim duo sint quædam, animus & corpus: & in istis duobus illud sit melius quod dicitur animus: potest corpus tuum melius fieri per meliorem, quia subiectum est corpus animo. Vt cum fuerit iustus animus tuus, sit etiam postea immortale corpus tuum. Per animi etiam illuminationem meretur corpus incorruptionem: vt fiat inferioris reparatio per meliorem. Si ergo corporis tui bonum animus tuus est, quia corpore tuo melior est: cum quæris bonum tuum, illud quære quod melius est animo tuo. Quid est autem animus tuus? Attende: in animo tuo est imago Dei. Mens hominis accepit eam, & inclinando se ad peccatum decolorauit eam. Ipse ad eam venit reformator, qui erat eius antea formator. Venit ipsum Verbum, vt audiuius ab Apostolo, Reformamini in nouitate sensus vestri. Iam ergo superest, vt quæras quid sit melius, quam animus tuus. Quid erit, obsecro, nisi Deus tuus? Non inuenis aliud melius animo tuo, quia cum fuerit perfecta natura tua, angelis æquabitur. Iam supra non est nisi creator. Erige te ad illum. Noli dicere, Multum est ad me. Forte magis multum est ad te habere aurum, quam dominum. Aurum si volueris, forsitan non habebis: Deum cum volueris, habebis. Quia & antequam velles, venit ad te: & cum aduersa voluntate esses, vocauit te: & vt conuersus esses, terruit te: & cum territus confitereris, consolatus est te. Iste qui tibi prestat omnia, iste qui fecit vt esses, qui his qui tecum sunt, etiam malis, præstat solem, pluuiam, fructus, salutem: seruat tibi aliquid, quod non det nisi tibi. Quid est autem quod tibi seruat, nisi se? Sonat cupiditas, dicit iniquitas: Beatus cuius est villa ista, cuius est ista domus, cuius est iste ager. Compece cupiditatem: audi veritatem. *Beata gens cuius est dominus, Deus eius.* Quid est hoc? Nonne omnium rerum dominus Deus, qui omnia fecit & regit? Omnium quidem, sed magis noster, qui viuimus de illo, tanquam de Deo patre nostro. Ipse sit dominus Deus noster: ipse regat nos, qui creauit: vt simus beata gens eius, beata possessio eius: & ad nos pertineat quod subditur: *beatus populus quem elegit in hereditatem sibi.* Commendat autem misericordiam suam, qua respexit gentem hanc beatam: cum subiungit, *De celo respexit dominus, vidit omnes filios hominum.* Prius dixit beatam esse gentem, cuius est dominus Deus possessio, & hæreditas eius. Et vt eandem gentem domini ostenderet esse similiter possessionem & hæreditatem, adiunxit, *Populus quem elegit in hereditatem sibi.* Et sic miro & delectabili modo vtrunque & possidet & possidetur ab altero, tanquam hæres & hæreditas, possessor &

possessio. Nunc dicit, quia idem dominus de cælo, tanquam de excelso loco, siue de alto diuinitatis suæ, siue de celsitudine misericordiæ suæ vidit in imo positos, & valde à se remotos omnes filios hominum. Vidit, inquam, & misericorditer attendit. Vidit, quia misertus est eorum. Vnde plerunque rogantes misericordiam, dicimus homini, Vide me. Est ergo quædam visio miserantis cordis, non visio punientis. Hoc modo dignatus est dominus videre omnes filios hominum pertinentes ad filium hominis. *De preparato habitaculo suo.* Quod sibi præparauit: id est, de Apostolis, de prædicatoribus veritatis, de angelis, quos ad nos misit. *Respexit super omnes qui habitant terram.* Tanquam peregrini in peregrino loco. Vnde alibi beata hæreditas gemit, & dicit: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitauit cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea. *Qui finxit singillatim corda eorum.* Quia alij datus est sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij genera linguarum: aliis alia & diuersa dona gratiarum, quæ vnus idemque in eis operatus est spiritus. *Qui intelligit omnia opera eorum.* Id est, secretius & interius videt. Expressius hoc dixit, quàm si diceret, Videt omnia opera eorum. Non enim solum modo videt Deus omnia opera quæ agimus, sed etiam intelligit, & subtiliter attendit, qua voluntate, qua intentione eadem faciamus. Dant duo pauperibus: vnus sibi mercedem quærit cælestem: alius humanam laudem. Tu in duobus vnâ rem vides, Deus duas intelligit. Et sicut intelligit, ita iudicat & discernit. Vnde & aliquando contingit, vt in vno eodemque opere alium damnet, alium remuneret. Et quia superius dixerat, Beatus populus quem elegit in hæreditatem sibi: ne videretur diuites & potentes, non pauperes elegisse, ideo subiungit: *Non saluatur rex per multâ virtutem, & gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ.* Terræ reges, superbi gigantes, & potentes in se suaque fortitudine confidentes non saluabuntur: Quis rege potentior? Quis gigante fortior? Cùm igitur isti sua potentia & fortitudine non saluentur, nemo nisi misericordiam Dei ad salutem quærat. *Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur.* Equus, id est humana felicitas, quæ subleuat hominem sicut equus suum fessorem, fallax est ad salutem: quam videtur quidem promittere, sed non potest donare. Cùm in quolibet honore superbus incedis, quo altiùs ingrederis, eo te non tantùm celsiorem, sed etiam tutiorem falsò credis. Quomodo enim te deiiciat, nescis? tanto elisum grauius, quanto sublimius ferebaris. Nec dico quòd parua quoque felicitas huius mundi solum modo fallax sit: sed etiam quantuncunq; possit esse magna, fallax existit. Et hoc est quod ait, In abundantia virtutis suæ, id est, in abundantia virtute bonorum & diuitiarum, non saluabitur aliquis hominum. Vnde ergo saluus ero? Noli diu quærere. Noli longè. *Ecce oculi domini super metuentes eum.* Ecce, id est, in manifesto habetur saluatio. Non ait, oculi domini super reges, super nobiles, super diuites: sed super metuentes eum. Non enim Deus personam hominis accipit: non diuitias vel honores attendit: sed tantummodo metuen

Luc. 10.
Matt. 13.
Hebr. 1.
1. Cor. 12.
Eph. 4.
Psal. 119.

1. Cor. 12.

Hebr. 4.

Math. 22.
Acto. 10.

metuentes se & sperantes in se misericorditer respicit. Et ideo adiungit, *Et in eis qui sperant super misericordia eius.* Subaudis, sunt oculi domini. Ad quid? *Ut eruat à morte aeterna animas eorum.* Vitam enim aeternam nobis promittit Deus, nec tamen in hac peregrinatione nos deserit. Nam sequitur: *Et alat eos in fame.* Tempus famis est modò. Tempus saturitatis post erit. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniã ipsi saturabuntur. Alit nos interim pius dominus in hac heremo sacramentis suis, verbo suo, gratia sua: ne deficiamus in via. Tunc autem erit plena refectio, quando implebitur quod alibi dicitur, Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Quid interim agere & profiteri debemus? Sequitur & dicit: *Anima nostra sustinet dominum.* Quandiu fames est, quandiu peregrinatio est, anima nostra patiens erit in domino. Talibus dicitur est dominus, Vos estis qui permanistis mecum in tentationibus. Quo contra scriptum est: *Væ illis qui perdiderunt sustententiam.* Et quomodo poteris sustinere dominum, o sancta anima? Sequitur, & dicit: *Quoniam adiutor & protector noster est.* Adiuuat in pugna, protegit ab æstu. Adiuuat in bonis, protegit in aduersis. Qua mercede toleras? *Quia in eo latabitur cor nostrum.* Et in nomine sancto eius sperauimus. Non enim in nobis, vbi magna sine illo inopia est, sed in ipso latabitur cor nostrum. Et ideo sic sperabimus venturos ad eum quia nobis absentibus per fidem misit nomen suum. Spera hinc, vt lateris ibi. Esuri & siti hinc, vt epuleris ibi. Proposuit nobis quid amemus, in quo, & de quo solo præsumamus. Impleuit nos gaudio spei. Post hæc fit oratio breuis & salubris. *Fiat misericordia tua domine super nos, quemadmodum sperauimus in te.* Iam enim in te spem nostram constituimus: iam nomen sanctum tuum, in quo speramus, veneramus, & super nos inuocamus. Sicut ergo sperauimus in te, sic supra nos tuam misericordiam sentiamus.

TITVLVS PSALMI XXXIII.

PSALMVS Dauid quando mutauit vultum suum coram Achimelech, & dimisit eum, & abiit. Hoc modo immutauit. Nam tympanizabat, affectabat, manibus suis seipsum ferebat, & salina per barbam eius decurrebant. Et hoc in porta ciuitatis Dauid faciebat: quia Allophilli quærebant eum perdere. Achis videns hæc, qui erat rex Geth, dixit, Ut quid induxistis mihi arreptitium istum? Tympanizabat Dauid, id est, Christus in cruce moriebatur: affectabat, quando misericordi affectu se humiliabat: manibus suis se ferebat, cùm dicebat, Hoc est corpus meum. Et salina per barbam decurrebant, id est, verba sua, quando dicebat, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & cætera. Puerilia visa sunt eis qui sunt Achis (qui interpretatur, Quomodo est? vel, Quid est hoc?) barbatis vero, id est, viris virilia. Verus Dauid coram Achimelech, id est, coram patris sui regno, id est, in gente Iudaorum, mutauit vultum, id est, prioris sacrificij modum (hoc est secundum Aaron) & dimisit eum, & abiit ad gentes, vbi secundum ordinem Melchisedech sacerdotium instituit. Materia est immutatio sacerdotij secundum ordinem Melchisedech, quæ notatur vbi dicit, Magnificate dominum mecum. Commendatio, quando ait, Quoniam suavis est dominus. Admonet propheta in hoc psalmo vt quisque Deum timeat, quoniam non est inopia timencibus eum ad filialem affectando bonos quosque timorem, cùm dicit, Venite filij, audite me. Et hoc faciens, intendit eis generare charitatem, vbi dicit, Custodit dominus

Math. 5.

1. Corin. 10.
& 11.

Math. 4.

Mar. 8.

Psal. 16.

Luc. 22.

Eccles. 2.

Philip. 4.

Math. 5.

Roma. 15.

1. Reg. 21.

Math. 16.

Mar. 14.

Luc. 22.

1. Cor. 11.

Ioan. 6.

Hebr. 7.

omnia ossa eorum, unum ex his non contereatur: deterrendo ne delinquant, dicens mortem peccatorum esse pessimam.

P S A L M V S XXXIII.

BENEDICAM dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Dixit hoc Christus, dicat & Christianus: quia in corpore Christi est. Omni, inquit, tempore, id est, in prosperis & aduersis benedicam & laudabo dominum. Quando prospera succedunt, boni simul & mali Deum laudant & benedicunt. Si aduersa veniunt, murmurant quidem mali, sed benedicunt boni. Hinc est quod beatus Iob amissis rebus, orbatus filiis ait, Dominus dedit, dominus abstulit: sit nomen domini benedictum. Sed quia sunt nonnulli qui de bono suo volunt laudari, cauet hoc vitium, cum subiungit: *In domino laudabitur anima mea.* Non laudabitur in se, non in sapientia mundi, non in sublimitate verborum: sed in domino a quo & virtutem & potentiam sumpsit. Et quia sancti viri bona sua communicare aliis desiderant, protinus addit: *Audiant mansueti, & latentur.* Bene autem non ait iracundi, sed mansueti. Nam quando audiunt non mansueti, non lætatur, sed irascuntur. Et ipsi sunt qui dicunt, quia non nos asinos fecerimus, Iu menta mansueta vult habere dominus. Equus enim & mulus, de quibus paulo antè locuti sumus, erigunt aliquando ceruicem, & sua ferocitate a se excutiunt seforè. Domantur frenis, chamo, verberè: donec discant dominum suum portare. Tu autè antequam freno tundatur ora tua, esto mansuetus, & porta dominum. Noli in te laudari, sed laudetur ille qui sedet super te. Sed iam quid nos admonet, audiamus. *Magnificate dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.* Quisquis est in corpore Christi, ad hoc debet dare operam, ut cum dominum magnificat, alios secum ad magnificandum Deum trahat. Dominum magnificamus, quando eum magnè, mirabile & ineffabile prædicamus: nomen eius exaltare, est per omnes gentes quibuscumque possumus altè & æternè prædicare. Quid est autè in idipsum? In vnitatem, in concordiam: sicut fecerunt prædicatores primi, qui bus erat cor vnum & anima vna. Deinde dicit bona sua, unde sibi euenerunt, cum subdit: *Exquisiui dominum, & exaudivit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.* Extra omnia postpositis temporalibus, vel ex toto corde, ex totis viribus quæsiui Deum: & exaudivit me, ut inuenire eum. Sed exquirentes dominum multis modis in hoc seculo tribulantur. Omnes enim qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patiuntur. In hoc verò est consolatio, quod postmodum ex omnibus tribulationibus eruantur. Quando? Cum absorbebitur mors in victoriâ & mortale hoc induerit immortalitatem. Deinde amator iste, qui non solus vult amplecti quod amat, hortatur nos, & dicit: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestre non confundentur.* Ad Deum accedimus bonis studiis, & spiritualibus exercitiis, legendo, meditando, orando, amando. Illuminamur autè per intellectum per gratiam, per doctrinam, per vitam. Illuminati autè non confunduntur, id est, non erubescunt de peccatis: vel non erubescunt de opprobriis & contumeliis sibi illatis. Hinc Paulus non erubescit euangelium. Hinc Apostoli non confunduntur imò gloriantur, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliâ pati. Proponit autè nobis in exemplum, quandam pauperem, cum subiungit: *Iste pauper clamavit, & dominus exaudivit eum: & de omnibus tribulationibus saluauit eum.* Quis est iste?

est iste? Notabilis, amabilis, imitabilis, & fortasse ipse est Christus: qui cum omnium diues esset, in tantum factus est pro nobis pauper. Clamavit autè in forma serui, & dominus pater exaudivit eum. Iste pauper factus est obediens usque ad mortem crucis. Propter quod exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Ecce quomodo dominus exaudivit eum. De omnibus autè tribulationibus liberatur, quia Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Per hunc pauperem ostenditur tibi via, qua redeas ad patriam. Factus est pauper, ut tu non timeas, imò diligas paupertatem. Passus est, ut patiaris & tu. Clamavit, ut clames & tu. Liberatus est, ut liberari speres & tu. Magnam autè tibi præstitit securitatem, cum subdit: *Immittit angelus domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos.* Tu tantum time Deum, & esto securus. Quoniam iste pauper qui dictus est magni consilij angelus, immittit se in circuitu timentium eum, vndique custodiens, & defendens eos, ut in nulla parte irumpere valeat inimicus. Apertè autè de ipso sacramento vult dicere, quo ferebatur in manibus suis, cum subiungit: *Gustate & videte quoniam suavis est dominus.* Ostendit tibi illam sanam insaniam, & sobriam ebrietatem illius David: qui in figura nescio quid ostendebat, quando illi miseri coram rege Achis dixerunt, Quomodo est? Sic dicebat dominus, Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam. Et illi in quibus regnabat Achis, id est, error & ignorantia, dixerunt: Quomodo iste potest dare nobis carnem suam manducare? Si ignoras, gusta: & vide quam suavis est dominus. Gustat qui amat, videt, qui intelligit. Si autem non intelligit, rex est Achis: immutauit suam faciem David & recessit a te, & dimisit te, & abiit. Et ideo, *Beatus vir qui sperat in eo.* Non in homine, non in mundo, non in seipso: sed in Deo. Quo contra, qui non sperat in Deo, miser est. Et ne postquam gustarent, securi essent, protinus addit: *Timeat dominum omnes sancti eius.* Deum timere, est coram eo se humiliate, & metuendo cauere, ne in his que agimus, siue in cogitatione, siue in verbo, siue in opere illum offendamus. Qui hoc faciunt, sancti sunt. Et quasi quis quæreret, Quid prodest timere dominum? sequitur: *Quonia non est inopia timentibus eum.* Et hoc probat cum subiungit: *Diuites egerunt & esurierunt: inquireres autè dominum non minuetur omni bono.* Videretur tibi magis ut illi esurirent, qui contempto seculo & pauperes facti dominum exquirent: illi autè non minuerentur bonis, qui terrenis abundant diuitiis. Sed noli attendere homines secundum facultates rerum, sed secundum virtutes animorum. Isti quidem mundi amatores, qui foris apparent diuites, non paruam intus mentis patiuntur inopiam. Qui autè intra se Deum quærunt, & extra Deum nihil concupiscunt, non minuuntur omni bono, imò replentur summo bono, quod est Deus. Replentur fide, spe & charitate. Replentur sanctis moribus & virtutibus, quæ sunt veræ diuitiæ, quæ animi expellant egestatem. Et ideo nos admonet, dicens: *Venite filij, audite me, timorem domini docebo vos.* Multum nos edificat quod ait, Venite, ac si diceret, Vos qui vacatis otio, siue qui terrenis vanitatibus incubitis, qui laboratis & onerati estis: relinquitte ea que vos impediunt, & venite ad me. Audite autè auribus cordis. Obedite ut filij, paterno affectu docebo vos timorem domini. Et conuenienter ait, Timorè. Ipse enim primus gradus spiritualis doctrinæ & cælestis sapientiæ, sicut scriptum est, In-

Psal. 110.
Prouer. 1.

tiū sapientiæ timor domini. Quisquis accedit ad Dei seruitiū, hoc debet esse primū illius studium, vt discat qualiter debeat timere Deum. Sed prius attēdēdū est, quāta vir sanctus vtitur hīc arte magisterij. Prius enim studet auditorū beniuolentiā captare. Et proponit eis quod magis eos delectat audire, dicēs: *Quis est homo qui vult vitā?* Nec dico de vita posita in miseria: sed quis est ille qui diligit dies videre bonos? Ideo hoc qđ omnes cupiunt, præcedit, vt sic accēdat eos ad ea faciēda quæ præcipit. Si vis vitā, velis eternā. Si diligis dies bonos, dilige æternos. Hęc est vera vita, viuere in Deo. Sēper dies mali in seculo. Sēper dies boni in Deo. Ergo si vis vitā & dies bonos, audi & fac. *Prohibe linguā tuā à malo.* Ne in aperto loquaris malū. *Et labia tua ne loquātur doli.* Vt bona verba ore proferas, & malū in corde abscondas: sicut illi faciunt, qui loquūtur pacē cum proximo suo, mala autē in cordibus eorū. Prius linguā, quā cætera mēbra iubet à peccato reprimere: quia hoc est magis indomabile mēbrum in toto corpore, de qua scriptū est, In manibus linguæ vita & mors. De qua etiā Apostolus ait, Lingua inquietū malū, plena veneno mortifero. Quia ergo occidit animā, si non refrenatur: quia in lingua frequētius labimur: meritō vir sanctus linguā primū cohibere præcipit, quā magis in corpore præualere ad peccandū vidit. Deinde vniuersaliter subiūgit. *Declina à malo* Et quia hoc non sufficit, protinus addit, *Et fac bonum*: Rursus quia ad perfectā iustitiā hęc duo non possent sufficere, continuō adiūxit: *Inquire pacem & persequere eam.* Malū relinquere, inchoātium est. Bonū facere, proficientiū. In his duobus præceptis cōsistit iustitia. Finis autē perfectæ iustitiæ est, ita intra se esse pacificū, vt caro cōcordet cum animo, & animus cū Deo, vt iam nulla possit aduersitate moueri ab hac quiete. Vel pacis nomine possumus accipere dominū Christū, qui est pax vera, qui fecit vtraq; vnū. Hūc debemus toto corde, toto affectu inter nos quærere: quē profecto persequimur, si eum perfectē viuendo imitamur. Cōmendat autē Dei misericordiā super nos, cū subiūgit: *Oculi domini super iustos.* Id est, intuitus diuinæ misericordiæ sunt super eos, qui iuste viuunt. Et si ipsi petūt aliquid: *Aures eius*: Id est clemētia & potētia, sunt paratæ in preces eorum, exaudiēdas: Videt operantes & laborantes. Audit gemētes, & orantes. Sic ergo viue, vt oculis Dei valeas dignus apparere. Sic ora, vt preces tuæ vsq; ad aures eius pertingāt. Sed fortē dicet aliquis malus, Securus pecco, quia me nō videt Deus. Audi quod sequitur. *Vultus autē domini super faciētes mala.* ad quid: *Ut perdat de terra memoriā eorū.* Per vultū accipe terrorem feueritatis Dei. Bonis quidē blādus est & propitius: malis verō terribilis & districtus. Et sicut in memoria æterna erūt iusti, ita de memoria æterna tollētur mali. Tunc erit perdita memoria eorū, cū nullus sanctorū super eos aliqua pia affectione mouebitur. Vnde dixit Abrahā, inter nos & vos chaos magnū firmatū est. Probat autē qđ aures domini sunt in preces iustorū, cū subiūgit, *Clamauerūt iusti, & dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorū liberauit eos.* Clamauerūt tres pueri in fornace. Clamauit Daniel in lacu. Clamauerunt filij Israel in captiuitate. Clamauit Christus in cruce. Clamauerunt Apostoli in persecutione: martyres in morte, confessores & virgines in fide. Quoquōt clamauerunt, exauditi sunt à domino, vel corporaliter, vel spiritualiter: & ex omnibus tribulationibus li

Psal. 27.

Prouer. 18.

Iaco. 3.

Iaco. 1.

Ephes. 2.

Psal. 111.

Luc. 16.

Daniel. 3.

Daniel. 14.

Exod. 3.

Heb. 5.

berati. Cōfirmati ergo tot sanctorū exēplis, clamemus ad dominū tota humilitate & afflictione cordis: vt pariter exaudiamur, & à tribulatione liberemur. Sequitur enim, *Iuxta est dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritus saluabit.* Quatuor modis tribulantur corda sanctorum in hoc seculo: scilicet aut dolore pœnitētiæ, aut anxietate præsentis vitæ, aut desiderio cælestis patriæ, aut timore futuræ pœnæ. Nostrū est ergo cor cōterere. Domini est, per suam misericordiam & gratiā cordi cōrrito propinquare, vt illud illuminet, corroboret & cōfirmet. Vnde cor cōteritur, inde humilitas generatur. Ex opere enim procedit virtus. Ex contritione cordis diuinā sentimus præsentiam. Ex humilitate spiritus iam ipsam cōsequimur saluationē. Vbi opus, ibi gratia: vbi virtus, ibi iam sanitas est. Magnum mysteriū. Deus super omnia est. Erigit te, & nō illū tāgis: humilias te, & ipse ad te descendit. Propriū autē iustorum est, vt in hoc seculo tribulentur. Vnde & subditur: *Multa tribulationes iustorū.* Sed in his sequitur consolatio, cū protinus addit: *Et de omnibus his liberabit eos dominus.* Nō ideo sint Christiani iusti: non ideo audiāt verbū Dei, vt se existiment tribulationibus non affligi. Non hoc promittit Deus. Magis si iniusti sunt, pauciores habēt tribulationes: si iusti, multas. Sed post paucas aut nullas tribulationes, illi veniūt ad tribulationē sempiternā, vnde nunquā eruantur. Isti autē post multas tribulationes veniēt ad pacem sempiternam, vbi nūquā aliquid mali patiātur. Sed interim *Custodit dominus omnia ossa eorum: vnū ex his non conteretur.* Ossa sunt firmamenta fidelium. Et sicut ossibus caro, sic virtutibus anima sustentatur. Custodit ergo dominus omnia ossa eorum, ita vt vnū ex his nō cōteratur: quia sic sanctorū suorum virtutes seruat, vt nulla earū in tentatione deficiat. Et bene non ait, Vnum ex his nō frāgetur, sed ait non cōteretur: quia sanctorū virtus aliquādo quidem frangitur in tentatione, sed non conteritur, id est, ex toto non deperit: quia integra manet in intētionē. Et vnde tētati ad momentū cadūt, inde excitati ad virtutem robustius resurgūt. Quid autē de reprobis subiūgat, audiamus. *Mors peccatorum pessima.* Sed quia multa sunt genera peccatorum, & non esse peccatorē difficile, aut fortē impossibile est in hac vita: subiecit statim, cuius generis peccatorum esset mors pessima. *Et qui oderūt iustū delinquent.* Quē iustum, nisi eum qui iustificat impium? Quē iustum, nisi dominum nostrū Iesum Christū, qui est etiā propitiatio pro peccatis nostris? Qui ergo hunc oderūt, mortem habēt pessimā: quia in peccatis suis moriūtur, qui per eum Deo non reconciliantur. Secundum animam intelligenda est mors aut pessima, aut optima, nō secundū corpus dānatis peccatoribus. Iterū de iustis ait: *Redimet dominus animas seruatorū suorū.* Omnes enim serui erāt peccati. Fusus est sanguis Christi, & tāto pretio sunt redēpti. Attēde ergo quis te redemit, & à quo vel quali pretio te redimēdo saluauit. Ipse deus creator tuus redemit te, ipse sanguinē suū fudit pro te. Ab ipso diabolo & à peccato saluauit te. Seruus itaq; factus tanti domini, stude vt seruias illi in sanctitate & iustitia. Sed magna quæstio oritur, cū subinfertur, *Et non delinquent omnes qui sperant in eo.* Quid enim ait Apostolus? Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Et iterum, In multis offendimus omnes. Sed hanc quæstionem soluit nobis Paulus, vbi ait: Si autē quod nolo hoc ago, iam non ego operor illud

bus liberati. Cōfirmati ergo tot sanctorū exēplis, clamemus ad dominū tota humilitate & afflictione cordis: vt pariter exaudiamur, & à tribulatione liberemur. Sequitur enim, *Iuxta est dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritus saluabit.* Quatuor modis tribulantur corda sanctorum in hoc seculo: scilicet aut dolore pœnitētiæ, aut anxietate præsentis vitæ, aut desiderio cælestis patriæ, aut timore futuræ pœnæ. Nostrū est ergo cor cōterere. Domini est, per suam misericordiam & gratiā cordi cōrrito propinquare, vt illud illuminet, corroboret & cōfirmet. Vnde cor cōteritur, inde humilitas generatur. Ex opere enim procedit virtus. Ex contritione cordis diuinā sentimus præsentiam. Ex humilitate spiritus iam ipsam cōsequimur saluationē. Vbi opus, ibi gratia: vbi virtus, ibi iam sanitas est. Magnum mysteriū. Deus super omnia est. Erigit te, & nō illū tāgis: humilias te, & ipse ad te descendit. Propriū autē iustorum est, vt in hoc seculo tribulentur. Vnde & subditur: *Multa tribulationes iustorū.* Sed in his sequitur consolatio, cū protinus addit: *Et de omnibus his liberabit eos dominus.* Nō ideo sint Christiani iusti: non ideo audiāt verbū Dei, vt se existiment tribulationibus non affligi. Non hoc promittit Deus. Magis si iniusti sunt, pauciores habēt tribulationes: si iusti, multas. Sed post paucas aut nullas tribulationes, illi veniūt ad tribulationē sempiternā, vnde nunquā eruantur. Isti autē post multas tribulationes veniēt ad pacem sempiternam, vbi nūquā aliquid mali patiātur. Sed interim *Custodit dominus omnia ossa eorum: vnū ex his non conteretur.* Ossa sunt firmamenta fidelium. Et sicut ossibus caro, sic virtutibus anima sustentatur. Custodit ergo dominus omnia ossa eorum, ita vt vnū ex his nō cōteratur: quia sic sanctorū suorum virtutes seruat, vt nulla earū in tentatione deficiat. Et bene non ait, Vnum ex his nō frāgetur, sed ait non cōteretur: quia sanctorū virtus aliquādo quidem frangitur in tentatione, sed non conteritur, id est, ex toto non deperit: quia integra manet in intētionē. Et vnde tētati ad momentū cadūt, inde excitati ad virtutem robustius resurgūt. Quid autē de reprobis subiūgat, audiamus. *Mors peccatorum pessima.* Sed quia multa sunt genera peccatorum, & non esse peccatorē difficile, aut fortē impossibile est in hac vita: subiecit statim, cuius generis peccatorum esset mors pessima. *Et qui oderūt iustū delinquent.* Quē iustum, nisi eum qui iustificat impium? Quē iustum, nisi dominum nostrū Iesum Christū, qui est etiā propitiatio pro peccatis nostris? Qui ergo hunc oderūt, mortem habēt pessimā: quia in peccatis suis moriūtur, qui per eum Deo non reconciliantur. Secundum animam intelligenda est mors aut pessima, aut optima, nō secundū corpus dānatis peccatoribus. Iterū de iustis ait: *Redimet dominus animas seruatorū suorū.* Omnes enim serui erāt peccati. Fusus est sanguis Christi, & tāto pretio sunt redēpti. Attēde ergo quis te redemit, & à quo vel quali pretio te redimēdo saluauit. Ipse deus creator tuus redemit te, ipse sanguinē suū fudit pro te. Ab ipso diabolo & à peccato saluauit te. Seruus itaq; factus tanti domini, stude vt seruias illi in sanctitate & iustitia. Sed magna quæstio oritur, cū subinfertur, *Et non delinquent omnes qui sperant in eo.* Quid enim ait Apostolus? Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Et iterum, In multis offendimus omnes. Sed hanc quæstionem soluit nobis Paulus, vbi ait: Si autē quod nolo hoc ago, iam non ego operor illud

Rom. 4.

1. Ioan. 2.

Ioan. 8.

Ioan. 8.

Rom. 6.

Apoc. 1. 5.

1. Pet. 1.

Luc. 2. 22.

Et 23.

Ioan. 12.

Luc. 1.

1. Ioan. 1.

Rom. 7.

Galat. 5. 1. Ioan. 2. Rom. 7. illud: sed quod habitat in me peccatū. Si ergo illi, qui sperāt in Deo, per cōcupiscētiā carnis delinquūt: iā ipsi nō operātur illud, sed quod habitat in eis peccatū. In eo enim q̄ sperāt in Deo, iā nō sunt in carne, sed in spiritu. Quod si caro cōcupiscit, ipsi qui in spiritu sunt, nō cōfentiūr: & ideo nō delinquūt.

TITVLVS PSALMI XXXIIII.

TITVLVS psalmi sequētis est, Psalmus huic David. Psalmus iste attribuitur David, id est Christo, qui hic loquitur. Quod dicit, Huic, ad differentiā vel excellentiā potest accipi: huic, id est, notabili scilicet, non carnali regi, sed regi regum domino. David interpretatur manu fortis, vel desiderabilis. In hoc enim manu fortis, quia mortem nostram vicit. In hoc desiderabilis, quia vitam aternā promisit. Quid enim fortius manu hac, quae tetigit loculū, & mortuus resurrexit? Quid fortius manu hac, quae mundū vicit, non ferro armata, sed ligno transfixa? Quid autē desiderabilius eo, quē nō vidētes martyres, mori voluerūt, ut ad illū peruenire mererētur? Ergo psalmus iste. Illi cor nostrū, illi lingua nostra digna cāter. Intēdit nos admonere ad tolerantiā passionis, ut sustineamus aduersa, si volumus habere prēmia gloriosa. Materia est passio & resurrectio. Eā sic exequitur: primā partē ponit orationē in secunda enumerat passiōe cum exultatione resurrectionis in tertia parte quid illa passio & resurrectio efficiat: ita dicens:

Apo. 1. 19. 1. Corint. 15. Ioan. 10. Luc. 7. Acto. 5. & 10. Hebr. 11.

PSALMVS XXXIIII.

IUDICA Domine nocentes me: expugna impugnantes me. Nocentes & expugnantes sunt nostri visibiles & inuisibiles inimici. Iudica, inquit, & expugna. Ac si apertē dicat, discerne & destrue. Quomodo? Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi. Magnum spectaculum est, videre Deum armatum pro te. Arma autem eius, quibus percutiat inimicos, si bene profecerimus, nos erimus. Sicut enim nos, ut armemur ab illo habemus: sic ipse armatur de nobis. Scutum est bona voluntas eius: sicut alibi dicitur, Domine ut scuto bonae voluntatis tuę coronasti nos. Vel scutum est fides nostra, qua protegemur ne igneis inimici iaculis feriamur. Sed quid sumus nos iam arma Dei, quanuis splendida, quanuis acuta, quanuis luce sapiētię choruscantia, quid possumus nisi nos apprehēdat Deus, & pugnet de nobis? Quaelibet optima arma iacent, si bel-latorē nō habēt. Apprehēdat ergo nos Deus: & cū in manu eius fuerimus, vtatur nobis quomodo vult. Exurge, inquit, in adiutoriū mihi, id est innotesce, appare, sentire, adiua ad pugnandū. Effunde frameā, & cōclude aduersus eos qui persequūtur me. Ac si diceret, Multiplica vindictā & cōcludatur aditus illis, qui volunt delere nomen meū. Vel per frameā quālibet fidelē designat animā. Abundēt iusti, & effunditur framea. Cōclusum est autē aduersus eum, qui non habet aduersus sanctos quid dicat prauū. Et quia vox illorū est, nō est salus ipsi in Deo eius. Dic anima mea, Salus tua ego sum. Dic, & factum erit. Aliam salutē non requirā, prāter Deum meū. Et si homo subuenit mihi, si angelus, si alia creatura: per illā mihi subuenit Deus. Omnia enim illi subiecta sunt: & ideo nō illa, sed ille est mea salus. Deinde incipit orare pro inimicis: sed hīc prophetia est. Et quę figura optādī dicūtur, animo prophetādī explicātur. Illud fiat, & illud fiat, nihil est aliud, quā hoc & futurū est. Sic ergo audite

Colof. 1. Psal. 5. Psal. 3.

audite prophetiam. Confundantur & reuerentur querentes animam meam. Ac si diceret, Confundentur & reuerentur: factum est enim. Multi salubriter confusi sunt, multi reueriti à persecutione Christi, & ad societatem membrorum eius deuota pietate transierunt: & non fieret hoc, nisi confunderētur & reuererentur. Auertantur retrorsum & confundantur cogitantes mihi mala. Non præcedant, sed sequantur. Non dent consilium, sed accipiant. Nam Petrus præcedere voluit dominū, cū ait, Absit à te domine, propitius tibi esto, non fiat istud. Sed quid ait dominus? Redi retrò sathana. Præcedēdo sathanas es, & sequendo discipulus eris. Hoc ergo & istis. Auertantur retrorsum & confundantur de peccatis: erubescant ad pœnitentiā: & cū ceperint retrorsum sequi, iam non cogitabunt mihi mala, sed desiderabunt bona. Hæc bene illis optauit. Sed quia sunt duo genera eorum qui confunduntur: aut enim ad hoc confunduntur, vt conuertantur ad Christum: aut confunduntur, ad hoc, vt damnentur à Christo: quod de conuersis dixit, de reprobis subiūgit. Fiat tanquam puluis ante faciem venti, & angelus domini coarctans eos. Ventus tentatio est, puluis iniuus. Quando venerit tēratio, tollitur puluis, nec stat, nec resistit. Tales coarctat angelus, quando eos sub potestate sua inuisibilis redigit inimicus: De quibus adhuc subdit: Fiat via illorum tenebrae & lubricum: & angelus domini persequens eos. Tenebrosū solum quis non horreat, Lubricum solum quis non caueat? In tenebris & lubrico vbi pedem figis? Sunt ista duo mala magnæ pœnæ humani generis, qui procedunt de tentatione angeli coarctātis. Per viā designatur actio. Per tenebras cæcitas cordis. Per lubricum præcipitatio operis. Quando reprobi tentati & confusi ab angelo malo coarctantur: primum est vt mentis cæcitate tenebrentur. Deinde in lubricum malorum dilabuntur. Nec iam possunt cōverti, quia tentator angelus eos persequitur, vt impingat de malo in peius, donec incidant in foueam iniquitatis, & mergantur in profundum desperationis & mortis. Vnde autem tanta mala? Quo merito? Sequitur & dicit: Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui. Id est, occultos dolos ad interitum meum parauerunt. Et hoc gratis, quia nihil mali feci, nec eis nocui. Superuacue exprobrauerunt animā meā. Multa enim opprobria aduersus dominū dixerūt. Sed hoc superuacue: quia falsū dicētes & nihil probātes. Sed quomodo absconderūt ei laqueū, qui videbat corda abscondentiū? Sed tantū erat inter illos ignorāti similis quasi falleretur, cū illi in eo deciperētur, in quo eū falli arbitrabatur. Hoc autē ad exēplū patientiæ nostræ factū est, quibus necesse erat, vt inter malos viueremus: & malos, siue sciētes, siue nesciētes toleraremus. Sed quid contigit huic populo reproborū? Sequitur & dicit: Veniat illi laqueus quē ignorat. Magnifica retributio. Nihil iustius. Illi laqueū absconderūt, & inde decipiūt nesciētes, vnde decipere voluerūt. Inde illis nocetur, vnde illi nocere conati sunt. Sequitur enim: Et captio quā abscondit, apprehēdat eū. Tanquā si quisquā veneni calicē prepararet alicui, & oblitus bibat. Et tanquā si foueā fodiat, vt inimicus eius in eā incidat: & ille oblitus quod foderat, ambulans ea via prior illuc cadat. Sic omnis qui nocet alteri, prius sibi nocet quā alteri: rectē ergo subiūgitur. Et in laqueo cadat in ipso. Non in alio, sed in ipso. Vnde enim alium

Hebr. 11. Math. 16. Math. 4. Math. 26. Luc. 22. Math. 13.

aliū decipere appetit, inde seipsum primū decipit. Et fieri potest, vt malitia sua non noceat alteri: fieri autem non potest vt non noceat sibi. Mihi autem quid? *Anima mea exultabit in domino.* Tanquam in eo, à quo audiuit, Salus tua ego sum: tanquam non quærens alias extrinsecus diuitias. Tanquam non quærens circumfluere voluptatibus bonisque terrenis: verūm gratis amans. Non ab illo volens accipere quod delectet, sed ipsum solum sibi proponēs, in quo delectetur. Quid enim melius Deo? *Et delectabitur super saluati suo.* Id est, filio suo, per quem saluati sumus: per quem accessum habemus ad Deum, vt exultantes in eo, corde credamus ad iustitiā, ore autē confiteamur ad salutē. Vnde & subditur: *Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi?* Ossa dicuntur in corpore domini, omnes iusti, firmi, corde fortes, nullis persecutionibus & tentationibus cedentes ad consentiendum malo. Et vnde possunt nullis tentationibus cedere, nisi quando credunt Deum omnipotentem, inæstimabilem, valentem eos liberare de omni tribulatione? Vnde & dicunt, Domine quis similis tibi? *Eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum & pauperem à diripientibus eum.* Fortior enim erat diabolus ad tenendum te, quia ipse te vicit & diripuit, cui consensisti. Sed quid fecit manu fortis? Alligauit fortem, effundendo frameam, & ad concludendum eum: & de manu, id est, de potestate eius eruit inopem, sine viribus, pauperem spiritu, egenum cui non erat adiutorium. Quis enim adiutor tibi, nisi ille cui dicis, Dominus adiutor meus & redemptor meus? Si de tuis viribus præsumere volueris, inde cades vnde præsumpseris: si de alterius, dominari vult, non subuenire. Ille ergo quærendus est, qui & redemit & liberos facit. Quid autem in persona sua subiungat, audiamus. *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.* Testes iniqui surrexerunt, quādo iniquo animo aduersus eum falsum testimonium dixerunt. Sed quid est quod ignorabat, qui iniquorum corda & dolos videbat? Ignorabat peccatum, non quasi non iudicando, sed non cōmittēdo. Sunt huiusmodi locutiones etiā quotidianæ. Cūm dicis de aliquo, Non nouit malefacere, quia nō malefacit. Quod alienū est ab opere, alienū est à cōsciētia. Quod alienū est a conscientia, alienū est à sciētia: & dicitur, Nesciuit, ignorabat Christus blasphemare, hinc interrogabatur à persecutoribus: de quibus sequitur. *Retribuēbant mihi mala pro bonis: sterilitatem anima mea.* Ego attuli fecunditatem, ipsi retribuēbant sterilitatem, Ego vitam, ipsi mortem. Ego honorem, ipsi contumelias. Ego medicinam, ipsi vulnera. Et in his omnibus quæ retribuēbāt, utique sterilitas erat. *Ego autem cūm mihi molesti essent, induebar cilicio.* Non inuenimus iuxta literam Dominum Iesum portasse cilicium. Intelligendum est ergo dominum per similitudinem appellasse cilicium, carnis suæ mortalitatem. Quare cilicium? Propter similitudinem carnis peccati. Apostolus enim dicit, Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne: hoc est filium suum induit cilicio, vt de cilicio damnaret hædos: non quia peccatum erat in domino, sed similitudo carnis peccati: quia mors non est nisi de peccato, & utique caro illa erat mortalis. Cūm ergo ei molesti essent, induebatur cilicio, id est, abscondebatur in carne. Non se vindicabat, non se de

se demonstrabat. Hinc nos admonet Apostolus dicens, Non vosmetipsos defendentes, charissimi: sed date locum iræ. Ideo subiungit, *Humiliabam in ieiunio animam meam.* Nō legimus secundum literam, in passione dominum ieiunasse: sed spiritualiter esurit Christus bona opera nostra. Et quia in illis crucifigentibus nihil boni inueniebat, ideo ieiunabat. Retribuebant enim sterilitatem animæ eius. Nam quale ieiunium ipsius fuit, qui vix vnum latronem inuenit, quem in cruce gustaret? Et Apostoli eum fugerunt: Nullum autem maius aut melius negocium est in tribulatione, quā recedere ab eo strepitu, qui foris est: & in interiora secreta mentis ire, ibique orare dominum, ne in tentatione vincamur. Deinde vt etiam illi qui nos persequuntur, ad sanitatem iustitiæ conuertantur. Ideo subiunctum est: *Et oratio mea in sinu meo conuertetur.* Per sinum agnoscimus secretum. In secreto cordis debemus orare, vbi Deus videt, vbi Deus audit. Vnde in Euangelio dicitur, Tu autem cūm oraueris, intra in cubiculum tuum, & cetera. Et hoc bene admonemur. Sed in Christo domino aliquid amplius intelligere debemus. Ego intelligo, quia in sinu suo habebat patrem. Deus enim erat in Christo, mundum reconcilians sibi. In se ergo habebat, quem deprecarerur: quia ipse dixerat, Ego in patre, & pater in me est. Quanto autem affectu eos diligebat, pro quibus orabat: ostendit, cūm subiungit: *Quasi proximum, quasi fratrem nostrum, sic complacebam: quasi lugens & contristatus sic humiliabar.* Hæc dicunt quidam quia ponitur casus pro casu: ac si diceret, quasi de proximo & de fratre. Cōplacebat ergo Christus Deo patri de persecutoribus suis, quasi de fratribus & proximis suis: diligebat enim eos, tãquam proximos & fratres suos. Maiorem autem hac dilectionem nemo habet, quā vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Et quia ei nolebant acquiescere, humiliabatur tanquam lugens in corpore, & contristatus in anima. Exemplo ergo dominico admonemur, vt non solum quos toleramus, amemus: sed etiam praua eorum opera contristati desileamus. Ego sic pro eis humiliabar: illi autem quid? Sequitur & dicit: *Et aduersum me latati sunt.* De his quæ mihi aduersa & contraria fuerunt. *Et conuenerunt, in vnum consilium & eandem voluntatem, vt me dolo traderent & caperent. Congregata, Id est, multiplicata & coadunata sunt super me flagella, & ignorauit.* Nesciebam enim in me culpam, qua debuissim flagellari. *Dissipati sunt nec compuncti.* Secundum enim interiorem hominem sunt destructi, atque à charitatis vinculo diuisi. Vel dissipati sunt, quando terræmotus & signa viderunt. Non in hoc compuncti sunt, ad pœnitentiam. Inde magnam designateorum cordis duritiam & nequitiam. *Tentauerunt me.* Dixerunt enim, Si filius Dei est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. *Subsannauerunt me subsannatione.* Quia postquam dixit, Subsannauerunt, etiam, Subsannatione addidit. Apertè insinuat, quia illa subsannatio non ex verbi præcipitatione, sed ex studio, & ex animi deliberatione fuit. *Frenduerunt bestiali ferocitate, super me dentibus.* Id est, corrosionibus suis. Ex his ergo verbis nobis ostendit, quantam humilitatem, quantam charitatem, quantam patientiam, erga tam prauos, tam peruersos, tam perfidos, pius redemptor noster habuerit. Qua in re sciendum

nobis est, quia hæc causa fuit, qua pateretur caput nostrum: ut videlicet corpori suo patientiæ præberet exemplum. Dominus enim voluntate passus est, non necessitate. Voluntaria eius passio, nostra est necessaria consolatio: ut quando forte talia patimur, caput nostrum intueamur: atque eius exemplo commoniti, discamus & nos cum eo pati. Si enim compatimur, congloriabimur. Ipsi ita contra me fecerunt: sed tu Domine quando respicias? Quando misericorditer attendendo facies, ut de eorum me eruas potestate? Restitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus unicam meam. Ac si diceret, Animam meam, quæ vnica est, immunis à peccato. Nulla enim alia anima sine peccato. Hanc inquam animam ereptam à malignante populo, & à leonibus scilicet principibus & sacerdotibus liberatam, restitue à passione: ut facias eam redditam corpori, cum ipso corpore immortalem & incorruptibilem. Quid factura es ô sancta anima postquam resurrexeris? Confitebor tibi in ecclesia magna, in populo graui laudabo te. Fit quidem confessio in omni multitudine, sed in omnibus laudatur Deus. In ista enim magna Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, palea est, & frumentum. Palea volat, frumentum manet. Igitur in graui populo, quem ventus tentationis non aufert, in his Deus laudatur. Nam in palea semper blasphematur. Et quia laudabo te: Non supergaudeant mihi qui aduersantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis & annuunt oculis. Supergauderent quidem si Christus non resurgeret: sed quia resurrexit, gaudium eorum conuersum est in luctum. Bene autem ait, quia iniquè aduersabantur ei, scilicet non ex amore, sed ex odio: non studio corrigendi, sed voluntate nocendi. Gratis autem oderunt, id est sine culpa, sine merito. Annuentes oculis sunt hypocritæ simulati, qui vultu pronuntiant quod in corde non gestant. De quibus Moyses subditur: Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur. Dicebant enim, Magister bone, scimus quia verax es, & non respicis personam hominis. Hæc & his similia pacifica verba sunt sub adulationis figura. Et in iracundia terra loquentes, dolos cogitabant. Irati loquebantur, timentes ne terram perderent & gentem. Hæc autem hac causa iracundo animo pro terra sua loquebantur, ut Iesum dolo tenerent & occiderent. Talis erat eorum cogitatio. Et dilatauerunt super me os suum. Palam blasphemantes. Et clamabant, Crucifige crucifige. Dixerunt, Euge, euge. Id est, bene, bene. Insultatoria laus est. Viderunt oculi nostri. Vidimus qualis esset, & tandem eum cognouimus. Vbi sunt virtutes quas faciebat? Cur qui saluauit alios, seipsum non saluat? Dominus autem patiens erat. In cruce non potentiam perdidit, sed patientiam demonstrabat. Quid enim illi erat magnum de cruce descendere, qui potuit postea de sepulchro resurgere? Sed celsisse videretur insultantibus. Et hoc oportebat ut resurgens suis se ostenderet, & non illis: quia resurrectio ipsius vitam nouam significabat: vita autem noua amicis nota est, non inimicis. Vidisti Domine, Insultationes & opprobria illorum. Cognouisti eorum nequitiam, & meam innocentiam. Et ideo, Ne sileas. Sed profer sententiam. Qui non siles à præcepto, ne sileas à iudicio. Domine ne discedas à me. Quauis sit securus quod ab eo non disced

discedat Deus (vna enim persona in duabus naturis homo & verbum) tamen quia scit se nihil habere ex humanitate, orat ut det aliis exemplum orandi, qui nihil prorsus in humanitate sua debent confidere. Dico ne discedas, sed potius, Exurge, adiuuando me: & intende iudicio meo. Id est, considera quale sit iudicium de me factum. Et ne putaretur iudicium attendi debere secundum pœnam, ideo adiungit: Deus meus, & Dominus meus in causam meam. Ac si diceret, Tu qui es creator meus & redemptor meus, intende non in pœnam, sed in causam meam. Non in id quod mecum habet latro commune, sed in illud quod beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Hæc enim causa discreta est. Nam pœna similis est bonis & malis. Itaque martyrem non facit pœna, sed causa. Et ideo subdit: Iudica me secundum iustitiam meam Domine Deus meus. Quia iustus es, discerne me iniuste iudicatum: & fac quod iustum est, hoc est, secundum iustitiam iudicare, secundum causam, non secundum pœnam iudicij sententiam dare. Et non supergaudeant mihi. Non dicant in cordibus suis, Euge, euge anima nostra: nec dicant, Deus orauimus eum. Id est, omnino deleuimus. Quod quidem nec facere potuerunt, quando eum resurrexisse audierunt. Hæc quoque non dubius de se orat, sed ut nobis exemplum orandi proponat. De talibus etiam, ut conuertantur, postulat: cum subditur: Erubescant & reuerentur simul qui gratulantur malis meis. Ac si diceret, Pœniteant & honorent me, qui de mea gauisi sunt passione. Hinc est etiam quod nos admonet pius dominus in Euangelio suo dicens, Si diligitis eos qui vos diligunt tantum, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Sed diligite inimicos vestros. Benefacite his qui oderunt vos. Et orate pro persequentibus & calumniantibus vos: ut sitis filij patris vestri qui in cælis est. Vnde capitis nostri voce adhuc subditur, Induantur confusione & reuerentia qui maligna loquuntur super me. Id est, & illi similiter conuertantur, erubescant mala sua, & mihi reuerentiam exhibentes qui si non facto, vel verbo peccauerunt super me. Ideo dixit, Induantur, ut per pœnitentiam præterita mala tegerentur. Quo contra, Exultent & latentur qui volunt iustitiam meam. Ad corpus simul & animam pertinet exultatio: latitia tantum ad animum. Exultare itaque & latari, est exterius & interius gaudio repleti. Qui volunt declinare à malo, & facere bonum, hi sunt qui volunt iustitiam Dei. Et notandum quod non ait, Qui faciunt, sed, qui volunt. Multi enim faciunt opera iustitiæ, non ex voluntate. Nemo autem inuitus bene facit, etiam si bonum est quod facit. Nam si actio videtur bona, voluntas tamen tenetur rea. Iustitiæ verò virtus non in actione est, sed in voluntate. Bene ergo hi qui volunt iustitiam, iubentur exultare: quia amor iustitiæ & nouam vitam generat, & gaudium spirituale. Et ne inde velint in se gloriari, ideo mox adiunctum est: Et dicant semper, Magnificetur dominus. Semper enim oportet illum magnificare, & laudare, qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Rectè autem subdit: qui volunt pacem serui eius. Neque enim sufficit seruis

Psal. 33. Dei velle iustitiam, nisi studeant & velle pacem. Vnde cum superius dixisset, Declina à malo & fac bonum: protinus adiunxit, Inquire pacem & persequere eam. Pax est, quando caro & spiritus concordant in Deo. In hac pace completur iustitia. Et nihil iam restat aliud, nisi perseverantia. Vnde aptè mox subditur. *Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam.*

Psal. 1. Videtur magis ad cor pertinere meditatio, quam ad linguam. Sed quia sancti viri die ac nocte meditantur in lege domini, & quæ meditatur, loquuntur: ideo lingua eorum Dei iustitiam meditari dicitur. Hinc scriptum est, *Os sapientium in corde ipsorum.* Sed cuius lingua durat meditari tota die laudem Dei? Sed opera bona, vita bona linguam suam habent apud dominum. Si tota die bene vixeris, tota die laudabis Deum.

T I T V L V S P S A L M I X X X V.

Rom. 1. **I**N finem puero domini David. Finis noster est Christus, in quem nos mittit iste psalmus: qui attribuitur eidem domino Iesu Christo, qui dictus est David, quia factus est ex semine David secundum carnem. Puer autem à puritate dictus est, quia sine peccato fuit: quod in hoc psalmo liquido declaratur. In quo ostenditur peccatorem omnia peccata sua non à Deo sed à se habere. Iustum vero nihil habere iustitiae, nisi ex solius Dei largitate. Materiam est iustus, & secundario impius. In prima parte psalmi impius cum sua accusatione describitur. In secunda parte describit iustum non cum sua laude, sed cum laude Dei. Intendit autem nos admonere, ut vitia nostra ex nobis esse, bona autem à Deo cognoscamus: ne veniat nobis pes superbiae & cadamus. Sic ergo incipit.

1. Pet. 2.

Ozec 13.

P S A L M V S X X X V.

1. Ioan. 1. **D**I X I T iniustus ut delinquat in semetipso. Multi hoc dicunt: Non possumus esse sine peccato. Talis est nostra natura. Tales nos fecit Deus. Si ipse non vellet, non peccaremus. Quare hoc dicit iniustus: *Non est timor Dei ante oculos eius.* Si Deum timeret, non hoc diceret: imo accusaret seipsum, non Deum. Vbi non est timor, ibi est solutio animi. Timor autem Dei frænum est peccati. Quia ergo talis se vult abscondere Deo qualis est, rectè de illo subiunctum est. *Quoniam dolose agit in conspectu eius: ut inveniatur iniquitas eius ad odium.* Dolose agit in conspectu Dei, quisquis vult ei abscondere peccatum suum. Et hæc est iniquitas, quam Deus odit & vehementer punit. Quando homo peccat, & deinde pœnitet & recognoscit se malè egisse, nullum alium increpans, vel accusans, nisi semetipsum: & inde toto corde, toto gemitu conuertitur ad misericordiam Dei: talis iniquitas Deo ad odium non inuenitur. Imo facile ei remittitur: Qui autem non solum malè vivit, sed etiam malam vitam superbiendo defendit: hic est quem Deus odit. Secundum duritiam autem cordis sui & cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ & reuelationis iustitiae iudicij Dei: de quo & subditur: *Verba oris eius iniquitas & dolus.* Iniquitatem per partes exequitur, ostendens eam in cogitatione, in actu, in verbo

Prouer. 20.

Rom. 2.

verbo. Multi dolose agunt, ut inueniant iniquitatem suam: id est, non ex animo agunt, ut eam possint inuenire & odisse. Inuenirent, si vellet. Nolunt autem, ut sic se defendere & excusare valeant. Et sicut dolus est in inquisitione, sic etiam in defensione. Nam si cui eorum dicitis, Quare hoc malum facis? respondet tibi, Quam multi hoc faciunt. Nunquid omnes perditurus est Deus? Sic ergo iniquitatem loquens, & malè se tegens, inuenitur in ore eius iniquitas & dolus. *Noluit intelligere ut bene ageret.* Sunt homines qui volunt intelligere, & non possunt. Sed alij qui nolunt, & ideo non intelligunt. Sed aliud est, quando quisque conatur intelligere aliquid, & per infirmitatem carnis non potest, sicut scriptum est, *Quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem:* & sicut ait Apostolus, animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Aliud autè est quado perniciosius agit aduersum seipsum cor humanum, ut quod posset intelligere, si bona voluntas accederet, non intelligat: non quia difficile est, sed quia voluntas aduersa est. Et illud quidè infirmitas est: hoc autè summa iniquitas. Illud inualitudo, hoc deliberatio. Sed adhuc de illo iniusto quid subiungat, audiamus. *Iniquitatem medicatus est in cubili suo.* Id est, in secretario cordis sui. *Astitit omni via non bona.* Id est, perseveranter peccauit. *Malitiam autem non odiuit.* Ibi est fructus, ibi finis. Non potes non habere malitiam? vel oderis illam. Cum enim odisti illam, vix tibi subrepat ut aliquid mali facias. Est enim peccatum in mortali corpore. Sed quid dicit Apostolus? Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desideriis eius. Et paulo post idem Paulus: *Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ.* Aliud est non pugnare, & esse in pace vera atq; perpetua. Aliud pugnare, & vincere. Aliud pugnare, & vinci. Aliud nec pugnare, sed trahi. Sunt enim homines prorsus qui non pugnant, qualis est iste de quo loquitur. Cum enim dixit, *Malitiam autem non odio habuit,* quomodo pugnat contra eam quam non odit? Ille malitia trahitur, nec repugnat. Sunt autem qui pugnare incipiunt, sed quia de viribus suis præsumunt, cadunt. Et sunt qui pugnant, & non vincuntur, quia de seipsis non præsumunt: sed totos se diuinæ misericordiæ committunt. De his autem subiungit, conuertendo se ad familiarem domini locutionem, & dicendo: *Domine in celo misericordia tua.* Duobus modis accipitur misericordia Dei. Vna est quam communiter hinc præstat bonis & malis: sicut est facultas rerum, sanitas corporum, scientia, doctrina, prophetia, & alia huiusmodi. Sed quia hæc sunt transitoria, temporalis est misericordia. Est alia quam præstat Deus solis bonis & sanctis: sicut est remissio peccatorum, diuina charitas, æterna vita. Hæc quidem non terrena, sed cælestis: non transitoria sed æterna est. Sed quomodo hæc annūtiata est? sequitur & dicit, *Et veritas tua usq; ad nubes.* Id est, cognitio tuæ veritatis venit ad prædicatores. Prædicatores isti per quos prædicatur Euangeliū Dei, nubes Dei sunt. Tonant minis, pluunt verbis, choruscant miraculis. Speremus ergo misericordiam, sed illam quæ in cælo est. *Iustitia tua sicut montes Dei.* Sicut misericordia Dei facit homines cælos, cum à terrenis ad cæle-

*Sapient. 9.**1. Corint. 2.**Rom. 6.**Marc. 16.*

stia subleuat. Et sicut veritas Dei facit homines nubes, cū eos per sapientiam suam illustrat: sic diuina iustitia facit homines sicut montes Dei, quādo eos virtutibus & operibus bonis exultat & confirmat. Et quomodo quādo oritur sol, prius luce montes vestit, & inde lux ad humilima terrarū: sic quando venit dominus Iesus Christus, prius radiauit in altitudinem Apostolorum, prius illustrauit montes: & sic descendit lux eius ad conuallem terrarum. Et ne aliquis quæreretur quare potius hos elegit & hos reprobauit: ideo protinus addidit. *Iudicia tua abyssus multa.* Tantæ profunditatis sunt, quōd à nullo inuestigari possunt. Vel per abyssum potest intelligi malitia reproborum. Vnde scriptum est, Peccator cū venerit in profundum malorum, contemnit. Postquam ergo dixit de electis, continuo adiunxit de reprobis dicens, Iudicia tua abyssus multa. Ac si diceret: Sicut misericordia & veritas & iustitia saluat iustos, ita iudicia tua condemnant reprobos: qui ideo abyssus multa dicuntur, quia iniquitate multiplici tenebrantur. Et quia prius dixerat quōd diuina misericordia in cælo erat: modò ostendit quia etiam ad terram venit. Ait enim: *Homines & iumenta saluabis domine: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.* Intantum enim suam misericordiam pius dominus multiplicauit, quōd non solum homines rationales, sed etiam brutos & idiotas saluauit. Vbi enim abundauit peccatum, superabundauit gratia. *Filij autem hominum,* Id est, tota Ecclesia continuata vsque ad finem seculi, *In tegmine alarum tuarum sperabunt.* Id est, in protectione duorum præceptorum, charitatis Dei videlicet, & proximi. Sub istis alis quisquis non protegitur, vitiorum æstibus exuretur. Vel quia dicit prius homines, & postea filios hominum: possumus intelligere per homines, antiquos patres, qui legem quidem non habuerunt, sed ipsi sibi fuerunt lex: & præcepta dominica rationabiliter intellexerunt & fecerunt. Cū enim Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt: eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum. Ipsi quidem per misericordiam Dei saluati sunt, quemadmodum & nos, qui sumus filij hominum, scilicet prophetarum & Apostolorum: pertinentes ad filium hominis saluatore Christum: qui sumus nutriti sub lege, regenerati per gratiam in spem vitæ æternæ. Quæ quidē gratia nobis commendatur, cū subinfertur: *Inebriabuntur ab vbertate domus tue: & torrente voluptatis potabis eos.* Gratia Dei diffusa in cordibus nostris per spiritū sanctum, qui datus est nobis, ipsa est vbertas domus Dei. Hac vbertate inebriantur, qui tanto omnipotentis Dei amore repleti sunt, vt mēte mutata sibi metipsis extranei esse videantur. Hac meritò torrens voluptatis dicitur, quia cū magno impetu venit, & cū magna suauitate atq; delectatione à sitientibus iustitiā potatur. Hac inebriati erant martyres, quādo ad mortē lati ibāt, tormēta contemnebant, parentes flentes non agnoscebant. Speremus ergo sub tegmine alarum Dei, quatinus eius dulcedine mereamur inebriari. *Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.* Qui est fons vitæ, nisi Christus? Venit in carne, rorauit sitientem, satiauit sperantem. Hic aliud est

est fons, aliud lumen: ibi non ita. Quod enim fons, hoc est & lumen. Et quicquid vis, illud voca: quia non est quod vocas. Quia non potes congruum nomen inuenire, non remaneat in vno nomine. Fons est quia satiat sitientes. Lumen quia illuminat cæcos. In hoc lumine videmus lumen, quia illuminati à Christo videmus sapientiam, iustitiam, charitatem. Vel in hoc lumine videmus lumen, sicut ipse ait, Qui videt me, videt & patrē. Et vt hoc fiat, fac quod sequitur. *Prærende misericordiam tuam scientibus te, & iustitiam tuam his qui recto sunt corde.* Prius est scire Deum per fidem, deinde rectum habere cor: id est velle quod vult Deus. Scientibus se prærendit misericordiā suam Deus, quando credentibus in eum prius donat remissionem peccatorum. Deinde cū iam cor rectum habere cœperint, vt ea quæ Deus vult, & ipsi velint: sic iustitiam Dei consequuntur, vt de peccatoribus iusti efficiantur. Sed iam caueant, ne superbiant. Vnde orandum est, & dicendum: *Non veniat mihi pes superbiæ: & manus peccatoris non moueat me.* Radicem peccati & caput peccati timuit, qui hoc dixit. Non deerat primo Adæ iustitia, sed venit illi pes superbiæ. Et mouit illum manus peccatoris, id est tentatio diaboli. Superbia ergo lapsi sumus, vt ad istam mortalitatem perueniremus. Superbia deiicit: humilitas erigit. Serua ergo quod intus est, scilicet pedem tuum, affectum tuum: & non timebis foris ne te moueat manus peccatoris. Quare contra superbiam hoc dicitur? quia *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulsii sunt, nec potuerunt stare.* Qui modò iniqui sunt, prius in superbia ceciderunt. Prior ille, qui in veritate non stetit: deinde per eum illi, quos Deus de paradiso dimisit. Ideo cū cautam faceret Ecclesiam dominus: Illa tuū (inquit) obseruabit caput, & tu eius calcaneum. Serpēs obseruat, vt tibi veniat pes superbiæ, vt tuus affectus moueatur à Deo, & ita te deiiciat. Tu autem caput eius obserua, initium omnis peccati superbiam. Prima origo peccandi est voluntas deficiens à summo bono, & hæc est pes superbiæ. Inde procedunt duo vitia, scilicet ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia noxiarum. Deinde alia duo deriuantur: id est timor & amor. Ex his autem omnis malorum seges generatur. Summo opere igitur cauendum est, ne pes, id est affectus noster, moueatur à summo bono, ne labatur per superbiam: & sic incidat inter manus peccatoris, & à beatitudine excludatur. In quantum quisque minus amat Deum, in tantum labitur pes eius ad peccandum. Et in quantum plus amat Deum, intantum robustior stat, & tanto cum minus peccare delectat.

T I T V L V S P S A L M I X X X V I.

PSALMVS ipsi David. Id est excellentioribus membris Ecclesia. Videns propheta, vel quilibet iustus qui hic loquitur, impios prosperari, & iustos conculcari ab impiis, & quōd quidam simplices iusti inuiderent potentie eorum, & vellent vlcisci iniurias ab illis allatas: aliquando etiam vellent conformes fieri eis. Pone contra hæc quandam saluberrimam doctrinam. *Ecce via est iustus, & e contrario impius secundario. Tamen eam sic diuidit. In primis ait*

de iusto, admonendo eum, ne moueatur inuidia erga impium, vel imitatione, vel ira: intramiscendo quadam de impio. In secunda parte ponit quid faciat impius contra iustum, admonendo ipsum iustum, ut patienter sustineat. In tertia parte ponit premia iusticiam admiratione, & damnationem malorum: per quod iustum, ne malum velit imitari, deterret. Intentio est per hæc animas simplices consolari, ut nullatenus propter impiorum nequitiam vel iniuriam moueantur.

P S A L M V S XXXVI.

NOLI emulari (inquit) in malignantibus. Malignantes dicti sunt quasi si malum ignem alentes, id est concupiscentiam. Vnde scriptum est, Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Et iterum, Qui cumque voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituetur. Ipsi sunt malignantes, qui in seipsis operantur malum: Deum & animas suas odiendo, & diligendo peccatum. Emulari diuersos habet sensus. Aliquando enim ponitur pro diligere, sicut dicit Apostolus, Emulor enim vos Dei emulatione. Aliquando pro imitari, sicut rursus ait, Emulamini charitata meliora. Aliquando pro inuidere, sicut in hoc loco. Admonetur ergo quæque fidelis & imperfecta anima, ut non velit emulari, id est inuidere, his qui in malo delectantur: neque zelare, id est persequi, eos qui iniquitatem operantur. Et hoc est quod subdit: Neque zelaueris facientes iniquitatem. Duobus enim modis infirmus electorum animus commouetur aduersus reprobos: Aut cum inuidet de illorum felicitate: aut cum irascitur de iniquitate. Noli hoc, sed esto æquo animo. Nam breuis est eorum & felicitas & iniquitas. Quoniam tanquam fœnum velociter arescent. Ad tempus enim lætantur & florent, sed citò siccantur, & in puluerem rediguntur. Et quemadmodum olera, id est viriditas herbarum citò decident. Vnde Isaias, Omnis, inquit, caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni. Siccatum est fœnum, & cecidit flos. Prius euellit prauitatem: deinde commendat bonos mores, cum subiungit: Spera in domino, & fac bonitatem. Neque enim est utilis spes sine bono opere. Nec bonum opus est aliquid sine charitate. Vnde mox subditur. Et inhabita terram, & pascaris in diuitiis eius. Terra domini est Ecclesia. Ipsam colit, ipsam rigat, agricola pater multorum qui exercent bona opera: sed qui non habitant terram, nec pertinent ad agricolam. Terram autem habitare, est intra sanctam Ecclesiam spiritualiter & concorditer viuere. Quod facere non valet, nisi is qui charitatem habet. Ipsa est diuitiæ huius terræ. Deus est charitas. Non quærit Ecclesia diuitias alias, nisi Deum suum: vnde & cecinit, Pars mea tu es. Ergo delectare o anima in diuitiis tuis. Ad hoc enim quærunt homines diuitias, ut delectentur in eis: & ideo subditur. Delectare in domino. Quo fructu? Sequitur, & dicit: Et dabit tibi petitiones cordis tui. Alię sunt petitiones carnis, alię cordis. Illę sunt corporales, istę spirituales. Delectatio in Deo nõ petit quod caro vult, sed quod vult spiritus. Quid aliud petit cor delectantis in Deo, nisi ipsum Deum, ipsam lucem, ipsam sapientiã, ipsam æternitatem? Hęc promittit Deus delectantibus in se

in se. Inde scriptum est, Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, hæc præparauit Deus diligentibus se. Hęc est petitio cordis nostri. Hęc est merces delectantis in domino. Et quia posset aliquis dicere, Non possum delectari, vel sperare in domino: quia multa habeo peccata. Contra hoc, salubre dat consilium, cum subdit: Reuela domino viam tuam. Dic peccata tua. Accusa, & corrige teipsum. Et spera in eo, & ipse faciet. Spem enim promittit peccatoribus, & facit indulgentiam agentibus pœnitentiam. O quàm salubria mandata, non inuidere malis, non diligere iniquitatem, in domino sperare, in domino delectari, vias & opera nostra domino confiteri! Si hoc facis, & ipse faciet. Quid? Et educet quasi lumen iustitiam tuã. Vt nunquam in tenebris & vitiis obscuretur. Iustitia tua est fides tua. Iustus enim ex fide viuunt. Hęc iustitia modò abscondita est. In fide res est, nondum in specie. Aliquid credis ut facias, nondum vides quod credis. Cum autem cœperis videre quod credidisti, educetur in lumen iustitia tua. Et iudicium tuum tanquam meridiem. Parum erat dicere, ut lumen. Lumen enim est cum albescit, cum sol oritur: sed nunquam est clarior lux quàm medio die. Modò iudicas sequi Christum, hoc proposuisti, hoc elegisti. In abscondito est iudicium tuum, adhuc reprehenditur & irridetur ab infidelibus. Quando educet tanquam meridiem? Cum Christus apparuerit vita nostra: tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Interim quid? Subditus esto domino, & ora eum. Hoc sit vita nostra, obedire præceptis eius & obsecrare eum. Perseueret bonum opus & oratio, donec det quod promissit. Si videris florere impium, non te moueat vanitas. Noli emulari in eo qui prosperatur in via sua, & in homine faciente iniustitias. Prosperatur in via sua? Tu labora in via Dei. Illi prosperitas in via est, in peruentione infelicitas. Tibi labor in via, in peruentione felicitas. Illa via lata est, finis eius in profundum inferi perducit: via tua angusta est, finis eius vita æterna. Dico ne emuleris. Et si aliquo modo motus es, siue in animo, siue in corpore, corrige illud. Et hoc est quod subdit: Desine ab ira, & desinque furorem: noli emulari ut maligneris. Ira pertinet ad animum, furor ad corpus. Ac si diceret, Nec iniquitas prauorum moueat te ad iracundiam, nec illorum prosperitas ad inuidiam. Quoniam qui malignantur, exterminabuntur. Id est extra terminos supernæ Ierusalem eiicientur: sicut scriptum est, Tollatur impius ne videat gloriam Dei. Sustinentes autem dominum ipsi hereditabunt terram. Qui sunt sustinentes, nisi patientes? Hinc discipulis suis dominus ait, Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus. Quo contra scriptum est, Vx his qui perdidit sustinentiam. Terra autem est cælestis patria, de qua alibi dicitur, Credo videre bona domini in terra viuentium. Hanc terram sustinentes dominum hereditabunt, id est, hereditario iure possidebunt. Et ne hanc sustinentiam longissimam æstimares, protinus adiunxit: Et adhuc pusillum, & non erit peccator. Id est, non apparebit. Breuis est prauorum vita & felicitas. Et si longum spatium videtur, cum viuunt, breue videtur, cum moriuntur. Citò transeunt tempora: breue est quod durare non potest. Hinc Apostolus, Quæ est, inquit, vita

quit, vita vestra? Vapor fumi ad modicum parens. Sed valde notandum est quod subditur. *Et quæres locum eius, & non inuenies.* Modò quære locum peccatoris, & inuenis. Locus eius est vsus eius. Habet enim aliquem vsus peccator. Hic vitur illo Deus ad probandum iustum, quomodo vsus est diabolo ad probandum Iob: quomodo est vsus Iuda ad tradendum Christum. Est ergo in hac vita quod agatur de peccatore. Hic est locus eius. Quomodo est in fornace aurificis palea, & ardet palea, vt aurum purgetur: sic scuit impius, vt iustus probetur. Sed cum transierit tempus probationis nostræ: quando non erunt qui probentur, non erunt per quos probentur. Et tunc si quæres locum eorum, non inuenies. *Manfueti autem hereditabunt terram.* Mansueti sunt qui domino non resistunt, qui iugum eius humiliter portant, qui aduersa mundi æquanimiter tolerant, non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto: sed e contrario benedicentes. Ipsi erunt idonei ad hæreditandum terram illam sanctam Ierusalem, quæ liberabitur de ista peregrinatione & in æternum viuet cū Deo & de Deo. *Et delectabuntur in multitudine pacis.* Fruetur enim æterno Deo, qui est omnium bonorum fons & plenitudo. Inde superna illa ciuitas Ierusalem nominatur, quæ visio pacis interpretatur. Tantum est autem pacis bonum, vt in rebus terrenis nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci: nihil postremo possit melius inueniri. In omnibus autem rebus pax quædam quæritur & ordo naturæ. Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis. Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio. Pax domus ordinata imperandi & obediendi concordia cohabitantium. Pax animæ rationalis ordinata cognitionis actionisque consensio. Pax animæ & corporis, ordinata vita & salus animantis. Pax hominis mortalis & Dei ordinata in fide, sub æterna lege obedientia. Hæc sunt in quibus mansuetus Dei se debet nutrire, vt ad cælestem pacem valeat peruenire. Pax verò cælestis ciuitatis, est ordinatissima & concordissima societas fruendi Deo, & inuicem in Deo. Et quia quandiu hic viuunt, iusti iniustorum insidias patiuntur, subiunctum est: *Observabit peccator iustum.* Non enim cessant prauis bonorum vitam inquirere, studiosè attendentes si qua ex parte valeant eis nocere. Hinc de domino scriptum est, Et ipsi obseruabant eum. Malus ergo bonum obseruat, vt eum capiat & perdat. Et quod opere exercere non valet, fera & bestiali corrobatione verborum exercet. Et hoc est quod subdit: *Et stridebit super eum dentibus suis.* Id est, dentibus nequitie & impietatis, quibus eum nititur deuorare. Sape autem per corporis motus animi designantur affectus. *Dominus autem irridebit eum: quoniam prospicit quod veniat dies eius.* Ille habet oculos cognitionis. Præsciuit futurum esse diem iudicij, in quo erunt occulta manifesta. Ibi peccator irrisione dignus, à domino demonstrabitur: quando amissa potestate à gloria pœnis æternis puniendus tradetur. Hic etiam iam irrideri incipiunt, cum militie gladium, quo nocere aliis assimant, ipsi in seipsos nescientes conuertunt. *Gladium euaginate*

euaginate peccatores, intenderunt arcum suum. Per gladium apertam & manifestam persecutionem intelligimus. Per arcum verò occultam & dolosam deceptionem, qua sanctis insidiantur. Gladium euaginare est malitiâ prius in corde occultam etiam opere exercere. Arcum intendit, qui dolum parat, vnde incautum feriat. Gladio cominus quisque percutit, arcu à longè trahit. Gladius ergo percutiens, est persecutio insistens. Arcus verò, inopinata & quasi longè remota deceptio. His duobus generibus persecutionis impugnant mali bonos: videlicet, *Ut decipiant pauperem & inopem, vt trucident rectos corde.* Nomine pauperis & inopis designantur simplices scientiam & virtutem non habentes. Per rectos corde intelligimus perfectos. Simples ergo moluntur arcu occultè decipere: perfectos verò student apertè persecutionis gladio trucidare. Inimici Ecclesiæ quolibet errore cæcentur vel malitia deprauentur, si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent eius patientiam. Et vt etiam inimici diliguntur, exercent eius beniuolentiam. Quia Deus his qui diligunt eum, omnia cooperatur in bonum. Quòd verò inimicus aduersatur, sibi ipsi conuertitur in detrimentum. Et ideo subditur: *Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur.* In corpore occidere voluerunt, in anima moriuntur. Quicumque alium lædere molitur, primùm seipsum proprio iaculo percutit. Arcus autem confringitur, quando dolus & mala voluntas non peruenit ad effectum. Cõstat plus esse quod se lædunt iniqui, quàm quod sibi videntur lædere alios. Grauius est enim vitio animam occidi, quàm gladio corpus trucidari. Deinde commendat iustorum modicitatem, dicens: *Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas.* Melior enim iustorum paupertas, quàm diuitiæ peccatorum. Iste enim paucis abundat, ille autem plenus sitit. Iste animam saluat, ille autem & corpus & animam perdit. Sed quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiat? Melior est enim huic fides, quæ grano synapis comparatur, quàm illi perfidia quæ vbique vagatur. *Quoniam brachia peccatorum conterentur.* Id est virtus, potentia, diuitiæque in quibus confidunt. *Confirmat autem iustos dominus.* Ne ab iniustitia vincantur. Quoniam sicut Apostolus ait, Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Audi voces confirmati iusti. Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Quomodo confirmat? sequitur, & dicit: *Nouit dominus dies immaculorum.* Nouit enim quomodo vixerint, & in quibus vitam finierint. Vel nouit quia, dilexit. Vnde e contra malis dicturus est, Amen dico vobis, nescio vos. Omnis enim qui ignorat, ignorabitur. & ideo *Hereditas eorum in æternum erit.* Esto ergo purus & mundus omnibus diebus vitæ tuæ, vt placeas domino Deo tuo in omni tua conuersatione. Et cum dies istos finieris, in æternum hæreditabis. *Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur.* Modò est tempus malum, in quo laborant iusti. Vnde quotidie dicunt in oratione, Libera nos à malo. In hoc tempore elati quique, dum suam gloriam quæ-

runt, si iniuriæ vel contumeliæ sibi illatæ fuerint, erubescunt. Quo contra
Joan. 8. sancti viri qui non quærunt gloriam suam, sed Dei, si deridentur, si contume-
Roma. 5. liis & pœnis dehonestantur, non solum nõ erubescunt, sed etiam gloriantur.
 Vnde Apostolus, Gloriamur in tribulationibus. Saturantur autem in
Mar. 8. diebus famis, pabulo veritatis, & cælestibus sacramentis. In hac enim fa-
Psal. 16. me, vbi sancti domini esuriunt, interim verbum suum in cibum assumunt,
 ne deficient in via: donec visione ipsius satientur in patria. Et quia supra di-
 xerat, Brachia peccatorum conterentur, probat hoc, cum infertur. *Quia pec-*
catores peribunt. Quomodo sequitur & dicit, *Inimici verò domini.* Id est, ipsi pec-
 catores: *Mox ut honorificati fuerint.* In reuerentia habita. *Et exaltati per po-*
tentias & dignitates. Deficientes quotidie de malo in peius, *quemadmodum fu-*
mus deficient. Fumus à loco ignis erumpens in alto extollitur, & ipsa elatione
 in globum magnum intumescit. Et quanto fuerit ille grandior, tanto fit va-
 nior. Sic iniqui, qui quanto plus sunt erecti, quanto extensi, quanto vndiq;
 in maiorem ambitum diffusit: tanto sunt exiliores, & deficientes, & non ap-
 parentes. Sic per multas partes est ostensum, quòd melior est iusti modici-
 tas, quàm diuitiæ peccatorum. Deinde ponit causam quare peccator defi-
 ciat, cum subdit: *Mutuabitur peccator, & non soluet.* Nihil habet homo, quod
Matt. 25. mutuo non accepit. Vnde in euangelio dominus dicit, Homo quidam pere-
 grè proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et vni dedit
 quinque talenta, alij duo, alij verò vnum. Ecce pecuniam domini serui mu-
 tuo acceperunt. Qui autem in hoc seculo fideliter eam dispensauerit, & cum
Ibidem. vsura domino reuertenti soluere poterit: hoc ei à domino dicitur, Euge ser-
 ue bone & fidelis, intra in gaudium domini tui. Fideliter dispensant diuites,
 cum de diuitiis elemosynas faciunt. Fideliter dispensant doctores, cum re-
 ctè docent, & bene viuunt. Peccatores verò diuitias & sapientiam, virtutes
 & intellectum à domino mutuant, neque ei gratias referunt, neque paupe-
 ribus, quæ habent tribuunt, nec bene viuendo persoluunt quæ debent. Et
 ideo sicut fumus deficient. *Iustus autem miseretur.* Id est, pia affectione erga af-
 flictos mouetur: *Et retribuet.* Habet semper vnde det, cuius pectus plenum
 est charitatis. Ipsa est charitas quæ dicitur & voluntas bona. Si habet foris
1. Cor. 13. facultatem, dat ipsam charitas. Si non habet, dat beniuolentiam, præstat con-
Matt. 5. siliam, dat auxilium, si potest. Si non potest, vel voto adiuuat, vel pro contri-
 bulato orat: & forte magis hoc valet, quàm si panem porrigeret. Vacare non
 potest bona voluntas. Ipsi inter se pauperes præstant sibi de bona voluntate.
 Vides cæcum à vidente duci, quia nummos non habet, quos det, commodat
 oculos non habenti. Vnde hoc factum est, nisi quia virtus est voluntas bona,
 quæ est thesaurus pauperum? Qui autem miseretur & tribuet, mercedem bo-
 nam recipiet. Nam subditur: *Quia benedicentes ei hereditabunt terram.* Qui be-
Matt. 25. ne viuunt, & bona quæ possunt, aliis cum gratiarum actione tribuunt, ipsi
 sunt qui domino benedicunt. Talibus in iudicio dicturus est, Venite bene-
Ibidem. dicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratū est ab origine mun-
 di. Ecce illa terra, quam iusti hæreditabunt. Quare? Esuriui, inquit, & dedi-
 stis mihi manducare. Et incipiet narrare opera misericordiæ, quibus iusti
 domino

domino benedixerunt, quando ad honorem eius illa impleverunt. *Maledi-*
centes autem ei disperibunt. Audituri sunt enim, Ite maledicti in igne æternum. *Matt. 25.*
 Isti noluerunt persoluere, quæ mutuo acceperunt. Et quia malè viuendo, &
 sibi commissa iniuste retinendo maledixerunt domino, & ipsi iustè sunt ma-
 ledicti. Et vt quisque sciat quòd tendere debeat, ne similiter pereat, sequitur
 & dicit: *Apud dominum gressus hominis dirigetur, & viam eius volet.* Nam ap-
 ud seipsum non inuenit homo, nisi errorem & peccatum. Ideo ipse domi-
 nus factus est nobis dux & via. Et si errare non volumus, apud ipsum gres-
 sus bonorum operum dirigamus. Et in ipso sit voluntas nostra, qui est via,
Ioan. 14. veritas & vita. Noli per aliam viam velle ire, quàm per illam, qua ipse iuit.
Ibidem. Fortasse videtur dura, sed secura. Alia fortè delicias habet, sed latronibus ple-
Matt. 7. na est. Melius est modò viam domini velle tenere, ieiunando, orando, patien-
 do, vt postmodum in patria gaudeamus: quàm velle tenere viam seculi, ri-
 dendo, delectando, carnem sequendo, vt postmodum in æterna pœna luge-
 amus. Et quia in hac etiam via domini, non est homo qui non peccet: se-
3. Reg. 8. quitur consolatio, cum subinfertur: *Cum ceciderit, non collidetur: quia dominus sup-*
ponit manum suam. Cecidit Petrus, sed nõ est collisus. Nam dominus manum
Luc 22. suam supposuit, atque eum auxilio suæ misericordiæ subleuauit. Scriptum
Ibidem. est enim, respexit dominus Petrum, & fleuit amarè. Sed quare? Permisit do-
 minus cadere electum suum, vt videlicet in tentatione disceret se, qui ante
 tentationem præsumperat de se. Hoc quotidie in electis suis dominus face-
 re non cessat. Magnarum virium homo se crederet, si semper in virtute fixus
 permaneret. Piè ergo dominus aliquando gratiam suam subtrahit, & præsu-
 menti, qualiter infirmetur, ostendit. Qui cum in tentatione labitur, per can-
 dem tentationem prudenter eruditur. Nam cum tentatus cadit, eo post ve-
 rius quo humilius, surgit. Et vnde virtus quasi amittitur, inde certius possi-
 detur. probat autem quòd non collidetur iustus, cum subiungit. *Iunior fui, ete-*
nim senui: & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Loquitur
 hîc corpus Christi tanquam vnus homo, qui iunior fuit, in primis ætatibus,
Roma. 12. senior autem in nouissimis temporibus: & in tanto spatio non vidit iustum
 derelictum, ita vt non periret, nec semen eius, id est aliquem fidelem inuita-
 tione ipsius, qui panem quæreret. Si corporalem panem accepimus, hunc
 quærere multos etiam iustos inuenimus. Et iam sententia secūdum literam
 non erit vera. Necessè est ergo panem spiritualem intelligere, illum scilicet
 de quo dominus dicit in euangelio, Non in solo pane viuit homo, sed in om-
Matt. 4. ni verbo quod procedit de ore Dei. Hunc panem nõ cessauit dominus fide-
Heb. 1. libus suis distribuere tam in primis ætatibus, quàm in vltimis: loquens eis
 per angelos, per patriarchas, per prophetas. Deinde per filium suum, per A-
 postolos, per doctores: ad reficienda & confirmanda corda eorum, ne defi-
 ciant in via. Tali pane nutritur iustus, vt in Deo viuat, & bona quæ potest,
Matt. 8. proximis impendat. Vnde & subditur: *Tota die miseretur & commodat.* Hoc iã
 expositum est. Bene autem dixit, Commodat, quia quod dispètat sibi reddi,
 non à paupere, sed à Deo expectat. Vnde protinus adiungit: *Et semen il-*
lius in benedictione erit. Semen iusti sunt opera bona, de quibus Apostolus di-

cit, Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus. Ita que dum tempus habemus, ait, operemur bonum ad omnes. Et iterum, Qui parçè seminat, parçè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Hinc alibi dicitur: Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Audiuimus semen: audiamus huius seminis futuram benedictionem. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Vide ergo quod sequitur, & noli esse piger. *Declina à malo, & fac bonum.* Diuerte à peccato, fuga diabolum, sequere bonum. *Et inhabita in seculum seculi.* Vbi: in Ecclesia, in vnitatem, in veritate, in Deo, in recto iudicio. *Quia dominus amat iudicium,* Id est discretionem, qua separatur bonum à malo, falsum à vero, temporale ab æterno. *Et non derelinquet sanctos suos,* Quos flagellat ad tempus. *In æternum conseruabuntur.* Ego inquit dominus, quos amo, arguo & castigo. Hinc Paulus ait: Omnis disciplina in præsentem non videtur esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ. Ideo sancti viri ad tempus flagellantur, & tanquam grana in area inter paleas tritulantur: vt postmodum purgati in æterno horreo conseruentur. *Iniusti autem punientur,* Id est æternaliter damnabuntur. *Et semen impiorum peribit,* Id est, opus eorum nullum fructum habebit. Ideo dicturi sunt in iudicio: Quid nobis profuit superbia? aut quid diuitiarum iactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra. Vndique circumuenit infirmitatem nostram hæc prophetica scriptura. Modò nos erudit verbis, modò informat exemplis. Hinc proponit nobis reproborum pœnam, illinc iustorum gloriam: quatinus illa nos terreat, atque ab amore huius seculi compescat: & ista nos excitet atque ad amorem patriæ cælestis inuitet. Vnde & subditur: *Iusti autem hereditabunt terram,* Viuentium. Et hoc non ad tempus, sed in æternum. Ideo subdit: *Et inhabita bunt in seculum seculi super eam.* Super, bene dicit: quia possessores & domini terræ illius erunt. Noli ergo istam transitoriam hereditatem diligere, in qua diu non potes habitare. Despicienda sunt cuncta, quæ transeunt: illa sola amanda est, quæ transire non potest: cuius via est sapientia, de qua subditur: *Os iusti meditabitur sapientiam.* Os interioris hominis, est cor nostrum. Sicut enim ore corporis loquimur hominibus, ita corde loquimur Deo. Omnis autem profectus spiritualis ex meditatione procedit: & est ille panis, de quo supra diximus. Vide ergo quàm libèter manducet iustus, quomodo in corde suo verset & ruminet sapientiam: vt postmodum eruictare possit verbum bonum: vnde & subdit, *Et lingua eius loquetur iudicium.* Iudicium loqui, est discretum proferre sermonem. Prius in corde suo tractat iustus, quid loqui, & quid tacere debeat: & cum tacet, quod tacendū est: & dicit, quod dicendum est, lingua eius loquitur iudicium. Ostendit autem illam sapientiam, quam iustus meditat, non mundanam esse, sed diuinam: cum subiungit: *Lex Dei eius in corde ipsius.* Habent & reprobi aliquando legem Dei, sed in ore tantum, non in corde. Verba Dei proferunt, nec tamen diligunt: laudando exaggerant, viuendo calcant. Quo contra iustus quia verbum Dei & meditando diligit & diligendo complet, meritò dictum est, Lex Dei eius

eius in corde ipsius. Et quid ei prodest? sequitur, & dicit: *Et non supplantabuntur gressus eius.* Liberat ab omni tentatione verbum Dei in corde: vnde alibi dicitur: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Te cum est, cuius verbum à te non recedit. Quid autem mali patitur, quem custodit Deus? Nam vide quid sequitur: *Considerat peccator iustum.* Vt cum supplantet, eiusque detorqueat gressus. Dicit quod in libro Sapientiæ prædictum est. Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est altis vita ipsius. *Et ideo querit mortificare eum.* Duobus modis querit mortificare bonum malus. Primùm vt ei consentiat, & sic occidat eum in anima. Deinde si non consenserit, querit vt occidat eum in corpore. Sed quid sequitur? *Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius.* Dimitteret dominus iustum suum in manibus impij, si illum faceret consentire cum impio. Non ibi autem dimittit iustum suum, sed de carne capta educit animam inuictam. Et licet flagelletur & occidatur exterius, semper tamen custoditur interius. *Nec damnabit eum cum iudicabitur illi.* Id est cum iudicium fiet de illo. Omnes enim astabimus ante tribunal Christi, vt illic recipiat vnusquisque quod per corpus gessit, siue bonum siue malum. Quando ergo ad illud iudicium ventum fuerit, & dominus iusti sui causam audierit: iam non damnabit, & si modò damnari ab homine videatur. *Expecta igitur dominum,* qui te vindicabit, teste Apostolo, qui ait: Mihi vindictam, & ego retribuā dicit dominus. *Et custodi viam eius.* Id est serua mandata. *Et exaltabit te.* De vitiis ad virtutes, de terrenis ad cælestia. *Vt hereditate capias terram.* Illam scilicet quam tibi nullus auferre poterit. *Cum perierint peccatores videbis.* Sed quæ gloria iusto erit, quia peccatorem perire videbit? Cum modò videt aliquem errare & perire, nonne per compassionem solèt dolere & gemere? Sed iam tunc auctoris sui iustitiæ coniunctus, tanta rectitudine constringitur, vt nulla ad reprobos compassione moueatur. Videbunt ergo iusti pœnas peccatorum, & gaudebunt, quia tales non erunt. Qua in re sciendum est quòd omnipotès Deus nunquam eos creasset, quos in æternum perituros præscisset, nisi aliquos ex eis vnus bonos præuidisset. Quorum quidem iniquitas sicut modò prodest bonis ad augmentum sanctitatis, sic ipsorum pœna eisdem iustis proderit ad incrementum beatitudinis. Nam ex reproborum damnatione cognoscent electi, quid per iustitiam meruerint: quia ex sua saluatione sentiēt, quid per gratiam receperint. Tantòque amore ardentiori adhærebunt diuinæ bonitati, quanto eius gratuito dono & per meritum non sentient pœnam & immeritam percipient gloriam. Deinde quàm nulla sit impiorum prosperitas, ostendit: cum subiungit: *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut Cedros Libani.* Et transiui, & ecce non erat: quasi inueni eum, & non est inuentus locus eius. Superexaltatus & eleuatus sicut Cedrus Libani videtur impius, quando corde tumens, & virtute & gloria cæteros etiam altos seculi præcellens, cernitur elatus. Sed si mente transeas, & diligenter quod futurum est animaduertas: videbis oculis fidei quòd nulla sit, etiam cum aliquid esse videtur gloria vel potentia impij. Locus quoque eius non inuenitur, cum status vitæ præsentis pro nihilo computatur. Et hoc quidem incessanter con

tingit. Nam modò cernimus aliquos honoribus & diuitiis florere, & ecce quasi in transitu atque in momento videmus eosdem interire. Vnde & dicimus: Vbi est ille? Vbi tanta gloria? tantæ diuitiæ? tanta potentia? Et ingemimus dicentes, Heu quia nihil est homo. Sed imperfectorū est, gloriam morituri in ipsa morte despiciere: & tunc ei etiam illi derogant, qui hanc & vsque ad mortem sequentes amant. Qui hoc quidem rectius agerēt, si cū in gloria hominem cernerent, tunc eius interitum cogitantes, transeuntem potentiam nihil esse sensissent. Tunc humana elatio pensanda est, quā nihil sit, cū sese super ceteros successibus extollit. *Custodi ergo innocentiam, & vide equitatem, quoniam sunt reliquiae homini pacifico.* Innocentia vera est, quæ nec sibi nec alteri nocet. Hæc est animæ thesaurus, quam auferre semper molitur inimicus. Vnde & suadet terrena appetere, præsentem gloriam amare, carnis voluptatibus deseruire. *Æquitas dicuntur diuina eloquia.* Iuxta quod scriptum est: Quod tibi non vis fieri, aliis ne feceris. Et quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. *Æquitas sunt, quia & bona bonis, & mala malis retribui prædicant.* Innocentiam custodire, est à vitis & peccatis se immaculatum seruare. *Æquitatem videt, qui sollicitè pensat & quæ à domino acceperit, & quæ ei persolueri debeat.* Quisquis hoc agit, ipse est homo pacificus: cuius reliquiae erunt incorruptio, immortalitas, vita æterna. *Iniusti autem disperibunt.* Quia in corpore & in anima destruentur. *Simul reliquiae impiorum interibunt.* Sicut alibi dicitur in psalmo, Cū diues fuerit homo, & cū multiplicata gloria eius, cū introierit, non sumet eam: & cetera. Introibunt ergo impiorum reliquiae, quia iam nullæ erunt eorū diuitiæ quas amauerunt. *Salus autem iustorum, à domino.* Prima salus quæ ad animam pertinet, quam à domino percipiunt iusti, est remissio peccatorū per gratiam fidei. Vnde etiam iusti sunt, quia iustus ex fide viuit. Sed quia nondum perfecta est ista salus, & adhuc iustus periclitatur in tribulationibus, rectè subiunctum est: *Et protector eorum in tempore tribulationis.* Nam nisi fideles suos diuina virtus protegeret, quis tot iacula tentationum, aut tantos æstus vitiorum ferre potuisset? *Et adiuuabit eos dominus, Ad pugnandum, ad bene operandum. Et liberabit eos.* A tribulationibus. *Et eruet eos à peccatoribus,* quādo ducet eos de hac vita. *Et saluabit eos,* Saluatione perpetua. Propter hoc, *Quia sperauerunt in eo.* Attende ô miles Christi, quanta faciat pro te tuus imperator. Ipse est tua salus, tua protectio, tua arma, tua liberatio: vt te hîc regat, custodiat, & deinde ad vitam æternam perducatur.

TITVLVS PSALMI XXXVII.

PSALMVS Dauid in rememoratione sabbati. Psalmus iste conuenit Dauid propheta, vel alij penitenti, in rememoratione æterna requiei. Sic enim interpretatur sabbatum, id est requies. Est in hoc psalmo materia, penitens affluctus multis miseriis, multisque doloribus pro peccatis suis. In exordio capiat iudicis beniuolentiam. In secunda parte narrat miseriam & deiectionem nimiam, ubi ait, Miser factus sum. In tertia parte ostendit, se nunquam Deum inter tot mala deseruisse: sed semper in ipso sperasse, & se ad grauiora patiendum paratum esse. In conclusione ponit quan-

nit quandam exultationem de impetrata venia. Intendit nos admonere, non vt intelligamus (sicut fecit in alio penitentiali psalmo) sed vt iam patienter sustineamus quacunque mala ad purgationem peccatorum euenerint, dicens:

P S A L M V S X X X V I I .

DO MINE ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Per furorem vehemens indignatio domini designatur, qua reprobis in iudicio arguentur. Vnde in furore suo dicturus est illis (ante tamen de operibus bonis, quæ facere neglexerunt, terribiliter increpatis) *Ite maledicti in ignem æternum.* In furore hoc arguentur, qui modò tempore misericordiæ ad penitentiam non emolliuntur. Per iram potest intelligi examinatio ignis Purgatorij, in quo corripientur, qui modò super fundamentum Christum infructuosa ædificant. Detrimentum quidem patientur, sed salui erunt: sic tamen quasi per ignem. Grauior autem erit ille ignis, quā quicquid potest homo in hac vita tolerare. Ab hac ergo ira & furore penitens iste tutum se esse deprecatur, præcedens miseria multas, quibus iam in hoc seculo affligitur, dicens: *Quoniam sagitta tue infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.* Quasi sagittis domini infigimur, quādo doloribus corporis & animæ à domino propter peccatum vulneramur. Humana quippe anima inde est punita, vnde delectata. Manum autem suam dominus super nos confirmat, quia pœna peccati, qua primum hominem percussit, adhuc in humano genere perdurat. Intantum manum suam super nos confirmauit, quòd etiam proprio filio suo non percipit. Prima quidem virtus est, ne perpetrari debeant, vitare peccata. Secunda autem saltem perpetrata corrigere. Sed plerunque culpas non solùm imminentes minimè vitamus, verum etiam nec commissas agnoscimus. Et peccatoris mens tanto altius tenebrascit, quanto nec damnum suæ cæcitatatis intelligit. Vnde fit plerunque diuini muneris largitate, vt culpam pœna sequatur, & flagella oculos delinquentis aperiant, quos inter vitia securitas cæcabat. Torpens quippe animus percussione tægitur, vt exciteretur: quatinus qui statum suæ rectitudinis securus perdidit, afflictus consideret quòd iacet. Ipsa asperitas correctionis origo fit luminis. Vnde & subditur: *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tue.* Etenim portamus corpus mortale, plenum tentationibus & sollicitudinibus, obnoxium doloribus corporalibus & indigentis, mutabile & languidum, medicamento indigens. Nam famis medicamentum, cibus est: medicamentum sitis est potus: medicamentum fatigationis est somnus. Detrahe ista medicamenta, deficiunt illa quæ existunt. Sed vnde ista patimur? Faciem iræ Dei intuemur: facies autem dicta est propter cognitionem, quia in facie solemus homines cognoscere. Per cognitionem verò iræ Dei, fit etiam cognitio peccati. Et ideo subdit, *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Per ossa intelliguntur animæ fortia. Ecce propter peccata nostra, quæ sunt causa iræ Dei, multa patimur in mēbris corporis, multa in virtutibus animæ. In corpore amisit homo sanitatem, in anima perdidit pacem. Quia enim cum auctore suo cōcordare noluit, iustè & in seipsa discor-

diam inuenit. Magnam pacem cum Deo habebat, quando in aeterno lumine sine contradictione alicuius molestiae indefinenter inhærebat. Sed postquam peccando iram Dei meruit, mox ab illa beata immutabilitate miserabiliter corruens, pœnamque mortalitatis & mutabilitatis incurrens, pacem (vt diximus) amisit. Ecce sicut ossa carnem: sic prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia sustinent mentem. Sed eidem menti modò ignauia surrepit, & prudentia frigescit: nam cum fessa torpet, ventura nõ prouidet. Modò menti delectatio surrepit, & temperantia frigescit: in quantum enim ad delectationem terrenorum ducimur, in tantum minus ab illicitis temperamur. Aliquando se timor cordi insinuat, & vires nostræ fortitudinis turbat: & eo minores contra aduersa existimus, quo quædam perdere immoderatus dilecta formidamus. Nonnunquam verò amor suus se menti ingerit, eamque latentis mota à rectitudine iustitiæ diuertit: & quo se totam auctori reddere negligit, eo in se iustitiæ iure contradicit. Turbat quoque animæ sapiëntiam stultitia, intellectum hebetudo, consilium præcipitatio, fortitudinem timor, scientiam ignorantia, timorem superbia. Rursus in corde per flagella turbatur charitas, per formidinem cõcutitur spes, per quæstiones pulsatur fides. Et quia innumeris modis turbantur virtutes à vitiis & peccatis, dicatur rectè, Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Nec hoc mirum: *Quoniam iniquitates meae supergressæ sunt caput meum.* Id est præualuerunt menti meæ, quæ est interioris hominis caput. Ipsæ sunt quæ captiuant mentem in lege peccati & mortis. *Et sicut onus graue, grauata sunt super me.* Nullum onus tam graue potest esse, quàm iniquitas: cuius grauitatem illi soli sentiunt, qui eam deponere cupiunt. Non enim grauis illi videtur, qui adhuc in illa delectatur. Qui vero illam deponere, & mentem ad cælestia subleuare appetit, quantum onus sit iniquitas, sentit. Cum labore erigitur, libens iacet: ab infimis vix leuatur, & tamen eleuata protinus labitur. Semetipsam laboriosè vincendo, superna conspicit: sed pondere proprio grauata, in seipsam cõtinuò cadit. Vnde adhuc adiungit. *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meae à facie insipientiæ meae.* Per similitudinem dictum est. Nam sicut cicatrices putrescunt prius, postea rumpitur caro: sic peccata sanata in baptisate, putrescunt, quando renouantur in voluntate. Corruptantur autem quando ea exercemus in opere. Et hoc fit à facie insipientiæ nostræ, id est, propter insipientiã, quæ nobis præfens est. Quanto enim plus desipimus, tanto amplius putredini & corruptioni propinquamus. Ideo adhuc subditur: *Miser factus sum, & curuatus sum usque in finem.* Antè beatus eram, modò factus sum miser, portans multas miseras & in anima & in corpore. Antè erectus vsq; ad Deum, modò curuatus vsq; in finem, id est in peccatũ: vel vsq; in finem, id est vsq; in mortem. Vnde Apostolus gemens ait, Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? *Tota die contristatus ingrediebar.* Amissa lætitia spiritali, hæc trititia generatur ex recordatione sabbati. Electorũ mentes, dum cuncta transitoria nulla esse conspiciunt, ad quæ sint conditæ, exquirunt: cumque illis nihil extra Deum sufficit, in ipso spe & amore requiescunt. Et quanto plus cælestia cogitant, tãto magis ærumnam suam, quam tolerant, deplorant. Vnde adhuc ille pœnitens subdit: *Quoniam lumbi mei impleti sunt*

illusionibus, & non est sanitas in carne mea. Tristitia nobis sit, donec & anima nostra exuatur illusionibus, & corpus nostrum induatur sanitate. Illa est vera sanitas, quæ est immortalis. Ideo posuit lumbos, quia in lumbis est carnalis voluptas, vnde illusiones procreantur. Sed quis potest enumerare, quot & quibus modis anima repleta sit illusionibus? A facie illarum illusionum aliquando vix orare permittitur. Sepe irruunt cogitationes, quas non querimus: & volumus ex hac in hæc ire, & ab illa in illã trãfire: & aliquando vis redire ad id quod cogitabas, & dimittere quod cogitas, nec præuales & aliud tibi occurrit. Vis recordari quod oblitus eras, & non tibi venit in mentem, & venit potius aliud quod nolebas, & occurrunt pro eo innumerabilia quæ non quærebantur. Hoc dixi, vt inuenias quid sit plangere illusiones animæ. Accepit pœnã illusiones, amisit veritatẽ. Sicut enim pœna est animæ illusio, sic præmiũ animæ veritas est. *Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebã à gemitu cordis mei.* Ex afflictione humiliatio, & ex humilitate procedit gemitus. Ad hoc pœnis & flagellis peccator affligitur, vt à superbia sua omnimodo humilietur: quatinus qui lætus & elatus perpetravit peccatũ, afflictus & humiliatus redeat ad lamentũ. Quod ait, *Rugiebã à gemitu:* signum est vehementissimi doloris, quando homo præ anxietate cordis in suo gemitu quædam ferum & intelligibilem emittit rugitum. Et notandum quod non ait, *A gemitu carnis:* sed, *à gemitu cordis.* Multi enim sunt, qui pro aliquo damno vel incommodo temporali vehementer gemunt. At verò seruus Dei, quia rugit ex recordatione sabbati, vbi est regnum Dei quod caro & sanguis nõ possidebit: cõuenienter dicit, *Rugiebã à gemitu cordis mei.* Quod euidenter ostenditur, cum subiungitur: *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* Sit desiderium tuum ante illum, & pater qui videt in occulto, reddet tibi. Attẽde autem quod ait, *Ante te,* ac si dicat: *Nihil desidero, nisi quod tibi placeat.* Nam prauum desiderium non ante Deum, sed contra Deum est. Si autem inest desiderium bonum, inest & gemitus: qui etsi ad aures hominum non semper peruenit, ab auribus Dei nunquã recedit. hunc autẽ interiorẽ gemitũ cõmendat, cum subiungit: *Cor meum conturbatũ est.* Quare? quia *Dereliquit me virtus mea.* Videlicet immortalitas, impassibilitas, innocẽtia, iustitia. *Et lumen oculorũ meorũ,* Id est rationis lumen. *Et ipsum quod mihi naturale erat, non est mecum.* Vel lumen oculorum, ipse Deus est. Hoc lumen non est cum ipso, sed tanquam cernentiũ in spe. Sed nõdũ est illud lumẽ de quo dicitur, *Ostendã illi me ipsum.* Habemus aliquid luminis, quia filij Dei sumus, & utiq; hoc in fide retinemus: sed nõdũ est illud lumẽ quod videbimus, nõdũ enim apparuit quid erimus. Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, cum videbimus eum sicuti est. Nam modò lumen fidei & lumen spei est. Quandiu enim sumus in corpore, peregrinamur à domino. Per fidem enim ambulamus, non per speciem. Et quandiu quod non videmus, speramus: per patientiã expectamus. Inter has tribulationes iam ad cõsolationẽ nostrã, audiamus capitis nostri voces. Iam incipiat lucefcere caput nostrũ in passione: ait ergo, *Amici mei & proximi mei, aduersum me appropinquauerunt & steterunt.* Quasi dicat: *Quid cõquereris?*

Vide me afflictum, crucifixum, peccata tua portantem, mundi miseras ferentem, & auferentem. Et hoc est quod dicit, Amici mei, id est Iudæi, qui se finxerunt amicos meos, & proximi mei secundum carnem, aduersum me appropinquauerunt, cum gladiis & fustibus, vt me traderent: & steterunt rigidi in malitia sua perseverantes. Graue est peccare, sed grauius est in peccato pertinacem permanere. Et notandum quod non ait, Inimici, aut extranei: sed amici & proximi. Grauiora quidem sunt mala quæ ab amicis patimur, quàm ea quæ patimur ab inimicis. Non solum enim pœna illorum nos cruciat, sed etiam charitas amissa tormētatur. *Et qui iuxta me erant, de longè steterunt.* Id est, discipuli: quia relicto eo omnes fugerunt. *Et vim faciebant qui querebant animam meam.* Trahentes eum ad iudicium & mortem. *Et qui inquirebant mala mihi, loquuti sunt vanitates.* Dicebant enim aduersus eum falsa testimonia. *Et dolos tota die meditabantur.* Quibus ante Pilatum accusare possent. Sed iam patientiam nostri redemptoris audiamus. *Ego autem tanquam surdus non audiebam.* Vnde quidam eorum ait: Non audis quanta aduersum te testificantur? *Et sicut mutus non aperiens os suum.* Sicut scriptum est: Tanquam ovis ad victimam ductus est, & non aperuit os suum. Et hoc dictum est secundum actum. Cùm haberet actum audiendi & loquēdi, non eodem utebatur ad vindictam. Hæc autem pertinent ad potentiam, cùm subinfertur: *Et factus sum sicut homo non audiens.* Id est, non potens audire. *Et non habens in ore suo redargutiones.* Id est, quanuis haberem vnde possem redarguere, tamen fui quasi non habens. Quid in hoc aliud, nisi nostra superbia confunditur? Quæ si exagitata vel leuiter fuerit, acriores iniurias reddit, quàm acceperat: facit mala quæ potest, minatur quæ non potest. Ecce iniuriam suscipiens Deus non irascitur, non contumeliosa verba respondet. Et tãquam si ei diceretur: Quare non aperuisti os tuum? Sequitur, & dicit: *Quoniam in te domine speraui, tu exaudies me domine Deus meus.* Vnde & illi dixerunt: Confidit in Deo, liberet nunc eum si vult. Facile aduersa superas, si spes tua fixa sit in Deo. Et si tribularis ad tempus, in tempore opportuno exaudiet te dominus Deus tuus. Sed vnde exaudiet: sequitur: *Quia dixi, Nequando supergaudeant mihi inimici mei:* Nos qui puri homines sumus, quando impetrare aliquid volumus, humiliter deprecamur dominum. Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, quia Deus est de Deo, dicit vt fiat, & factum est. Orat quando vult, ex infirmitate carnis: imperat quando vult, ex potestate diuinitatis. Sed quid dixit? Nequando supergaudeant mihi inimici mei, pro me deuicto. Supergauderent enim, si ipse non resurgeret. *Et dum commouentur & quasi labuntur pedes mei: in passione super me magna loquuti sunt.* Proiicientes enim iugum eius, atque illum contemptui habentes superbe dixerunt: Non habemus regem nisi Cæsarem. Et multa alia locuti sunt super eum. Quare? *Quoniam ego in flagella paratus sum.* Aliquando peccatores in hac vita aut non, aut minus flagellantur, quia iam desperata est intentio eorum. At verò illi, quibus paratur vita sempiterna, necesse est, vt hîc flagellentur: quia vera est illa sententia, Fili ne deficias à disciplina domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit dominus, corripit, flagellat

lat omnem filium quem recipit. Ideo ergo non insultent inimici mei, non magna loquantur. Et si flagellat me pater meus, in flagella paratus sum: quia mihi præparatur hæreditas. Non vis flagellum: non tibi datur hæreditas. Omnis enim filius necesse est vt flagelletur. Vsq̃ adeo omnis flagellatur, vt nec ipsi pepercerit, qui peccatum non habuit. *Et dolor meus in conspectu meo semper.* An de flagello dolebat? Absit. Vnde ergo? sequitur: *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.* Ecce vnde dolor. Non de flagello, non de vulnere, non de medicina: sed de peccato. Nam flagellum medicina est contra peccatum. Non securus sis, cùm confessus fueris peccatum. Non hoc sufficit, nisi deinde cogites pro peccato tuo. Detextisti vulnus confitendo: sacerdos qui est medicus animæ tuæ, dedit tibi consilium medicinæ: dixit tibi vnde abstineas, quid adhibeas vulnere tuo. Debes ergo cogitare pro peccato, & semper memoriter retinere, & facere quæ audisti, curam gerere, & operam dare, vt saneris. Cogitabat ille pro peccato suo, qui dicebat: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Neque enim securus adhuc erat quamuis audisset à propheta, Transiit dominus à te peccatū tuum. Hæc autē verba in persona nostra dicta sunt, qui sumus peccatores. *Inimici autem mei viuunt.* Bene est illis, gaudent in seculi scelicitate, vbi ego laboro. Rugio à gemitu cordis mei. *Et confirmati sunt super me,* Id est, conglobati & corroborati ad opprimendū me. *Et multiplicati sunt qui oderūt me iniquè.* Multi enim apparuerunt in passione inimici, qui antea videbantur amici. Quia Christus dilexit eos, illi eum oderunt iniquè. Odium nanque iniquum est, odio habere amicum. Odium iniquum est odire hominem, non peccatum. Hîc est omnis & magnus reatus illorum. Nam quid nocere potuerūt persequendo voluntate non necessitate morienti? Sed ipsum odium est crimen maximum persequentis. *Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi.* Et non alia de causa, nisi *quoniam sequebar bonitatem.* Debuerant quidem pro tantis beneficiis bona retribuere: quod non solū non fecerūt, verumetiam pro bono mala reddiderunt. Nec solū nocebāt facto, sed etiam detrahebant verbo. Propter hoc orat, & dicit, *Ne derelinquas me domine Deus meus.* Id est, ne permittas me cadere in tentationem. *Ne discesseris à me.* Ne per absentiam gratiæ tuæ dimiseris me perire. Hoc dicitur in persona nostri. *Intende in adiutorium meum.* Id est, da te intentum, vt me adiuues ad bene operandum. *Domine Deus salutis meæ.* Rector meus, creator meus, & meæ salutis auctor.

T I T V L V S P S A L M I X X X V I I I .

N fine pro Idithū Canticu ipsi David. Cuiusdā qui vocatur Idithū, voces expectada atq̃ audieba sunt. Et si esse vnusquisq̃ nostrū potuerit Idithū in eo quod cantat, inuenit se, & audit se. Idithum, quippe transiens eos interpretatur. Si quis transiens cantauit, gaudeat se esse quod cantauit. Si quis adhuc terra inherens cantauit, optet & studeat esse quod cantauit. Canticu ideo dicitur, quia spiritualem continet iocunditatem: docet enim nos mente de terrenis ad caelestia transilire. *Attitit nos in finem, id est, in Christum.* Materiam est transiens & perfectus ille qui omni mundanorum voluptate postposita, solis caelestibus inhiat, & talis qui a Deo perfectus est, vt etiam

Rom. 8.
1. Pet. 2.Psal. 50.
2. Reg. 12.Ioan. 6.
& 11.
Apoc. 5.

Apoc. 1.

ut etiam linguā suā à peccato omnino cohibeat. Hanc per partes ita disponit. In prima parte ostendit ille transiēs se tacere mūdo, id est, hominibus prauis, qui deprimunt eum. Et conatur reprehendere dicta eius. Et loqui de eo. In secūda parte cōparat hanc mūdāna cum celestibus: ostēdens hanc esse vana, illa appetēda. In tertia ponit orationē, ut à malis liberetur, & celestia valeat obtinere. In iētio est iustos admonere, ut mūdānis postpositis ad celestia transeāt.

P S A L M V S X X X V I I I.

D I X I. Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Viae nostrae ad Dominum, sunt actiones & locutiones nostrae. Bene enim loquendo & recte agendo ad aeterna proficiscimur. Et quia vir sanctus iam custodierat vias prauae actionis, deliberavit etiam custodire vias illicitae locutionis. Nam qui in verbo non offendit, ille perfectus est vir. Hinc Salomon ait: Qui custodit linguam suam, custodit animā suam. Dixi inquam, & feci. Nam sequitur: Posui ori meo custodiam. Quando? Cūm confisteret aliquis pius, & religiosus, & sanctus? Absit. Hi sic audiunt, ut quod probant, laudent: quod autem improbant, inter multa fortē quae laudant, veniam non laudatis dant, potius quā calumniam parent. Quando ergo? Cūm confisteret peccator aduersum me. Statenim propria quadam notitia peccator superbus, quisquam inuidus audit loquentem transilientem, captat verba, proponit laqueos. Difficile est, ut non inueniat aliquid non ita dictum, ut dici debuisset: nec audiendo ignoscit, sed calumniatur inuidendo. Talibus quidem magis silendum est, quā aliquid dicendum. Nam quid dicas turbidis, calumniolis, litigiosis? Hinc dominus dicit in Euangelio, Nolite dare sanctum canibus, neque margaritas spargere ante porcos. Qualiter autem ori suo custodiam posuit, insinuat cūm subiungit: Obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis. Recte cūm dixisset, Obmutui, protinus adiungit, Et humiliatus sum: ut intelligamus virum iustum obmutuisse, non ex ira siue indignatione: sed solummodo ex humilitate. Siluit autem à bonis, ut non delinqueret in malis. Et ex hoc, inquit, dolor meus renouatus est. A dolore quippe quodam quem mihi infixcerant calumniatores & reprehētores, tanquam requieueram in silentio, & cessauerat dolor ille, qui factus fuerat à calumniantibus. Renouatus est autem dolor meus, quia cœpi plus dolere tacuisse quā dicere deberem, quā dolueram dixisse quā dicere non deberem. Et ideo: Concaluit cor meum intra me. Cœpit esse inquietum cor meum: videbam insensatos, & tabescebam. Non arguebam, & me sic tacentem zelus domus tuae comedeat. Et ne putaremus hunc calorem esse paruum, continuò adiunxit: Et in meditatione mea exardescet ignis. In eo quod non ait: Exarsit, sed Exardescet: ostendit illum ignem crescere magis ac magis ex taciturnitate. Ac si diceret: Quādiu silebo, tanto amplius ignis exardescet. Positus in hac fluctuatione dicendi & tacendi, inter eos qui calumniari parati sunt, & eos qui affectant instrui, periclitans ne proiciat margaritas porcis, periclitans ne non erogat cibaria conferuis: in hoc actu quāsiuit alium meliōre locum, & suspirans in finem quendam, vbi ista non erit passurus, ait: Locutus sum in lingua mea. Sed cur ei loqui

Iaco. 3.
Prouer. 21.

Math. 7.

Psal. 68.
Ioan. 2.

Math. 7.

ei loquitur in lingua sua, cui nota est cogitatio sua? Sed fortassis ideo in lingua loquitur, ut eius locutione auditorum vita instruat. Ait ergo: Notum fac mihi domine finem meum. Quia iam vias quibus gradiebatur, nouerat & easdem ne offenderet, prout poterat, custodiebat: Vult etiam finem suum quò tendere debeat, scire: ne sicurrat in incertum, valeat aberrare. Finem viae nostrae nobis ostendit Apostolus, vbi ait: Finis legis Christus, ad iustitiam omni credenti. Christus est finis nostri operis, & merces laboris. Ad ipsum tendimus, vltra ipsum non est quò tendere valeamus. Ipse est enim summum bonum, summa beatitudo. Quisquis hunc finem nescit, ad ipsum non tendit. Etiam si recte viuere videatur, in vanum currit. Nec certum finem tantummodo, sed veram quoque vitam scire postulat, cūm subiungit: Et numerum dierum meorum quis est. Notum fac mihi. Quare? Ut sciam quid desit mihi. Isti dies non sunt. Antè abeunt penè quā veniant: & cum venerint, stare non possunt. Vrgent se, sequuntur se, & non se tenet. Nihil de præterito reuocatur, quod futurum transiturum expectatur: nondum habent, dum non venit: non tenetur, dum venit. Numerus ergo dierum qui est, ipsa est infinitas aeternitatis, quae verum esse habet: quia præterire non valet. Nec ideo dicitur dierum numerus, quòd ita sit in re: sed quia nos longa spatia temporum designamus pluralitate dierum pro nostra capacitate, infinitum aeternitatis spatium, numerum dierum qui est, improprie voluit appellare. Recte autem illa prius scire appetit, ut postmodum sciat quid ei desit. Non enim plenè scire possumus quae nobis desint in temporalibus, nisi prius aeterna bona, quae amissimus, domino reuelante cognoscamus. Idcirco reprobis quid eis desit, deprehendere non possunt, quia terrenis rebus ex amore succumbunt. Cumque ad perennitatem corda non subleuant, exilium patriam, tenebras lucem, cursum stabilitatem putant: quia qui maiora nesciunt, iudicare de minimis non possunt. Quo contra seruus Dei cūm ad superna cor eleuat, defectum temporalitatis ex cōsideratione perennitatis melius pensat. Vnde tanquam noto sine suo, & numero dierum qui est, attendit ad hanc quae transeunt, & ait: Ecce mensurabiles posuisti dies meos. Id est, non aeternos, sed defectiuos. Quisque enim sub certa mensura viuit. Et substantia mea, non renouatio quam fecit Christus, sed essentia corporalis quam traximus ex Adam, Tanquam nihilum ante te. Quidam videntur magni ante se, de quibus scriptum est: Vae qui sapientes estis in oculis vestris: sed ante Deum nihil sunt, teste Apostolo, qui ait: Qui putat se aliquid esse, cūm nihil sit, ipse se seducit. Nec iste ex hoc magnus est, nam inflatio & tumor imitatur magnitudinem, sed non habet sanitatem. Sic primus homo traditus fuit, ut per augmenta temporum tendi posset eius vita tantummodo, non euolui. Sed quia sponte ad culpam decidit quo attigit vetitum, pertulit decursum. Ideo nunc iste vir sanctus dies suo transitorios conspicit, & se nihil nisi puluerem cognoscit. Vnde etiam secutus adiunxit: Veruntamen vniuersa vanitas, omnis homo viuens. Iam transilij mortalia omnia. Ascendi ad delectationē legis Dei. Desideraui finem, cuius non est finis, & numerum dierum

Rom. 16.
Genes 15.
Phil. 1.
Marc. 10.

1. Corin. 9.

Ioan. 3.

Isa. 3.
Galat. 5.

Genes. 3.
Genes. 18.

dierum qui est, & in eo quod restat sic inhio. Veruntamen quandiu temporaliter viuo, quandiu tentatio est vita hominis super terram, quandiu humana natura & secundum corpus & secundum animam, sub se habet deficere: vniuersa vanitas est omnis homo viuens. Vniuersa enim quæ in homine sunt, tam interius quàm exterius, diminutionem habent, siue mutabilitatem. Omnia inquam homo & manens & transiliens, & ipse etiam Idithum, quandiu hîc viuit, vniuersa subiacet vanitati. Vnde Salomon ait: *Iob. 7.* Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas. Vnde & subditur: *Ecclef. 1.* Veruntamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur. Quanquam portet imaginem Dei, tamen non solum transit, sed pertransit. Cuius transire, est singulis momentis ad finem tendere. Pertransire verò vitam moriendo finire. Nec solum hæc patitur, sed & vsibus terrenis frustra cõturbatur. Vnde & subditur: *Heb. 9.* *Theaurizat, & ignorat cui congregabit ea.* Hæc est adhuc magis lugenda vanitas, quia cum homo à sui conditoris amore cecidit, protinus amore & studio mundialibus inhæsit, intantum, vt exilium suum libens perferat: inuitus recedat, cæcaque cupiditate orbatus, thesauros colligat: sed cui congreget nescit. Vnde cuidam dictum est: *Luc. 12.* Stulte, hac nocte animam tuam tollent à te. Quæ præparasti, cuius erunt habere vis quod Deus, & non perdere? Ostendam tibi tutum locum. Audi dominum in Euangelio. *Math. 6.* *Theaurifate vobis thesauros in cælo, vbi fures non furantur, nec erugo, aut tinea demolitur. Sed ego, inquis, quomodo pono in cælo? Pone in manibus pauperum: da indigentibus. Audi & fac quod istetransiliens addit. Et nunc, quæ est expectatio mea? Nonne dominus?* Et quia cuncta hîc transeunt, & nihil retinetur certum, aut securum nunc, id est, in hac vanitate, in hac peregrinatione, dum adhuc habere non possum: quid debeo, nisi Deum expectare? Et conuertens se ad eum quem expectans diligit, ei familiari & antiqua locutione dicit: *Et substantia mea apud te est.* Apud dominum habet substantiam suam, quisquis propter Deum cuncta quæ habet, distribuit: aut ea quæ retinet, ad honorem ipsius expendit: & nihil omnino præter Deum concupiscit. Post contemptum rerum, postulat remissionem peccatorum, cum subiungit: *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me.* Ab omnibus, inquam, tam cogitationis quàm locutionis & operis. Tam ab occultis quàm ab alienis, tam à venialibus quàm criminalibus. Et quia terrena contemno, quia lætari in transitoriis nolo, quia humilitatem & paupertatem appeto, & sola inuisibilia concupisco. *Opprobrium insipienti dedisti me.* Vnde Apostolus ait: *1. Corint. 4.* Spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus: A dextris & à sinistris habemus arma quibus pugnamus, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt seductores & veraces. Hinc alibi Psalmista dicit: *Psal. 122.* Multum repleti sumus despectione. Multum repleta est anima nostra opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Inter hæc oprobria constitutus, patientiam suam vir sanctus nobis insinuat, cum subiungit: *Obmutui, & non aperui os meum.* Non respondi eis verbum, nec murmuravi contra te. Quia potuisset obmutire prius, & postea loqui: ideo postquam dixit, *Obmutui, continuo subiicit, Et non aperui os meum: vt sui silentij ostenderet: longa*

longanimitatem. Deinde misericordiam & sanitatem postulat, causam premitteudo cum subiungit: *Quoniam tu fecisti: amoue à me plagas tuas.* Quæ sunt istæ plagæ, quibus omnipotens Deus percussit hominem peccatorem, nisi corruptio, passibilitas, & mortalitas? Ab istis plagis sanari desiderat, & ad veram sanitatem reduci, id est ad impassibilitatem & immortalitatem. Et debet, inquit, hoc facere, quoniam tu fecisti me, vel quoniam tu fecisti illas plagas, amouere eas debes à me. Sicut enim tuum est ferire peccatorem ex iustitia, sic tuum est parere ex misericordia. Neque enim tantum iustus es; sed etiam misericors. Ostendit autem vehementer se afflictum, cum subdit: *A fortitudine manus tue ego defeci in increpationibus.* Fortitudo manus Dei ipsa est percussio flagelli. Ipso flagellante à rigore defecimus nostræ superbiæ. Ipsius percussiones nobis sunt increpationes. In eo enim quod flagellat, increpat nos: quia peccauimus. Vnde domini iustitiam commendans, & nostram culpam insinuans, adiungit: *Propter iniquitatem corripuisti hominem.* Totum quod feci, quod infirmus sum, quod in imo clamo, totum pro iniquitate: & in hoc erudisti hominem. Audi hoc planius ex alio psalmo: *Psal. 118.* Bonum mihi Deus quod humiliasti me, vt discam iustificationes tuas. Humiliatus sum, & bonum est mihi: & poena est, & gratia est. Hinc alibi dicitur: *Psal. 93.* Qui fingis laborem in præcepto, id est, laborem formas, vt mihi præceptum sit. Dico, amoue. Et opus est vt amoueat, quia ego defeci, id est, sustinere non potui, à fortitudine manus tue, id est, à forti vindicta tua facta in increpationibus. Per hoc quod dicit, in increpationibus, notat Deum vindictam suam ad hoc facere, vt retrahat hominem à peccato. Cum dico plagas tuas, aut fortem manum tuam, non te accuso: sed confiteor me habere iniquitatem, propter quam disciplinistuis corripuisti me hominem. Hic notatur iudicium & misericordia Dei. In hoc iudicium, quod propter iniquitatem flagellat. In hoc misericordia, quod correptione quasi pater castigat, vt ad viam veritatis reducat. Vnde adhuc subiungit. *Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius.* Attende ipsum animal, quam tabidum est. Pone supra digitum, ruina est. Nihil omnino est tabidius. Talem fecisti humanam animam, ad erudiendum eam pro iniquitate. Eruditio iusti Dei hanc infirmitatem fecit. Fortitudo quadam erat vitium, fortitudine quadam displicuit homo, vt erudiretur infirmitate, & quia superbia displicuit, eruditur humilitate vel infirmitate. Iste versus applicari potest & ad bonos & ad malos. Ad bonos hoc modo: Ita corripuisti hominem, vt penitus se mundo mortificaret, sicut aranea se mortificat in suo opere. Tabescit anima iusti sicut aranea, quando à pinguedine carnalis voluptatis deficit, cum carnem ieiuniis & vigiliis macerat, & mentem à desideriis illicitis castigat: cum studet se vitiis & concupiscentiis mortificare, atque in virtutibus extenuare: texere, vt cum veste nuptiali cælesti sponso digna valeat apparere. Vel sicut *Math. 22.* aranea ad inutile opus faciendum interiora sua extrahit & consumit: sic peccator interiora animæ suæ, in appetitu terrenorum inaniter expendit. Auarus enim etiam animam suam venalem habet. Hinc dominus dicit in Euangelio: Et quid prodest homini si lucretur totum mundum, *Math. 16.*

animæ autem suæ detrimentum patiat? Et ideo subditur: *Veruntamen vanè conturbatur omnis homo.* Omnis scilicet homo qui carnaliter viuit, dum terrena appetere per cupiditatem nititur, inutiliter conturbatur. Quis vel de ipso suo bono securus est? Quid in hac terra certum est, nisi mors? Considerate omnia vel bona vel mala vitæ huius, vel in ipsa iustitia, vel in ipsa iniquitate: omnia incerta sunt. Quid sis hodie scis? Quid futurus sis, crastino nescis. Pauper es: incertum est an ditescas. Indoctus: incertum est an erudiaris. Imbecillus: incertum est an conualescas. Natus es: certum est, quia morieris. Quocunque te verteris, incerta sunt omnia. Sola mors certa: & sola multum cauetur, quæ nullo modo deuitatur. Quisquis ergo conturbatur, iactet in dominum curam suam, & dicat quod sequitur: *Exaudi orationem meam. Ut finem meum notum mihi facias. Et deprecationem meam.* Ut ab omnibus iniquitatibus eruas me. Et debes exaudire, quia cum affectu & lachrymis deprecor te. Et hoc est quod dicit: *Auribus percipe lachrymas meas.* Quanto quisque sanctior est, tanto vberiores lachrymas habet in oratione: quas benignus Deus auribus percipit, quando misericorditer suscipit. Si vis à domino exaudiri: ora cum lachrymis, contere cor tuum. Nul-
Psal. 50. lum maius sacrificium Deo afferri potest, quàm cor contritum & humiliatum. Vbi sunt lachrymæ, ibi diuinus ignis accenditur. Quæri solet quare orandus sit Deus, & quid opus sit oratione, cum ipse sciat antequam oremus.
Matth. 6. quid opus sit nobis. Sed ideo orandum est, quia orationis intentio cor nostrum seruat & purgat, capaciùsque efficit ad excipienda diuina munera, quæ spiritualiter nobis infunduntur. Pius dominus offert nobis gratiam suam, & semper paratus est dare. Nos verò non semper parati sumus accipere: cum inclinamur ad terrena, & rerum temporalium cupiditate tenebramur. Fit ergo in oratione conuersio cordis ad Deum, & in ipsa conuersione puriores & digniores effimur. Vnde adhuc subditur: *Ne sileas quoniam aduena ego sum apud te.* Loquitur enim Deus secreta sua locutione in cordibus suorum fidelium, & aspirationem infundit gratiæ suæ. Ideo alibi postulat dicens, Dic animæ meæ, Salus tua ego sum. Et iterum: Audiam quid loquatur in me dominus Deus, & cætera. Ideo autem non debes silere à me: quoniam aduena ego sum, translatus de ciuitate Babylonis in qua natus fueram per originale peccatum: manens apud te, seruiens tibi, & de tua familia existens. Nectamen adhuc in ciuitate tua sum. Propterea subdit: *Et peregrinus sicut omnes patres mei, fuerunt peregrini.* Scilicet Abraham, Isaac & Iacob, atque alij. Quandiu enim in corpore sumus, peregrinamur à domino. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram in cælo requirimus. Quid ergo? Restat vt petam, quia sine dubio migraturus sum. Sequitur & dicit: *Remitte mihi, vt refrigerer.* In conscientia mea, vt exonerata sit æstu solitudinis peccatorum meorum. *Priusquam abeam, ex hac vita: Et amplius non ero.* Id est, non habeo verum esse, si ego non remissis prius peccatis meis hinc abiero.

T I T V

T I T V L V S P S A L M I X X X I X.

TITVLVS sequentis psalmi est, In finem psalmus David. Psalmus iste conuenit David, id est Christo, scilicet capiti & membris. Materia est immutatio veteris sacrificij. In prima parte ponit testimonium huius inuouationis. In secunda parte inducit ipsum Christum legalia destituentem, & suam inuouationem confirmantem. In vltima parte inducit sequaces Christi, id est, annuntiantes. Intendit persuadere legalia instituta iam finem habere, & per Christum ad Deum accedendum esse: vt scilicet postpositis superstitionibus Iudæorum, & idolatria gentilium, accedamus ad fidem Christi. Ait ergo:
Hebr. 7.
Matth. 5.
Rom. 5.
Ephes. 2.

P S A L M V S X X X I X.

EXPECTANS expectaui dominum, & intendit mihi. Ac si dicat, Ita expectaui dominum, vt quotidie essem expectans: & quia perseueraui, intendit dominus mihi, id est, ad vtilitatem meam, scilicet præstando gratiam suam. Qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Hinc propheta nos admonet, dicens, Si moram fecerit, expecta eum: quia veniens veniet. Quomodo autem intendit ei dominus, exponit cum subiungit: *Et exaudiuit preces meas.* In quo exaudiuit? Audi quod sequitur. *Et eduxit me de lacu miseriæ.* Id est, de certa profunditate erroris, quæ homines miseros facit. *Et de luto fecis.* Id est, de concupiscentiis carnis, quæ animas reddunt lutulentas coram domino, & in imo iacentes. *Et statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos.* Et immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro. Notandus est ordo verborum. Prius enim de luto prauitatis educitur, vt eius pedes per fidem in petra solidentur. Sed quia rectam fidem recta subsequi debet operatio, gressus eius, directi sunt, vt post directionem gressuum, id est, perfectionem boni operis, in ore acciperet etiam nouum canticum prædicationis. Adhuc enim nobis infirmitatis confusione iacētibus, præberi non debet authoritas prædicationis. Sed cum iam in bono opere surgimus, cum iam recti stare cœperimus, dignum est, vt ad lucrandos alios in prædicationem mitti debeamus. Valde etiam notandum est, quòd postquam dixit Canticum, continuò adiunxit Carmen, id est, hymnum Deo nostro. Sunt enim nonnulli quibus à domino gratia doctrinæ datur, sed eandem in suam propriam gloriam reflectere conantur. Hi nimirum canticum in ore percipiunt, sed carmen, id est, laudem, domino Deo nostro de percepta gratia reddere cōtemnunt. Sed quia iste vir sanctus prædicationis verbum de nouo testamento scilicet de dominica incarnatione, passione, resurrectione, ascensione & de cæteris quæ ad nouam vitam & ad nouum hominem pertinent, accepit: & hæc omnia ad laudē omnipotentis Dei expendit, non solum in ore suo immisissum esse canticum nouum, sed etiam carmen Deo nostro rectè testatus est. Esto nouus homo, prædica Christum: & sic cantasti canticum nouum. Noli quærere laudem tuam, sed laudans inuoca dominum: & sic carmen Deo nostro dixisti: Fidem domini prædicare, & insuper ipsum deuotè laudare, canticum & carmen Deo
Matth. 24.
Abac. 2.
1. Corint. 10.
Rom. 10.
2. Corint. 4.
1. Corint. 11.
Luc. 1. 22.
23.
Marc. 16.
Ephes. 4.
Collos. 3.
Ephes. 4.
Psal. 115.
2. Corint. 4.

p ij

R V F F I N I P R E S B. I N

nostro cantare est. Et quia hoc cantico & carmine audito multos ad fidem conuersuros vir sanctus vidit, ideo protinus addidit: *Videbunt multi & timebunt, & sperabunt in domino.* Qui cæci erant, & de Deo nihil intelligebant, attendentes & imitantes cantici noui cantatores, illuminati sunt. Videbunt ergo credentes, timebunt pœnitentes, sperabunt caelestia appetentes. Postquam homo fide illuminatus est, primus gradus ad Deum est timor, sicut scriptum est, Principium sapientiæ timor Domini. Et quanto magis quisque in se humiliatur per timorem, tanto amplius in Deo erigitur per spem. Spe autem ad inuisibilia bona erectus, incipit caelestia diligere, & despiciere terrena. Ecce fides, spes, charitas, quibus colitur Deus, & efficitur homo beatus. Vnde & subditur: *Beatus vir cuius est nomen domini spes eius.* Nomen Domini Iesus est, quod interpretatur saluator. Beatus ergo ille, qui se à Iesu saluari sperat. *Et non respexit in vanitates & insanias falsas.* Vt auaritia deseruiret, aut idola adoraret. Terrena quippe concupiscere, in vanitates respicere est. Vnde Dominus dicit in Euangelio, Nemo respiciens retrò aptus est regno Dei. Ideo in alio psalmo orat, dicens, Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Idola verò colere, lapides adorare, creaturæ potius deseruire quàm creatori, qui omnia fecit, omnia sapienti cogitatione disponit, magna & falsa insania est. Vnde fide & deuotione conuertens se ad dominum, vt corda similiter ad ipsum conuertat aliorum, qui vanitates & insanias falsas respiciunt, ait: *Multa fecisti tu domine Deus meus mirabilia tua.* Fecisti enim cælum & terram & omnia quæ in eis sunt: & hæc quidem tua, id est tibi subdita, tibi famulantia. *Et cogitationibus tuis,* Quibus omnia disponis. *Non est qui similis sit tibi.* Quis enim cognouit sensum domini? aut quis consiliarius eius fuit? Hæc tua mirabilia opera tam visibilia quàm inuisibilia, & tua incomprehensibilis sapientia, prædicant te solum colendum esse, te solum amandum, & appetendum: non istas vanitates & insanias falsas. *Annuntiaui,* Hæc nescientibus. *Et locutus sum,* scientibus. Sapientibus enim & insipientibus debitor sum. Vel annuntiaui prius per patres, & nouissimè locutus sum per memetipsum. *Multiplicati sunt super numerum.* Multi enim audita prædicatione venerunt ad societatem credentium, qui non sunt in numero electorum, teste Veritate, quæ ait: Multi vocati, pauci verò electi. Super numerum ergo prædestinatorum ad vitam, multiplicati sunt credentes. Et quia in tempore quo fides prædicata est, vetus etiam sacrificium mutatum est: ostenditur, cum subinfertur: *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi.* Ecce quomodo vir sanctus præuidebat mutandum esse sacrificium, & legem spiritualiter intelligendam. Nec factum est hoc temporibus suis, sed nostris. Ipse hoc spiritu sancto reuelate præuidebat. Nos autè sicut audiuius, sic vidimus in ciuitate domini, Ecce sacrificiū & oblationē, sicut prius cōsuetudo erat, noluit dominus. Ipse factus est nobis sacerdos & sacrificiū. Ipse est verus agnus Dei, qui immolatus est pro nobis, qui tollit peccata mundi. Transiuit vmbra, apparuit veritas: vetera transierunt, & ecce facta sunt noua. Perfecit autem nobis aures, vt quæ de lege audimus, spiritualiter intelli-

intelligamus. Has requirebat Christus, quando dicebat, Qui habet aures audiendi audiat. Aures perfecit suis discipulis, quando aperuit illis sensum, vt intelligerēt scripturas. Vel aures nobis perficiuntur à Deo, quando ad obediendum ei per omnia perfecti efficitur. Vnde scriptum est, Melior est obediētia quam victime. Perfectas aures à domino populus ille habuit, de quo alibi dominus per Psalmistam ait, Populus quem non cognoui, seruiuit mihi in auditu aures obediuit mihi. *Holocautum, & pro peccato non postulasti.* Hoc distat intra holocaustū, & sacrificium: quod hostiæ pars aliqua oblata Deo, sacrificium dicebatur. Holocautum autem totum incensum erat: videlicet quando tota hostia in sacrificio incēdebatur. Sed dominus nec minora nec maiora veteris legis sacrificia requirit, cui non iam vmbra, sed veritas grata existit: quando quidem hæc non postulauit. Quæ sunt, quæ postulauit? sequitur, & dicit: *Tunc dixi, Ecce venio.* Vox Christi est in persona sua: Tunc, id est, eo tempore, quo mihi opportunum videbatur, vt vetera in noua mutarētur: Dixi, Ecce venio, id est, deliberaui vt in manifestatione fieret aduentus meus. Huius aduentus testimonium de scriptura trahit, cum subdit conuertendo se ad Patrem, & dicendo: *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus voluit: Et legem tuam in medio cordis mei.* In primo psalmo huius libri scriptum est, vt faciam voluntatem tuam, id est, vt impleam obedientiam à te mihi iniunctam. Et sic scriptum est: Ita volui o Deus meus. Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me patris. Attende quid in capite huius libri scriptū sit de Christo. Dicitur enim ibi, Beatus vir qui non abiit & cætera. Hic autem ait, Ecce venio. Dicitur ibi: Sed in lege domini voluntas eius: hic verò ait, Vt facerē voluntatē tuā. Dicitur ibi: Et in lege domini meditabitur die ac nocte: hic autè dicit, Et legem tuam in medio cordis mei. Hæc satis æquipollentia sunt. Quod medium est, non declinat magis ad aliquam partem. Ille ergo habet legem Dei in medio cordis sui, qui mandata eius ita meditatur & seruat, vt non declinet ad dexteram, neque ad sinistram. Ille habet legem Dei in medio cordis sui, qui diligit dominum Deum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex totis viribus suis, & proximum suum sicut seipsum. Quisquis talis est, iustum profectò est, vt iustitiam, quam ipse habet, aliis prædicare non cesset. Vnde & subditur: *Annuntiaui iustitiam tuam in Ecclesia magna,* Toto orbe terrarum diffusa. Annuntiaui quòd ex legalibus institutis iustitia non fiat, sed ex te. *Ecce labia mea non prohibebo.* Si aliqui voluerint prohibere, non tacebo. Talia labia habebat Petrus, tam prompta ad prædicandam iustitiam: quando prohibitum est à principibus, ne vltra loqueretur de Iesu: & ipse viriliter respondit, Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Et quia prompta sunt labia mea ad annuntiandam veritatem, *Domine tu scisti.* Tu enim cognitor cordis, tu testis conscientie. Quicquid labia nostra loquantur, Deus semper attendit cor nostrum, & secundum illud nos iudicat. Tales ergo nos exhibere debemus, vt domino Deo nostro corde & labiis placeamus. Corde (inquit Apostolus) creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Sona labiis, propinqua

Luc. 8.
Luc. 24.

1. Reg. 15.
Psal. 17.
Heb. 10.

Leuit. 1.
Nume. 28.

Ioan. 1.

Hebr. 10.

Rom. 1.
& 9.
Phil. 4.
Genes. 22.
Psal. 131.
Ioan. 1.

Matth. 1.
Marc. 1.
Ioan. 6.
Psal. 1.

Deut. 5.
Luc. 10.

Galat. 3.

Acto. 4.
& 5.

Iob. 16.
Luc. 11.
Matth. 9.

Rom. 10.

corde, ut testem cordis tui possis inuocare dominum, dicens, *Domine in seculi*
Hi. Gloria enim nostra hæc est, testimonium conscientie nostræ. Vnde & subditur: *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo.* Sicut ille feruus piger, qui talentum abscondit in terra. Hinc dominus discipulis suis ait, *Quæcunque*
audiui a patre meo, nota feci vobis. Ideo & Apostolis præcepit, ut neque sacculum portarent. Sacculum nanque portat, qui verba diuina in corde celat. Iustitia in hoc loco intelligitur fides. Iustus enim ex fide viuunt. Creditur Abrahæ Deo, & reputatum est ei ad iustitiã. Hanc multi absconderunt in corde suo, timore mortis. Multi adhuc abscondunt Dei iustitiã, aut propter pœnã timentes, aut propter damnum. Qui autem nec pœnam, nec damnum timent, ad illos pertinent, de quibus dicitur, *Beati qui persecutionem*
patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. *Veritatem tuam & salutare tuum dixi.* Id est, Christum prædicaui, qui de seipso ait, *Ego sum veritas.* Et de quo Symeon dicit, *Viderunt oculi mei salutare tuum.* Et alibi Psalmista postulat dicens, *Salutare tuum da nobis. Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam à concilio multo.* In conciliis & synagogis ante reges & præsides cum magna auctoritate & audacia Apostoli sancti & martyres prædicauerunt misericordiam & veritatem Christi. Vis audire misericordiam Dei? Age pœnitentiam, & remittuntur tibi peccata. Vis audire veritatem? Tene iustitiam, & dabitur tibi merces æterna. Audi misericordiam simul & veritatem. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Pœnitentia pertinet ad misericordiam, regnum cælorum ad veritatem. Modò misericordia prædicatur, postea veritas exhibebitur. Rursus qui modò contemnit misericordiam, districte postea sentiet veritatem non quidem ad gloriam, sed ad pœnam. Deinde respexit ad membra saucia, & pro illis orat, dicens: *Tu autem domine, ne longè facias miserationes tuas à me,* Id est à meis. Attende peccatores, & noli longè facere ab eis tuas miserationes. Quisquis se sentit elongari à Domino per prauam vitam, per malam voluntatem, dicat deuotè, dicat lachrymabiliter, *Tu autem domine ne longè facias miserationes tuas à me.* Ego miser, Tu misericors. Multæ meæ iniquitates, sed superant tuæ miserationes. *Misericordia tua & veritas tua semper susceperunt me.* Attendo, quia misericors es: attendo, quia verax es. Amo misericordem, timeo veracem. Et sic amor & timor ducunt me ad te: quia misericordia & veritas tua semper susceperunt me. Ideo oro ne longè facias miserationes tuas: *Quoniam circunderunt me mala, quorum non est numerus.* Innumera sunt peccata mea, infinitæ sunt negligentie meæ, quæ vndique circundant, vndique impediunt. Dicamus hæc medullis cordis. Ostendamus medico nostro passiones nostras: humiliter deprecemur, ut nos suscipiat ad sanandum. Nemo se iultum putet. Teste enim Apostolo, in multis offendimus omnes. Pertinet ad nos clamare, gemere, cõfiteri: non iactare, non de meritis gloriari. Quæsi vlla sunt, quid habes quod nõ accepisti? Rectè ergo subditur: *Cõprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderẽ.* Intantũ cõprehendunt nos iniquitates nostræ;

2. Corint. 1.

Math. 25.

Ioan. 15.

Luc. 9.

Rom. 1.

Galat. 3.

Math. 5.

Ioan. 14.

Luc. 2.

Psal. 84.

Acto. 5.

Math. 4.

Apoc. 2.

Eccles. 18.

Math. 4.

Math. 9.

Math. 22.

Iaco. 3.

2. Corint. 4.

nostræ, ut etiam si velimus euadere, siue adiutorio non valeamus. Hinc alibi Psalmista dicit: *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Vnde & postulat dicens, *Conuerte domine captiuitatem nostram.* Amissa autem veritatis luce in tantam cæcitatem venimus, ut nosmetipsos ignoremus: Perpetramus mala, nec celerius deprehendimus vel perpetrata. Exclusa ab interno lumine anima nil in se nisi tenebras inuenit. Semetipsam videre perdidit, quia auctoris sui visionem contempsit. Ex amissione luminis creuit multiplicitas iniquitatis. Ideo adiungit: *Multiplicata sunt super capillos capitis mei.* Capillos capitis ad numeri multitudinem reuocat. *Quis numerat capillos?* Multo minus peccata numerat, quæ excedunt numerum capillorum. Iam non occidis, non mœcharis, non facis furtum, non dicis falsum testimonium, & cætera huiusmodi grandia peccata: moles sunt ista peccatorum. Magna præcauisti, de minutis quid agis? Proiecasti molem, vide ne arena obruaris. Sed adhuc valde grauius est, quod subiungit: *Et cor meum dereliquit me.* Hoc est, virtus cordis mei defecit, & non est idoneum ad cognoscendum se. Quotiens mente vagamur foris, delectamur terrenis, propria nostra studia relinquimus: atque inania vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus: totiens cor nostrum derelinquit nos. Quotiens non cogitamus Deum, vel ea quæ ad vtilitatem animarum pertinent: totiens amittimus cor nostrum. Vnde qui dam sapiens ait, Quocunque tempore non cogitaueris Deum, puta illud amisisse. Congruè ergo sequitur hæc oratio, qua dicitur: *Complaceat tibi Deus ut eruas me, domine ad adiuuandum me respice.* Bene ait, *Complaceat:* non enim ex meritis, sed solo beneplacito suo, sola gratia, sola bonitate sua iustificat Deus hominem. Miseretur nobis pius dominus, quia ei sic placet, non quia nos meruimus. Ideo discipulis suis ait, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Et Apostolus, gratia Dei sum id quod sum. Commendando ergo gratiam, humiliter dominum deprecatur, ut eum eruat à tot & tantis quæ præmisit malis, ut misericorditer respiciendo adiuuet in bonis. Deinde contra persecutores deprecatur, dicens: *Confundantur & reuereantur simul qui querunt animam meam.* Quid reuereantur, vel dominum, vel pœnam, qua puniendi sunt? Multi quæserunt animam Christi, sed ille potestatem habebat ponendi animam suam, & iterum sumendi eam. Illi autem gauisi sunt, cum posuit, confusi sunt cum recepit. Multi adhuc quærunt corpus Christi, & querunt animas perdere: qui profectò aut confundentur modò, ut erubescant de malis, & pœnitentiam agant, & timentes reuereantur: aut æternã confusionem postmodum patiẽtur, cum dicetur eis, *Ite maledicti in igne æternũ.* Vnde & subditur, *Auertantur retrorsum, & reuereantur qui volũt mihi mala.* Retrorsum fiant per humilitatem, qui erant erecti malè per superbiam, & qui præibant trahendo, occidendo, sequantur obediendo. Reuereantur etiam, id est timeant, & honorent Deum, qui prius blasphemabant: & sic conuertantur à mala voluntate, qua me persequebantur. *Ferant confestim confusionem suam.* Ut cito redeant ad pœnitentiam: *Qui dicunt mihi, Euge, Euge,* Id est, Bene, Bene: Irrisoria laus est. In istis tribus versibus nota tria genera persecutorum. Prius orat pro eis qui quærunt animam

Psal. 118.
Psal. 125.

Mar. 10.

Tit. 3.

Ioan. 15.
1. Cor. 15.

Ioan. 10.

Matt. 25.

Gal. 1.

eius, vt auferant eam: intelligēdi sunt illi qui aperta persecutiōe seruos Dei cōnāntur occidere. Tales fuerunt illi, qui cum gladiis & fustibus apprehēderunt Iesum, & qui posuerunt eum in cruce. Deinde orāt pro eis, qui volūt ei mala. Accipiendi sunt illi, qui nondum persequuntur aperte, sed odium & inimicitias gestant in corde: hi aliquando simulationibus & callidis vtuntur argumentis, ad decipiendum eos quos oderunt: aliquando effrenantur in verba malicia. Tales fuerunt Iudaei aduersus dominum. Postmodum orāt pro eis, qui dicunt ei, Euge, Euge: designantur illi, qui deridere solent religionem & simplicitatem iustorum. Tales etiam fuerūt in passione Christi. Isti omnes in ipsius corpore perseverant. Sicut autem non se vindicauit de illis dominus, sed pro illis orauit: sic nos non debemus de inimicis quærere vltionem, sed humilem proferre orationem, quemadmodum ipse præcepit, dicens: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & Orate pro persecuentibus & calumniantibus vos. Et quasi quis quæreret, quo fructu, qua mercede? protinus adiungit, Vt sitis (inquit) filij patris vestri qui in cælis est. Et de seipso, nobis tribuens exemplum subdidit: Qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Attende quantus honor est esse filium Dei, vt patienter feras iniurias inimici. Deinde conuertens se ad dominum, consolatur nos & admonet, dicens: *Exultent & latentur super te omnes quærentes te.* Omnes per fidem & dilectionem qui te quærunt, exultent corpore, latentur spiritu: non super se, sed super te: vt qui gloriatur, in domino gloriatur. Gemina merces nobis promissa est à domino, scilicet immortalitas corporis, atque animæ beatitudo. Propterea gemina exultatione præcipimur gaudere, cum dicitur, *Exultent & latentur.* Exultare enim ad corpus pertinet, Latari verò ad animam. Commendatur autem laus domini, cum subinfertur, *Et dicant semper, Magnificetur dominus, qui diligunt salutare tuum.* Quid enim tam laudare, tam prædicare, tam magnificare debemus, quàm Deum & patrem luminum, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum? Ipse enim primos patres nostros expectantes eum eduxit de luto facis, & statuit supra firmam petram quæ est Christus: & dedit eis opera bona, docuit canti cum nouum, illuminauit per eos alios. Dedit eis timorem & spem, trahens eos à vanitatibus falsis. Auxit eos & numero & virtute. Deinde misit filium in carnem, qui faceret voluntatem suam & annuntiaret iustitiam suam in Ecclesia magna, & misericordiam & veritatem & salutare suum, vt liberaremur ab innumeris peccatis & inimicis, & exultarem & lætarem in domino. Hæc sunt causæ iustorum, vt dicant semper, Magnificetur dominus. Sed qui hoc dicat? Qui diligunt, inquit, salutare tuum, id est filium tuum, per quem nobis æterna data est saluatio. Qui non diligit dominum nostrum Iesum Christum, non est speciosa laus in ore eius. Laudem nostram apud dominum non commendat nisi affectio & charitas. Quid autem tam diligere debemus, quàm eum à quo creati & saluati sumus? Rursus redit ad miserix & inopiæ considerationem, quam in hac peregrinatione patitur: & dicit, *Ego autem mendiculus sum & pauper.* Sed protinus

Ioan. 18.
Mat. 26.Mat. 12.
& 22.

Ioan. 8.

Mat. 27.
Iuc. 23.
Hebr. 5.

Mat. 5.

Mat. 5.

2. Cor. 10.

Iaco. 1.
1. Cor. 10.
Eph. 2.Ioan. 6.
Roma. 8.1. Cor. 16.
Ecclef. 15.

protinus redit consolatio, cum subdit, *Dominus sollicitus est mei.* Ecce mendiculus domini sumus: ad ianuam suæ misericordiæ sedemus: mendicamus & clamamus, Adueniat regnum tuum, & Da nobis panem nostrum, & Libera nos à malo. Pauperes enim sumus, nihil habemus à nobis. Ecce magna spes: dominus sollicitus est mei. Dicit aliquis in seruitio domini constitutus, Mendiculus sum, pauper sum, non habeo vnde viuam. Nolite diffidere pauperes domini. Omnem sollicitudinem vestram proiicite in eum: quoniam ipsi cura est de vobis, Et ne dicatis, Quid manducabimus? aut quo vestiemur? quoniam hæc gentes cogitant. Quid ergo faciendum? Primū quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adicientur vobis. Dominus, inquit pauper, sollicitus est mei. Ergo si dominus sollicitus est, & nos securi sumus. Sed quia iam diu expectans expectauit dominum, postulat, cum subiungit, *Adiuutor meus, & protector meus tu es, Deus meus ne tardaueris.* Expectans expectauit te dominum meum: intendisti mihi, multa beneficia largiendo: sollicitus es mei. In hac vita factus es adiutor meus in bonis, & protector in aduersis. Solus tuus mihi restat aduentus, Deus meus ne tardaueris. Quamdiu te non video, non possideo, mendiculus & pauper sum. Nihil extra te mihi sufficit. Tu expectatio mea: tu salus mea: noli morari. Vna hora desideranti, æstuanti longa mora est: Deus meus ne tardaueris.

Mat. 6.

1. Pet. 5.
Mat. 6.

Ibidem.

TITVLVS PSALMI XL.

AITVLVS sequentis psalmi est, In finem, Psalmus David. Quia iam sepe expressus est, non oportet replicari. Materia est Christus Deus & homo secundum humanitatem iniuriatus, per deitatem glorificatus. Facit tres partes in hoc psalmo. In prima parte admonet cum bonis promissionibus, vt intelligatur Christus supra hominem Deus. In secunda parte ponit causas quare quidam eum simpliciter hominem putauerunt, quia iniuriatum multis modis viderunt. In tertia parte nos reddit certos, eum plusquam hominem fuisse. Intentio est nos admonere, mediatorem Dei & hominum hominem simul extitisse & Deum: propter gloriam passionis Christi imperatoris martyrum, qui non sibi pepercit militibus imperas pugnam, sed prior pugnavit, prior vicit, vt pugnantes exemplo hortaretur, & maiestate adiuuaret, & promissione coronaret. Audiamus aliquid in isto psalmo, quod pertinet ad eius passionem. Commendamus autem sapius quod nobis utile est retinere, dominum Iesum Christum plerunque loqui ex se, id est ex persona sua, quod est caput nostrum: plerunque ex persona corporis sui, quod sumus nos & Ecclesia eius: sed ita, quasi ex vnius hominis persona sonare verba, vt intelligamus caput & corpus in vnitatem integritatis consistere, nec separari ab inuicem tanquam coniugium illud, de quo dictum est, Erunt duo in carne vna. Si ergo agnoscimus duos in earne vna, agnoscimus duos in voce vna. Audiamus ergo quod dicitur.

1. Timo. 2.

Eph. 1.
1. Corin. 12.Gene. 2.
Mat. 19.

P S A L M V S X L.

BEATVS qui intelligit super egenum & pauperē. Id est, super Christū. Super egenū & pauperē intelligere, est super humanitatem & infirmitatem Christi aliud altius cogitare. Hoc utiq; intelligendū est, quod dominus & redemptor noster cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, formam serui accipiēs, in similitudinē hominum factus

Mat. 8.
1. Cor. 8.

Philip. 2.

factus, & habitu inuētus vt homo. Diues apud patrē, pauper apud nos. Sed tamen paupertas eius diuitiæ nostræ sunt: quomodo infirmitas eius nostra fortitudo est: quomodo stultum eius nostra sapientia est: quomodo mortalitas eius nostra immortalitas est. Intelligere etiam oportet, quia paupertas & infirmitas nostri saluatoris exemplum nobis tribuit humilitatis, patientiæ, obedienciæ, mansuetudinis, charitatis. Hæc intelligere & cogitare, credere & imitari, vera beatitudo est. Et quasi quis quæreret, Quis fructus erit huius intellectus? sequitur & dicit: *In die mala liberabit eum dominus.* Id est, in die iudicij, quando puniendi sunt mali, liberabit eum dominus ab omni malo, ab omni pœna, ab omni tribulatione & angustia huius seculi, atque à potestate & tormentis diaboli & inferni: & transferet eum in libertatem gloriæ filiorum Dei. Narrat & alia beneficia, quæ dominus largitur beato viro, qui intelligit, subdens: *Dominus conseruet eum, & uiuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.* Hæc oratio promissio est. Conseruat enim dominus hunc intelligentem. Intra pericula & tentationes huius laboriosæ vitæ non finit eum perire. Non permittit tentari supra quàm ferre potest. Quicquid agat, quocunque se vertat, semper in custodia Dei est. Viuificat eum spiritu suo magis ac magis secundum interiorem hominem, vt quotidie iustius & purius uiuat in Deo. Et beatificat eum non solum in cælo, sed etiam in terra, spirituales virtutes largiendo. Iuxta quod scriptum est: Beati qui sperant in te domine, & beati qui diligunt nomē tuum. Et beati pauperes spiritu. Beati mites, beati misericordes, beati pacifici, beati mundo corde, & cætera. Promittit nobis dominus beatitudinem in futura vita: sed si diligenter attendimus, etiam in hac terra iam partem præmij possidemus. Pars utiq; magnæ felicitatis est seculum potuisse despiciere, & omnipotenti Deo seruire cœpisse, euasisse vitiorum infelicissimum dominatum, liberum esse à misera seruitute diaboli & peccati, vanarum rerum cupiditatibus non excrucitari, sceleribus non immisceri, innocenter viuere, beatæ castitati operam dare, gloriosæ paupertatis sufficiētiam possidere: nihil extra Deum quærere, in ipsius amore & contemplatione suauiter requiescere. Pensemus quantum nobis dominus pia uocatione contulerit, de quantis fraudibus, adulteriis, rapinis, periuriis, sacrilegiis, immundiciis, vitiis & peccatis liberauerit: & tunc cognoscemus quàm verum sit, quod audimus in psalmo quod dicitur: & beatum faciat eum in terra. Hunc autem intelligentem, etsi tradit aliquando Deus in manus inimicorum eius, vt habeant potestatem occidendi corpus, nunquam tradit eum in animas, id est, in volūtates inimicorum: vt scilicet possint eum facere suis iniquis voluntatibus obedire. Vnde sancti Martyres etiam in suis passionibus victores extiterūt, quia & si potuerunt corporaliter occidi, nunquam tamē animo potuerunt frangi. Illi verò qui occiderūt, victi sunt: quia quod voluerunt implere, minimè potuerūt. Hinc est quod in mortibus Martyrum non ploramus, sed cantamus quia videlicet de triumpho exultamus. Nec annūtiamus mortes, sed natalicia: quia martyrio felicitè renati, cœperunt beatè viuere in gloria. Dicatur ergo rectè, Et non tradate eum in animam

animam inimicorum eius. Sequitur aliud magnum donum. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius.* Per lectum doloris, intelligitur caro nostra, quæ dolet infirma. Quomodo aliquis iacet & requiescit in lecto suo, ita animus infirmus iacet & requiescit in carne sua. In carnalibus enim delectatur voluptatibus. Humana quippe natura eo ipso quo creata est in infirmitate, semper habet deficere, atque indefinenter ad deteriora labitur: nisi ope diuinæ gratiæ sustentetur. Portabat te lectus, non portabas lectum. Paralyticus intus eras. Adest qui dicat tibi, Tolle grabatum tuum, & vade in domum tuā. Et quasi quæreretur, Quare ergo cum opem ferat nobis Deus, tanta mala patimur in hac vita, tantos labores, tantam inquietudinem carnis & seculi? conuertit se ad dominum: & tanquam consilium nobis medicinæ exponens, adiunxit: *Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Per stratum corpus cum mente vult intelligi. Vniuersum dicit secundum omnes sensus, vt secundum carnem & secundum mentem, tam interius quàm exterius intelligas hominem infirmatum. Lectus carnis infirmatur per famem, per sitim, per frigus, per calorem, per passionem, per dolorem, per corruptionem, per mortalitatem, & innumeris aliis modis. Stratus mentis infirmatur per ignorantiam, per stultitiam, per hebetudinem, per timorem, per superbiam, per vanam gloriam, per inuidiam, per iram, & modis aliis multis. Hæc autem infirmitas pœna est peccati. Quia homo noluit fortis esse in Deo, infirmatus est in seipso. Quia carne & spiritu delectatus est, carne & spiritu punitus est. Dicatur ergo, Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius. Propterea adhuc in hac infirmitate relinquitur, etiam si originale peccatum, propter quod punitus est, remittatur: ne iterum possit superbire, & culpam quam fecit valeat obliuisci. Malus seruus est: semper oportet teneri sub flagello. Sed iam flagellatus postulat misericordiam, postulat sanitatem, de superbia ad humilitatem redit. Confiteatur peccatum suum, dicens: *Ego dixi, Deus miserere mei: sana animam meam, quia peccaui tibi.* Ego dixi, inquit. Non abscondi peccata mea, non tacui cōfessionem: sicut quidam tacuit & ideo inueterata sunt ossa eius. Quoniam qui, malum quod gessit, non aperit, eas etiam virtutes, quas habet, perdit. Veræ humilitatis indicium, est culpam suam recognoscere, atque eandem voce confessionis aperire. Ideo præcipit dominus noster, vt peccata nostra sacerdotibus confiteamur: vt videlicet confitendo humiliemur, & per humilitatis meritum percipiamus remissionem peccatorum. Superbis enim resistit Deus, sed humilibus dat gratiam. Magnus est cōfessionis fructus. Dicit quidam pœnitens in alio psalmo, Dixi, confitebor: & tu remisisti impietatem peccati mei. Attende quàm velox est misericordia Dei homini confitenti. Nondum confiteatur, sed deliberatum habet in corde suo vt confiteatur, & ideo à peccato mundatur. Hoc significat quod dominus leprosis præcipit dicens: *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Et cum irent in via, sanati sunt. Publicanus quid ait? Deus propitius esto mihi peccatori. Descendit iustificatus. O beata confessio! quanti per te mundantur, sanantur, iustificantur! Igitur vnusquisque nostrum dicat humiliter, dicat lachrymabiliter, dicat ex affectu, dicat ex corde: *Ego dixi, Deus miserere mei: sana animam meam*

meam, quia peccavi tibi. Quid est, Peccavi tibi? peccavi coram te, vel contra te. Quid est peccavi tibi: rationem tibi redditurus pro peccato. Talia dicunt amici confitendo. Audiamus quid dixerunt inimici errando: *Inimici mei dixerunt mala mihi.* Hæc verba proprie pertinent ad caput. Ac si dicat, Ego veni, mediator Dei & hominum. Sed inimici hoc non attendentes, & me hominem tantum non Deum esse credentes, dixerunt hæc mala mihi, id est, de me. *Quando morietur, & peribit nomen eius?* Optabant enim ut moreretur, & nomen eius deleteretur de terra. Mortuus est Christus, & admirabile factum est nomen eius. Granum frumenti cadens in terra mortuum est, & inde amplius multiplicatum. Sic etiam corpus Christi crescere consuevit in tribulatione. Dicebant inimici Iudæi: *Quando morietur? Quando poterimus eum occidere?* Et sic peribit nomen eius, id est fama eius. Facit etiam mentionem de traditore suo Iuda, qui caput erat inimicorum, cum subiungit: *Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur, cor eius congregavit iniquitatem sibi.* Ingredebatur tanquam fraudulentus, tanquam explorator, tanquam insidiator: non ut imitaretur, sed ut videret quid posset reprehendere, quid accusare, quid calumniari. Cor eius tractabat de morte Christi, & sic congregabat iniquitatem sibi. Melius enim erat ei, si natus non fuisset homo ille. Quod passum est caput, patiuntur & membra. Si me (inquit) persecuti sunt, & vos persequentur. Apostolus dicit, Propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram. Hi sunt hypocritæ, simulatores mali, adiungentes se ficta charitate, captantes omnes motus, omnia verba sanctorum, in omnibus laqueos inquirentes. Tales multi inveniuntur intra societatem fratrum, qui spiritualia studia relinquentes, torpentes otio, appetunt quotidie audire & videre & loqui vanitatem: totum diem expendunt in fabulis, in curiositate, in stultitia. Præuis etiam concupiscentiis atque illicitis cogitationibus animum subiugantes, corde congregant iniquitatem sibi, id est ad detrimentum suum. Sibi congregauerunt, non mihi, quomodo Iudas sibi, non Christo. *Egredebatur foras, & loquebatur in idipsum.* Egredebatur ad Iudæos, & loquebatur in idipsum, id est vno consilio, vna conspiratione. De talibus dicit Apostolus: A nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Siue intus sint, siue foris, semper hoc loquuntur, quod pertinet ad vanitatem, & semper congregant sibi iniquitatem & damnationem. Multi sunt intus corpore, & foris corde: sicut de quibusdam Israëlitis dicitur, quia corde reuersi sunt in Ægyptum. Et alibi dicit quidam in psalmo: *Et cor meum dereliquit me.* Qui quis mente vagatur & inania cogitat, ipse foras egreditur. Si autem id quod inutile & vanum est, cor nostrum delectabiliter meditatur, id ipsum & lingua nostra libenter loquitur. Vis scire de fratre, quale cor habet? Attende vnde libentius loquatur. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Et bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona, & malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala. Custodiamus fratres introitum nostrum, maneamus intus, & magnam ex istis verbis attendamus ædificationem nostram. Prius dixit, Ingredebatur, nec dixit ut ageret, sed videret: iam notatur vagatio oculorum & curiositas, quod vitium

tium vehementer solet nocere conuersis. Audi aliud vitium. Vana loquebatur. Audi tertium. Cor eius congregavit iniquitatem sibi. Peruersæ cogitationes separant à Deo. Hæc tria studia sunt otiosorum in claustro: vagatio oculorum, superfluitas verborum, peruersitas cogitationum. Hæc tria vitia eiiciunt fratrem de claustro. Ad hoc autem foras libenter egreditur, ut vanitatem quam in corde gestat, extrà licentius videat & loquatur. Egressus Iudas locutus est ad Iudæos. Sed quid illi? *Aduersum me susurrabant omnes inimici mei: aduersum me cogitabant mala mihi.* Quæ aduersa mihi erant & nociua, secretis consiliis & cogitationibus exquirebant. Timebant enim, ne fortè tumultus fieret in populo. Sciendum autem est, quia susurrare magnum peccatum est. Hinc per quendam sapientem dicitur: *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes.* *Verbum iniquum constituerunt aduersum me.* Constituerunt enim ut aduersus Iesum falsum diceretur testimonium. Verbum etiam iniquum fuit, quando dixerunt, *Crucifigatur.* Et, *Reus est mortis.* Ipsi de me ita fecerunt. Sed, *Nunquid qui dormit non adiciet ut resurgat?* Ille qui tam facile potest resurgere à morte, quàm facile potest dormiens excitari à somno, nunquid non adiciet morti suæ ut resurgat? Nunquid non resurget ille qui ait, *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam?* Et Adam dormiuit, quando de latere eius Eva formata est. Adam in figura Christi: Eva in figura Ecclesiæ. Dum dormisset Christus in cruce, de latere eius sacramenta Ecclesiæ fluxerunt. Et vnde dormiuit? Ex illo qui ingressus est ut videret. *Etenim homo pacis meæ in quo speraui, qui edebat panes meos: magnificauit super me supplantationem.* Nō fuit mirum, si inimici mei cogitabāt aduersum me mala mihi: quia & homo pacis meæ, id est Iudas cum quo pacem habebā, & qui se pacificum simulabat: in quo speraui, quantum ad æstimationem hominum. Putabant enim quod ei multum crederem, & in eo multum confiderem, qui edebat panes meos, id est cui ego intinctum panem portexi: vel panes meos spirituales edebat, quia quotidie prædicationem meam audiebat. Maiorem supplantationem super me magnificauit, quàm alij: quia etiam osculo tradidit. Nolite æstimare fratres ut illi qui ad conuersationem veniunt, & habitum sanctæ religionis assumunt, omnes sint sancti, omnes sint religiosi. Et Iudas inter Apostolos Apostolus erat: sperabatur quod factus esset: & ipse fur erat & latro. Sed quomodo eum Christus patienter sustinuit, ita si nos aliquos habemus simulatores, qui sedeant ad mensam nostram, qui sint nobis cōiuncti: in osculo pacis æquanimiter exemplo domini nostri tolerandi sunt: quia qui malum non tolerat, ipse per impatientiam suam sibi testis est, quia bonus non est. Quod si aliquis talis patienter à nobis toleratur: illi quidem detrimentum magnum est, nobis autem propter virtutem patientiæ magna merces à domino reddetur. Scire autem debemus quia sicut laudabile valde est, & ad magnam perfectionem pertinet bonum esse inter malos: ita è contrario valde detestabile est, & ad magnam peruersitatem pertinet malum esse inter bonos. O quàm gloriosum est & acceptabile Deo, si intra multos superbos vnus est humilis, intra multos iracundos vnus est mitis, intra multos lu-

xuriosos vnus est castus, intra multos inordinatos vnus est religiosus! Ita nimis turpe est & vehementer Deo displicet, cum intra multos humiles vnus est superbus, intra multos castos vnus est immudus, intra multos mansuetos vnus est iracundus, intra multos religiosos vnus est peruersus. Tolerandus est, quia dominus præcepit: sed ipse iram Dei non effugiet. Et sicut bonus pro sua laudabili perfectione maiorem quam cæteri homines recipiet à domino retributionem: ita iste cum Iuda traditore maiorem recepturus est damnationem. Magnificauit enim super Christum supplantationem, quia membra eius à bono proposito studuit peruerso exemplo suo supplantare. Christus tamen non se modò vindicat, sed patienter tolerat & orat. In futuro tamen mala quæ faciunt, nisi modò resipuerint, malis est redditurus. Et ideo dicit: *Tu autem domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis.* Vt hoc sit misereri, vt me à morte resuscites: & retribuam eis in futuro. Omnes ante tribunal Christi astabimus, rationem reddituri, & recepturi secundum quod vnusquisque gessit in corpore, siue bonum siue malum. Scio autem quia resuscitabit me. Et ponit causam vnde sciat, cum subiungit: *In hoc cognoui quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.* Quali me superato. Quia gauisi sunt Iudæi, quando viderunt Christum crucifixum. Implese se arbitrati sunt voluntate nocendi, effecto fructu salutis. Viderunt Christum in cruce pendentem, mouerunt caput, dicentes: Si filius Dei es, descende de cruce. Non descendebat, qui poterat. Non impotentiam demonstrabat, sed patientiam docebat. Si enim hæc illis dicentibus de cruce descenderet, his quasi insultantibus cessasse videretur, & victus, opprobria tolerare non potuisse crederetur. Magis mansit in cruce illis insultantibus, fixus illis nutantibus. Ideo enim caput agitabant, quia capiti non hærebant. Docuit nos planè patientiam. Nam quod est fortius, fecit, qui noluit facere quod Iudæi prouocabant. Multo est enim potentius de sepulchro surgere, quam de cruce descendere. Quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Gauisi sunt ergo, sed resurrexit Christus, glorificatus est Christus. Vident modò in nomine eius conuerti genus humanum: modò insultent, modò caput agitent, imo iam caput figant. *Acce autem propter innocentiam suscepisti.* Me flagellatum sine merito, occisum sine debito, propter innocentiam, propter integritatem, sine peccato, suscepisti sanandum, quemadmodum medicus ægrotum. *Et confirmasti me,* Dando immortalitatem & impassibilitatem. *In conspectu tuo.* In maiestate & diuinitate tua. *In æternum.* Quia Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Ecce propter innocentiam Christus suscipitur, susceptus in æternum confirmatur. Attendite fratres, via ad dominum innocentia est. Hinc alio psalmo quæsitum est. Quis ascendet in montem domini? Et continuo adiunctum est: Innocens manibus & mundo corde. Ille innocens est, qui nec sibi nocet, nec alteri. Attendamus igitur caput nostrum in infirmitate nostra positum. Beatus enim qui intelligit super egenum & pauperem: & discamus in illo virtutem innocentie, qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniuste.

iniuste. Tanquam ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tonde-
dente se, non aperuit os suum. Rectè ergo ait, Me autem propter innocentiam
suscepisti, & ideo merito confirmatus est in æternum. Hoc fecit, hoc docuit,
hanc eius innocentiam prout possumus, imitemur: vt non regnet in nobis
peccatum, vt cum capite nostro suscipi à Deo patre & confirmari mereamur
in æternum. Et ne ingrati simus, agamus ei gratias pro tantis suis benefi-
ciis, & toto corde, tota deuotione dicamus quod subditur: *Benedictus domi-
nus Deus Israel.* Inde sit benedictus & laudatus, tanquam dominator, creator
Israel, id est videntium eum per fidem, & credentium videre eum per spe-
ciem: qui intelligunt filium eius Deum esse & hominem. Et ista benedictio
incipiat *ab hoc seculo, & duret usque in seculum* subsequendum. *Fiat, fiat.* Hic
habetur in Hebræo, Amen, amen. Quæ verbi replicatio indissolubilem signi-
ficat confirmationem. Qua verbi repetitione ipse dominus vnus est in Euan-
gelio, vbi ait: Amen, amen dico vobis: ad confirmandam videlicet sententiam
suam. In quo donat nobis intelligere, quia quod sic veritas duplicat, con-
stanter affirmat.

T I T V L V S P S A L M I X L I.

HISTE Psalmus intitatur hoc modo, *In finem, intellectus filii Chore.* Sic est
titulus in psalmo, quomodo clavis in domo. Sicut enim per clauem referatur
domus, vt interiora videantur: ita per titulum aperitur psalmus, vt
spiritualia quæ intus sunt, intelligantur. Magni sacramenti res est vt Chri-
stiani appellentur filii Chore. Dicti sunt enim Christiani filii Crucifixi. Per Chore autem acci-
pitur Christus, quia Chore interpretatur caluaria: & in loco Caluaria crucifixus est Christus.
Locus vero ille, sicut quidam dicunt, ideo caluaria appellatus est, quia rei solebant ibi decalua-
ri & decapitari. Igitur intellectus iste quem sequentis psalmi voces nobis generant, attribui-
tur filio Chore, id est filio crucis: directus in finem, id est ad summam beatitudinem perueni-
re desiderantibus. Materia iustus est secundum vtraque vim anima. Vel materia potest
dici desiderium summi boni. In prima parte ostenditur iustus secundum vim superiorem a-
nima Deum desiderare, caelestia sola appetere, aduersitates huius vitæ non timere. In secun-
da parte per illam vim superiorem animalitatem confortare, quæ citò mouetur à tribulatio-
ne. Vox est perfectorum se in hoc psalmo spe futura beatitudinis consolantium, & tribulatio-
nem huius vitæ patienter tolerantium. Attendunt enim non esse condignas passiones huius tē-
poris ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Horum intentio est nos hortari, vt in tribu-
lationibus positi, exemplo suo nos ipsos consolemur, atque in pressura spe futura remuneratio-
nis non deficiamus. Desiderium suum in principio psalmi, qui in finem tendere desiderant,
sic exponunt: Vox perfectorum.

P S A L M V S X L I.

QUEM AD MODVM desiderat cervuus ad fontes aquarum, ita desiderat
anima mea ad te Deus, Dicitur natura esse cerui, vt serpente flatu
suo extrahat, atq; ipsum ad renouationem suam transglutiat. Quo
absorpto tanta siti propter venenum inardescit, quod non suffi-
q ij

cit ei de vno fonte potasse, sed ad plures currit. Ad hunc modum se perhibet hæc anima perfecta Deum desiderasse, dicens: Quemadmodum, id est, quàm ardentem, desiderat & festinat ceruus absorpto serpente, nõ ad vnum tantum, sed ad plures aquarum fontes: ita ad illum modum, & ardore & feruore anima mea absorptis vitis desiderat peruenire ad te. Quia sicut plures fontes sitim cerui refrigerant, ita tu eris mihi refrigeriũ multarum miseriarum: vt per te deponam omnem vetustatem peccati, & in nouitate reformer spirituali. Quoniam apud te est fons vitæ, ad quem tu ipse animas inuitare dignatus es, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Et iterum, Qui bibit ex aqua quam ego do, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Ideo. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.* Hic fit conuersio personæ ad auditores: vt admoneantur & ædificentur. Hoc enim habent iusti propriũ, vt in omne quod dicunt aut faciunt, non suum tantum, sed aliorum profectum quærant. Deus est fons viuus, fons indeficiens. Vel fortis & viuus, id est incorruptibilis & immortalis. Curre ad fontem, vel fortem viuum. Cursus tuus sit affectus tuus. Cursus tuus sit desiderium tuum. Sed noli vt cunq;, noli vt qualecunque animal currere: vt ceruus curre. Ceruus intereptis serpētibus maiore siti inardescit, ad fontes acrius currit. Serpētes vitia tua sunt. Consume serpentes iniquitatis, tunc amplius desiderabis fontem veritatis. Sed audiamus quid foelix anima ista sitiuit. *Quando veniam & apparebo ante faciem dei?* Quando veniam? Quod citius est, tardum desiderio est. Hoc est autem quod sitio, venire & apparere. A postolus ait, Filij Dei sumus, sed nondum apparet quod erimus. Scimus autem quoniam cū apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est. Hoc est quod sitio. Sitio in peregrinatione: sitio in cursu, satiabor in aduentu. Vnde alibi dicit: Satiabor cū apparuerit gloria tua. Interim dum meditor, dum curro, dum in via sum, antequam veniam, antequam appaream: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus?* Fuerunt mihi, inquit, lachrymæ meæ nõ amaritudo, sed panis. Suaues erāt ipse lachrymæ. Sitiens illum fontem, quia bibere nondum poteram, auidius meas lachrymas mādūcabam. Nõ enim dixit, factæ sunt mihi lachrymæ meæ potus, ne ipsas desiderasse videretur, sicut fontes aquarũ: sed seruata illa siti, qua inardesco ad fontes aquarum, panis mihi factæ sunt lachrymæ meæ, dum differor. Et vtique manducādo lachrymas meas, sine dubio plus sitio fontes. Die quippe & nocte factæ sunt lachrymæ meæ panis. Cibum istum qui panis dicitur, die comedunt homines. Noctē dormiūt. Panis lachrymarum die ac nocte comedunt, siue totum accipias diem & noctem, siue diem intelligas pro huius seculi prosperitate, noctem verò pro huius seculi aduersitate. Siue inquit, in prosperis rebus seculi, siue in aduersis rebus seculi, ego desiderij mei lachrymas fundo. Ego desiderij mei auiditatem non desero. Et cū in mundo bene est mihi, malè est antequam apparebo ante faciem Dei. Quid ergo diei quasi gratulari me cogis? Si aliqua huius seculi prosperitas arriserit, nonne deceptoriam est? nonne fluxa, caduca, mortalis, volatica, transitoria? Nonne plus habet deceptionis, quàm delectationis? Cur ergo non ob & ipsa

Roma. 6. &

12.

Psal. 37.

Ioan. 7.

Ioan. 4.

1. Timot. 6.

Prover. 13.

1. Ioan. 3.

Psal. 16.

ipsa fiat lachrymæ meæ panis? Si quidem & cū foelicitas seculi circumfulget, quādiu sumus in hoc corpore, peregrinamur à domino. Et dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus? Quia paganus si mihi hoc dixerit, non illi & ego possum dicere, Vbi est Deus tuus? Deum quippe suum digito ostendit. Intendit enim digitum ad aliquem lapidem, & dicit, Ecce est Deus meus. Vbi est Deus tuus? Cū lapides irrifero, & erubuerit qui demonstraui, tollit se à lapide, suspicit cælum, & forte in solem digitum intendens iterum dicit, Ecce Deus meus. Vbi est Deus tuus? Inuenit ille quod ostēdit oculis carnis. Ego autem non quasi non habeo quem ostendam, sed non habet ille oculos, quibus ostendam. Potuit enim ille oculis corporis mei ostendere Deum suum solem, quibus ego oculis ostendam solis creatorem? Veruntamē audiēdo quotidie, Vbi est Deus tuus? & in lachrymis meis quotidianus pastus die ac nocte, meditatus sum quod audiui, Vbi est Deus tuus? Quæsiui etiam ipse ego dominum meum, vt si possem, non tantum crederem, sed aliquid & viderem. Video enim quæ fecerit Deus meus, non autem video ipsum Deum meum qui fecit hæc. Sed quoniam sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, & est apud Deum fons vitæ: & in intellectum scriptus est ipse psalmus filiis Chore, & inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: quid agam, vt inueniam Deum meum? Considerabo terram: facta est terra. Est magna pulchritudo terrarũ, sed habet artificem. Magna miracula sunt seminum atq; gignentium, sed habent ista omnia creatorem. Attendo magnitudinem circumfusi maris: stupeo, miror, artificem quero. Cælum suspicio: pulchritudinē syderum admiror, splendorē solis exendo diei sufficientem, lunam nocturnas tenebras consolantē. Mira sunt hæc, laudanda sunt hæc, vel etiam stupenda sunt hæc. Neq; enim terrena, sed etiā cælestia. Nondum tamen stat sitis mea: hæc miror, hæc laudo: sed eum qui fecit hæc, sitio. Redeo ad meipsum, & quis sim etiam ipse intra talia quæro, perscrutor: & inuenio me habere corpus & animam: vnum quod regat, alterum quod regatur. Corpus seruire, animam imperare. Discerno aliquid melius esse animam quàm corpus: ipsumq; inquisitorem talium rerum non corpus, sed animam video. Et tamen hæc omnia quæ collustravi, per corpus ea me collustrasse cognosco. Terram laudabam, oculis cognoueram. Cælum, sydera, solem, lunamq; laudabam: oculis cognoueram. Oculi membra sunt carnis, fenestræ sunt mētis. Interior est, qui per has videt, qui quando cogitatione aliqua absens est, frustra patet. Deus meus qui fecit hæc quæ oculis videam, non est istis oculis inquirendus. Aliquid etiam per seipsum animus ipse conspiciat, vtrũ sit aliquid quod nõ per oculos sentiat, quasi colores & lucem: non per aures, quasi cantus & sonum: nõ per nares, quasi odorum suauitatem: non per palatum & linguam, quasi saporem: non per totum corpus, quasi duritiā & mollitiem, rigorem atque feruorem, asperitatem lenitatemque pertractem: sed vtrum sit aliquid quod intus videat. Quid est, intus videat? Quod neque color sit, neque sonus, neque odor, neque sapor, neque calor, aut frigus, aut duritiā, aut mollitudo. Dicatur ergo mihi quem colorem habeat sapientia. Cogitamus iusti-

1. Cor. 5.

1. Timot. 6.

Roma. 1.

tiā eius, quia intus in ipsa cogitatione pulchritudine fruimur. Quid tanquam sonus ad aures? Quid tanquam vapor surgit ad nares? Quid ori inferatur? Quid manu tractatur? Et delectat, & intus est, & pulchra est & videtur, & laudatur. Et si in tenebris sunt oculi isti, animus illius luce perfuitur. Quid est illud quod Tobias videbat, quando videnti filio cæcus vita consilium dabit? Est ergo aliquid, quod animus ipse corporis dominator, rector, habitator videat, quod non per oculos corporis sentiat, non per aures, non per nares, non per palatum, non per corporis tactum: sed per seipsum. Et utique melius quod per seipsum, quam quod per feruum suum est profusus. Seipsum enim per seipsum videt, & animus quoque ipse ut norit se, videt se. Nec utique ut videat se, corporalium oculorum quatit auxilium. Imò vero ab omnibus corporis sensibus, tanquam impediētibz & perstreptentibus abstraxit se ad se, ut videat se in se, ut nouerit se apud se, collegit se. Sed nunquid tale aliquid Deus ipse est, qualis est animus? Non quidem videri Deus, nisi animo potest: nec tamen ut animus videri potest. Aliquid enim quatit animus iste, quod Deus est, de quo illi non insolent, qui dicunt, Vbi est Deus tuus? Aliquam quatit incommutabilem veritatem, sine defectu substantiæ. Non est talis ipse animus, deficit, proficit: nouit, ignorat: meminit, obliuiscitur: modò illud vult, modò non vult. Ista mutabilitas non cadit in Deum. Si dixerò, Mutabilis est Deus: insultabunt mihi qui dicunt, Vbi est Deus tuus? Quærens ergo Deum meum in rebus visibilibus, & non inueniens: quærens eius substantiam in meipso, quasi aliquid sit, & qualis ego sum, neque inueniens: quæro aliquid super animam meam, & ecce sentio Deum meum, Ergo ut eum tangerem, *Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam.* Quando anima mea contingeret quod super eam quatitur, nisi anima mea super seipsam effunderet se? Si enim in seipsa remaneret, nihil aliud quam se videret. & cum se videret, non utique dominum suum. Dicat iam insultatores mei, Vbi est Deus tuus? Dicam ego quandiu non video, quandiu differor, Manducabo die ac nocte lachrymas meas. Dicant illi adhuc, Vbi est Deus tuus? Quæro ergo Deum meum in omni tempore, siue in terrestri, siue in caelesti: & non inuenio. Meditatus sum tamen inquisitionem Dei mei, & per ea quæ facta sunt, inuisibilia Dei mei cupiēs intellecta conspicerē. Effudi super me animam meā. Et non iam restant quæ tangam, nisi Deum meum. Ibi enim domus Dei mei super animam meam. Ibi habitat, inde me creauit, inde me gubernat, inde me consulit, inde me expectat, inde me vocat, inde me dirigit, inde me ducit, inde me perducit. Ille enim qui habet altissimam in secreto domum, habet etiam in terra tabernaculum. Tabernaculum eius in terra, Ecclesia eius est, adhuc peregrina. Sed inquirēdus est qui in tabernaculo inuenitur, via qua peruenitur ad domum. Etenim cum effunderem super me animam meam, ad attingendū Deum meum, quare hoc feci? *Quoniam ingrediar in locum tabernaculi.* Nam extra locum tabernaculi errabo quærens Deum meum. *Quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, usq; ad domum Dei.* Ecce

Ecce quanta admiror in tabernaculo. Tabernaculum enim Dei mei in terra, homines sunt fideles. Admiror in eis ipsorum membrorum obsequium, quia in eis non regnat peccatum ab obediendum desideriis eius, nec exhibent membra sua arma iniquitatis peccato: sed exhibent Deo viuo in operibus bonis: animæ seruiēti Deo viuo membra corporalia militare admiror. Respicio & ipsam animam obediētem Deo, distribuentē Deo opera actus sui, frānāre cupiditates, pellentē ignorantia, extendētem se ad omnia dura & asperatoleranda. Iustitiā & charitatem impendentē cæteris. Miror & istas virtutes in animo, sed adhuc in loco tabernaculi ambulo. Transeo & hæc & quamuis admirabile sit tabernaculum, super eum venio usque ad domum Dei. Dum miratur membra tabernaculi, ita perductus est ad domum Dei, quandā dulcedine sequendo interiorē, nescio quam occultā voluptatem: tanquam de domo Dei sonaret suauiter aliquod organum. Et cum ille ambularet in tabernaculo, audito quodam interiore sono, deductus dulcedine Dei, sequens quod sonabat, abstrahens se ab omni strepitu carnis & sanguinis, peruenit usque ad domum Dei. Nam viam suam & ductum se sic ipse commemorat, quasi diceremus ei: Miraris tabernaculum in hac terra, & quomodo peruenisti ad secretum Dei? *In voce, inquit, exultationis & confessionis, sonus epulantis.* In domo Dei festiuitas sempiterna est. Non enim ibi celebratur aliquid & transit: festum sempiternum, chorus angelorū, vultus præfens Dei, latitia sine defectu, dies festus ibi ita est, ut nec aperiatur initio, nec sine claudatur. De illa æterna & perpetua festiuitate sonat nescio quid canorum, & dulce auribus cordis. Sed si non perstrepat mundus ambulanti in hoc tabernaculo, & miracula Dei in redemptione fidelium considerati, mulcet aurē sonus festiuitatis illius, & rapit ceruum ad fontes aquarū. Sed quia, fratres, quādiu sumus in corpore, peregrinamur à domino: & corpus quod corrūpitur, aggrauat animā, & deprimat terrena inhabitatio sensum multa cogitantē. Et si utcunque nebulis diffugatis ambulando per desiderium ad hunc sonum peruenerimus, interdum aliquid de illa domo nitēdo carpinus: onere tamen quodā infirmitatis nostræ ad consueta recidimus, & ad solita ista dilabimur. Et quomodo ibi inueneramus vnde gauderemus, sic hinc non deerit vnde gemamus. Etenim iste ceruus manducans die ac nocte lachrymas suas, raptus desiderio ad fontes aquarū, interiorē scilicet ad dulcedinem Dei, effundens super se animā suam, ambulans in loco tabernaculi admirabilis usq; ad domum Dei. Et ductus interioris & intelligibilis soni iocunditate, ut omnia exteriora contēneret, & ad interiora raperetur: adhuc tamē homo est, adhuc hinc gemit, adhuc carnē fragilē portat, adhuc inter scāda la huius mundi periclitatur. Respexit & ad se, tāquā inde veniēs, & ait sibi, cōstitutus inter has tristitias: cōparās hæc illis, ad quæ vidēda ingressus est, & quæ post visa egressus est. *Quare, inquit, tristis es anima mea? Et quare cōturbas me?* Ecce iā quādā interiore dulcedine latari sumus. Ecce acie metis aliquid incōmutabile (et si strictim & raptim) perspicere potuimus: quare adhuc quod tristis es anima mea? Nō enim dubitas de Deo tuo. Nunquid enim non est quod tibi dicas contra illos qui dicunt, Vbi est Deus tuus? Iam aliquid

1. Corint. 3.
& 6.
Rom. 6.

2. Corint. 5.
Sapient. 9.

incommutabile per sensu: quare adhuc conturbas me? *Spera in Deo.* Et quasi responderet illi anima eius in silentio: Quare conturbo te, nisi quia nōdum ibi sum, ubi est dulce illud, quō sic rapta sum quasi per transitum? Nunquid iam bibo de fonte illo, nisi metuens? Iam nullum scādalum pertimesco: iam de cupiditatibus omnibus tanquam edomitis victisque secura sum. Nonne aduersus me diabolus vigilat? Hostis meus nōne laqueos mihi quotidie deceptionis intendit? Non vis conturbē te posita in seculo, & peregrina adhuc à domo Dei mei? *Spera in Deo, respondit conturbanti se animæ suæ, & quasi rationē reddenti perturbationis suæ propter mala, quibus abundat hic mūdus: Interim, inquit, habita in spe. Spes enim quæ videtur, non est spes. Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. Spera in Deo. Quare speras in Deo? Quoniam adhuc confitebor illi. Quid ei confiteberis? Salutare vultus mei & Deus meus.* A me mihi salus esse non potest. Propter hoc dicam hoc, confitebor. Salutare tuum ô Deus pater, est vultus mei, videlicet est homo: sicut scriptum est, Formam serui accipiens, & habitu inuentus ut homo: & est etiam Deus. Rectē autē filium tuum dico salutare tuum: quia per eum hominem factum æternam nobis operatus es salutem. Et quasi diceret aliquis: Cur ita improperas, & videris irasci animæ tuę dicens, Quare tristis es anima mea? & cætera. Respondit: *Ad meipsum anima mea.* Id est, animalitas & sensualitas, scilicet illa pars animæ inferior, quæ animat & viuificat corpus, *Conturbata est,* Propter tribulationes quæ mihi inferuntur: & non inde culpādus est auctor, sed ad meipsum ferendum, id est meo vitio est retorquendum. Ergo quia ad me turbata est anima mea, & hanc perturbationem fecit superbia: *Propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermoniim, à monte modico.* Vnde sum memor tui? A monte paruo, & de terra Iordanis, id est baptismo ubi est remissio peccatorū. Etenim nemo currit ad remissionē peccatorū, nisi qui displicet sibi. Nemo currit ad remissionē peccatorū, nisi qui se confitetur peccatorē. Nemo se confitetur peccatorem, nisi qui se humiliauerit Deo. Ergo de terra Iordanis memor ero tui, & de monte paruo, ut tu facias magnū. Quoniā qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Si autē interpretationem nominum quæras, Iordanis est descēssio eorū. Descēde ergo, ut leueris. Noli extolli, ne elidaris. Et de Hermoniim monte paruo. Hermon anathematissatio interpretatur. Anathematissa teipsum, displicendo tibi. Displicebis enim Deo, si placueris tibi. Ergo quia Deus omnia bona nobis præstat, quia ipse bonus est, non quia nos digni sumus: quia ille misericors, non quia in aliquo promeruimus: de terra Iordanis memor ero tui. Propterea etiam memor ero tui: quia *Abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum.* Abyssus profunditas quædam est impenetrabilis, incomprehensibilis. Putamus non cor hominis abyssus est? Quid enim profundius hac abyssō? loqui homines possunt, videri possunt per operationem membrorum, audiri in sermone: sed cuius cogitatio penetratur? Cuius cor inspicitur? quid intus gerat, quid intus possit, quid intus agat, quid intus disponat, quid intus velit, quid intus nolit, quis comprehendit? Abyssus abyssum inuocat, homo hominem lucratur. Non tamen in

voce

voce sua, sed in voce cataractarum tuarum, id est, prædicatorum tuorum, qui per vocem suam regni cælestis nobis aperiunt claritatem. Cataractæ enim dicuntur fenestræ. Tamen secundum quosdam cataractę dicuntur propriè aquæductus vnde ebullit aqua. Tales sunt sancti prophetæ & Apostoli, à quibus nobis defluit vera doctrina. Vel in voce cataractarum, id est, prædicantium inuocat abyssus abyssum: quia verba quæ prædicant, ex nouo & veteri testamento confirmant. Abyssus inuocat abyssum, quia duo testamenta quoddam sibi mutuò conferunt adiumentum: quia vetus est prophetia noui, & nouum veteris est expositio testamenti. Audita autem prædicatione. *Omnia excelsa tua,* Id est, omnia iudicia tua alta, inuestigabilia, & *fluctus tui,* Id est, comminationes tuæ, terrentes & tundentes. *super me transferunt.* Superauerunt me & in imo demerferunt: sed tamen transferunt. Recessit ira, venit misericordia. Transferunt fluctus, venit tranquillitas. Agitabatur nauicula ventis, operiebatur fluctibus: Exclamauerunt periclitantes Deo, Salua nos: Et ipse imperauit fluctibus & mari, & facta est tranquillitas magna. Vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia: quia in ira sua non continuit misericordias suas Deus. Vnde & subditur: *In die mandauit dominus misericordiam suam.* Quid est in die, nisi in tempore gratiæ? Vnde scriptum est, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Sed quia & dies habet noctem, & gratia tribulationem (Omnes enim qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur) ideo in nocte tribulationis mandauit canticum laudis. Et hoc est quod subdit: *Et nocte canticum eius.* Canticum in nocte, est laus Dei in tribulatione. In hoc discernuntur filij iræ à filiis gratiæ, quia quando succedunt prospera, laudant Deum communiter boni & mali. Sed quando veniunt aduersa, mali quidem murmurant, sed boni laudant. Hinc alibi dictum est in psalmo, Benedicam dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Vel per diem fide illuminata gentilitas, per noctem infidelitate cæcata Iudæa potest intelligi. In die mandauit dominus misericordiam suam, quia in gentilitate credente prædicari præcepit peccatorum remissionē, & vitam æternam. In nocte verò canticum: quia Iudææ orbatæ vetus tantummodo reliquit testamentum. Hinc alibi dicitur, In salicibus suspendimus organa nostra. In Iudæis tanquam in salicibus infructuosis, organa suspenduntur, quia legalia & prophetica verba apud illos sunt. Pendent quidem, sed non resonant: quia illi in quibus suspenduntur, artem intelligentiæ spiritualis ignorant. Diximus quia canticum in nocte, est laus Dei in tribulatione. Sed quia dum tribulamur, periclitamur: non solūm laudare Deum nos oportet, sed etiam orare. Ideo subditur: *Apud me, oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo, Susceptor meus es.* Cū redemptor noster nos orare iubeat, & idem dicat: Scit enim pater vester quid necesse sit vobis, ante quam petatis eum: quærendum videtur quare à sciente quibus indigemus, petere præcipimur? Solent enim quidam heretici obiicere, quia sciētī frustra loquimur. Quibus præter exemplum domini, qui in monte Oliueti orauit patrem: præter auctoritatē præcepti, quo nos orare præcepisse cognoscitur: breuiter respōderi potest, Nos nequa

Rom. 8.

Phil. 2.
Rom. 9.
Ioan. 1.

Galat. 3.

Matth. 23.
Luc. 18.Rom. 9.
Psal. 118.
Marc. 10.
Psal. 144.Matth. 3.
Marc. 6.
Rom. 5.2. Corint. 6.
2. Timot. 3.

Psal. 33.

Acto. 13.

Psal. 136.

Matth. 6.

Matth. 26.
Luc. 22.
Marc. 14.

nequaquã ideo orationi incumbere, vt scienti omnia, quibus indigeamus, cupiamus indicare: sed ea quæ nobis sunt necessaria, impetrare. Aliud est enim narrando te velle aliquid indicare, aliud orando te velle aliquid impetrare. In narratione quippe demonstrandum est studium, in oratione verò exaudiendi meritum. Et quoniã in sciente omnia ita est misericordia, vt sit etiã in ipso iustitia: hoc quod per misericordiam vult indigentibus benignè largiri, vult quoq; eosdem indigentes apud iustitiã suam orando promereri. Oratio quippe in sacris literis frequẽtius accipitur, utilis & honestarum rerum apud Deum vel apud sanctos eius recta postulatio. Nihil est quod vtilius possit facere seruus Dei, quã orare & laudare Deum. Sed si veraciter volumus orare, valde attendendũ & memoriæ comendandũ est quod dicitur, *Apud me oratio mea Deo vita mea.* Sæpe quando oro, mens mea vagatur exterius, nõ intelligo quod dico. Tunc oratio mea non est apud me, neque ipse ego sum apud me. De talibus dominus ait, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Quomodo autè intendit Deus orationi meæ, cui non intendo? Quòd si in intimo arcano cordis mei oro Deum meum, & ea quæ ad salutem animæ meæ pertinent, peto: tunc possum veraciter dicere, Apud me oratio mea Deo vitæ meæ, id est, Deo qui præstat mihi vitã presentẽ, & æternam. Et in ipsa oratione *Dicam Deo, Susceptor meus es*, id est, me infirmum suscepisti ad curandum, vel susceptor meus es, ne in tribulatione succumbam. Magna nobis fiducia fratres, quia susceptor noster est Deus. Ergo post tantas iniquitates & negligẽtias properemus ad pœnitentiam: curramus in feruore spiritus ad gratiã, quæ neminem vult perire, sed omnes saluare. Venite (inquit) ad me omnes qui laboratis, & ego vos reficiã. Iterum infirma anima videns se peregrinari, atq; inter molestias & tẽtationes tribulari, dolèdo & gemendo conqueritur dicens: *Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?* Videtur obliuisci dominus seruos suos, quando eos permittit contristari persecutionibus affligi, tẽtationibus concuti: nec eos citò exaudit, non visibiliter adiuuat, non corporaliter eripit. Ideo autem dicit, *Quare?* quia nescit aliquis vtrum hæc patiatur ad probationem, siue ad damnationem. Sed valde tremendum est quod subdit: *Dum confringuntur ossa mea, exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei.* Ossa enim fortes sunt: & aliquando ipsi fortes tẽtationibus cedunt. Hæc cum quisque considerat ex corpore Christi, ex voce corporis Christi nonne clamat, *Vt quid me repulisti? Vt quid tristis incedo, dum affligit me inimicus? Dum confringit ossa mea? Non carnes meas, sed etiam ossa mea: vt in quibus putabatur esse aliqua fortitudo, videas cedere in tẽtationibus: vt ceteri infirmi desperent, quando fortes vident succumbere.* Quanta ista pericula fratres mei! Exprobrauerunt mihi, qui tribulant me. Iterum vox illa, *Dum dicunt mihi per singulos dies, Vbi est Deus tuus?* Et maximè ista dicunt in tẽtationibus Ecclesiæ: *Vbi est Deus tuus?* Quantum hæc martyres audierunt, pro nomine Christi fortes & patientes! Et quantum illis dictum est, *Vbi est Deus vester?* Liberet vos, si potest. Tormenta enim ipsorum extrinsecus videbant, coronas

extrin

Isa. 26.
Matth. 15.1. Timot. 2.
Matth. 5.

extrinsecus non videbant. Et ego, quoniam propter hæc ad me turbata est anima mea, quid ei aliud dicam, quã illud, *Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?* Et quasi respondentem, Non vis vt conturbem te. hinc posita in tantis malis, suspirans ad bona, sciens & laborans: Non vis vt conturbem te? *Spera inquit, in Deum, quoniam adhuc confitebor illi.* Dicit ipsam confessionem, & repetit spei confirmationem. *Salutare vultus mei, & Deus meus.*

T I T V L V S P S A L M I X L I I.

TITVLVS psalmi sequentis est, *Psalmus David. Psalmus iste conuenit alicui iusto ex societate prauorum & miseris huius vita afflicto: dirigens nos in finem, id est, ad Christum. Materia est in hoc psalmo separatio iusti, hinc in causa tantum, in futuro autem separatio & persona & loco. Qui enim a malis hic in causa discernitur, securus esse potest, quia in extremo iudicio totus & corpus & anima separabitur. In prima parte petit iustus separari ab impiis: In secunda parte se affirmat intraturum in secretarium Dei. In tertia parte hortatur animalitatem suam, vt speret in domino. In quo patet intentio. Seipsum enim confortando intendit confortare & debiles quosque suo exemplo. Vox fidelis.*

P S A L M V S X L I I.

IUDICA me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo & dolofo erue me. Non me iudicet inimicus: non falsa hominum opinio, quæ bonum malum, & econuerso malum bonum facit. Sed tu me iudica, qui iustus es atq; misericors: Et discerne causam meam, quam si iustam repereris, Erue me a gente non sancta, Id est, ab infidelibus, Et ab homine iniquo, id est a persecutore manifesto, & dolofo, qui quærit me latenter decipere. Non timeo iudicium tuum, quia noui misericordiam tuam. Perfecta charitas foras mittit timorem. Non timeo te pœnaliter, quia amo te. Non interim in hac peregrinatione, nondum discernis locum meum, quia simul cum zizaniis viuo vsque ad tempus messis. Nõdum discernis lucem meam: vel discerne causam meam. Distet inter eum qui in te credit, & eum qui in te non credit. Par infirmitas, sed dispar continentia. Par labor, sed dispar desiderium. Et debes hoc facere. *Quia tu es Deus fortitudo mea.* Non præsumo de viribus meis, nec aliunde habere aliquam fortitudinem, nisi à te solo: & totam spem meam in te pono. In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. Aliquando facit homo in seipso fortitudinem. Appetit regnare, dominari, superior ceteris apparere. Non patitur iniurias, vindicat illatas. Qualis fortitudo humana est, non diuina: carnalis non spiritualis. Reddit malum pro malo, maledictum pro maledicto. Erubescit apparere victus. Sed dum vincit hominem, ipse deterius a vitio superatur. Talis fortitudo est superbiæ. Fortitudo autem quæ a Deo est, non carnis est, sed animæ: non contra homines, sed contra vitia & diabolium. Ipsa est patientia, ipsa est humilitas, obedientia, charitas, & ceteræ virtutes animi, quæ a Deo sunt. Scriptum est, *Qui confidunt in domino, mutabunt fortitudinem.* Hinc Apostolus nos admo

Isa. 5.

1. Ioan. 4.

Matth. 13.

Psal. 59.

Rom. 12.

Isa. 40.

Rom. 12. admonet dicens: Noli vinci à malo, sed vince in bono malo. Deus ergo sit fortitudo nostra. In ipso eripiemur à tentationibus, per ipsum superabimus mundum & diabolum, vitia & peccata, ipsam carnem & desideria mala: Ipsum etiam regnum cælorum vi capiemus. Iuxta quod scriptum est, Et violenti rapiunt illud. Sed ad hæc quæ dicta sunt, contraria videntur quæ sequuntur, cum ait: *Quare me repulisti? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?* Si deus est fortitudo eius, quomodo est repulsus? quomodo contristatus affligitur ab inimico? Nunquid inualida manus domini? Sed sciendum quia pius dominus quadam dispensatoria misericordia sua plerumque electos suos & repellendo retinet, & retinendo repellit. Sicut cum diabolus beatum Iob peteret ad tentandum, Ecce, inquit dominus, in manu tua est. Sed quia eum repellendo retinuit, ostenditur cum protinus addit: Tantum animam eius serua. Quantus autem vir iste fuerit, qui à Deo relinquitur, & diabolo traditur, ipso domino ad eundem diabolum dicente didicimus: vbi ait, Nonne considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra? vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo. Qui cum talis esset, poterat dignè domino dicere: Quare ergo me repulisti? Et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus? Cui etiam dignius potuisset dominus respondere, Ego quos amo, arguo & castigo: flagellat enim dominus omnem filium quem recipit. Et, Beatus qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Ecce quare vtiliter repellit dominus seruos suos. Sed quia sancti viri occulta Dei iudicia nesciunt, & plerisque deserui, & tentari damnabiliter sciunt: quærunt (si fieri potest) scire consilium Dei: vt si in aliquo displicent vt deserantur, citius corrigere valeant ne reprobentur. Vnde protinus adiungit: *Emitte lucem tuam & veritatem tuam.* Nisi enim nos illuminet, in tenebris fumus. Nisi nos doceat veritatem, errabimus. Quid autem aliud lux Dei, nisi veritas Dei? Aut quid veritas Dei, nisi lux Dei? Aut quid vtrunque nisi vnus Christus? Ego (inquit) lux sum mundi. Ego via, veritas & vita. Rectè ergo subiungitur, *Ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum & in tabernacula tua.* Ac si dicat, *Ipsa lux & veritas tua, deduxerunt me,* de errore ad fidem tuam: & *adduxerunt in montem sanctum tuum.* Id est, in perfectionem & eminentiam virtutum, *Et in tabernacula tua,* id est, in vnitatem & societatem sanctorum. Ideo præsens Ecclesia tabernaculum dicitur, quia in ea domino militatur. Tabernaculum autem habitatio est militantium: & militia est vita hominis super terram. Bene autem non ait, Tabernaculum, sed Tabernacula: quia multæ sunt congregationes sanctorum, & in multis locis seruit domino militia Christiana. Nam alia sunt tabernacula coniugatorum fidelium, alia continentium, alia inchoantium, alia prouectorum, alia perfectorum, alia auditorum & subditorum, alia prælatorum & prædicatorum. Omnia vni militant Regi. Et si diuersa sunt studia, diuersorum est intentio vna. Cum audis lucem, munda oculos. Illa lux cordis mundum oculos requirit. Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. Cum audis tabernaculum, Bellum intellige, Hostem caue. Sed iam ducti in tabernaculum, & posi

& positi in monte sancto eius, quam spem gerimus? sequitur, & dicit: *Introibo ad altare Dei.* Quod est illud altare? *Ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.* Id est qui me iuuenē factum, deposita omni vetustate lætificabit, dando immortalitatem & impassibilitatem. Altare Dei est ipse filius Dei. Ad hoc altare introimus modò per fidem, postmodum introibimus per speciem. Et in hoc altari modò offerimus Deo patri vota & sacrificia, cor contritum & humiliatum, orationes & preces: postmodum repulsa omni tristitia in eodem altari, in ipsa diuinitate sacrificium tantummodo offeremus laudis, & non orationis. Lætificabitur iuuentus nostra in resurrectione, & postquã Deus erit omnia in omnibus. Iam nihil deerit, quod necessarium postulare sit: sed tantummodo laudibus diuinis vacare. Sed ad illam laudem quisquis peruenire appetit, prius oportet vt hic inchoet: ideo subdit, *Confitebor tibi in cythara Deus Deus meus.* Vbi repetitio affectus, & deuotionis indicium est. In hoc differt cythara à psalterio, quia psalterium à superiori parte, cythara ab inferiori reddit sonum. In his duobus organis in plerisque psalmorum locis præcipimur confiteri domino. Vtraque sunt placita Deo, & suauius auribus eius. Quãdo dicebat Apostolus prædicare euangelium Dei, & illud nõ ab hominibus, neque per hominẽ, sed per Iesum Christũ accepisse: desuper sonabãt chorda. Cum verò dicebat: *Gloriamur in tribulationibus,* sciẽtes quia tribulatio patientiam operatur, & cætera: *Cythara sonabat, ex inferiori quidem, sed tamen dulciter.* Omnis enim patientia dulcis est Deo. Dicit ergo, *Confitebor tibi in cythara:* propter illud quod dixerat, *Quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?* Patiebatur ex inferiori afflictione, & in eo ipso volebat placere Deo, & gestiebat gratias agere fortis in tribulationibus: & quia sine his esse non poterat patientia, Deo dicebat. Inter hæc alloquitur animam suam, consolans, & dicit: *Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?* Sed quis est qui loquitur ad animam? Intelligimus habere nos aliquid, vbi imago Dei est: mentem scilicet atque rationem. Ipsa est quæ inuocat lucem & veritatem Dei. Ipsa est qua iniustum capimus & iustum, qua discernimus verum à falso. Ipsa vocatur intellectus, quo carent bestia. Intellectus ergo noster alloquitur animam nostram, superior pars animæ inferiorem. Ista in tribulationibus marcida est, fessa in languoribus, in tentationibus contracta, ægra in laboribus. Erigit eam mens desuper, capiens veritatem. Audit illam vocem Dei internam. Audit rationabile carmen intrinsecus. Ita enim desuper in silentio sonat quiddam, non auribus, sed mētibus: vt quicumque illud audit melos, tẽdio afficiatur ex strepitu corporali, & tota vita ista humana tumultus ei quidam sit, impediens auditum interni cuiusdam soni nimium delectabilis & ineffabilis. Et cum ita contingit, & ex aliqua perturbatione vim patitur homo, alloquens animam suam dicit: *Quare tristis es anima mea?* Quædam sonat præsens allocutio, reliqua purgat fidelis confessio. Vnde & subdit: *Spera in Deo.* Expecta dominum remuneratorem: quia iam confessus, *adhuc confitebor illi.* Modò confiteor afflictus: futurum est vt adhuc cõfitear renouatus & lætificatus. Et hæc est & erit mea confessio, *Salutare vultus mei & Deus meus.* Et hæc est magna

Phil. 2. causa sperandi, quia saluator meus est vultus mei, id est habes vultum meum, formam meam, & pro me est homo factus, & ipse est Deus meus.

T I T V L V S P S A L M I X L I I I.

IN finem filii Chore ad intellectum. Psalmus iste proponitur filii Chore, id est filii passionis & crucis, ad intellectum habendum sub auditu: ut intelligant per temporalia bona data antiquo populo, significata esse spiritualia bona, quae iam datur Christiano populo, & plenius dabitur in futuro. Filiis Chore dico, directis in finem, per hunc intellectum. Materiam sunt martyres, qui etiam loquuntur. In prima parte ponit distinctionem beneficiorum Dei, quae facit Deus huic populo, & quae fecit priori populo: ostendens hac esse aeterna, illa vero fuisse temporalia. In secunda parte ponit mala quae sustinent in hac vita, quamuis in futuro sint habituri multa bona. Quod autem iusti in hac vita patiuntur mala temporalia: contra hoc est, quod priores populi liberabantur a corporalibus poenis. In tertia parte orat liberari a malis huius vitae in tempore resurrectionis. Intentio est nos inuitare ad patientiam, ne contristemur pro temporalibus poenis. Vox martyrum, ostendentium quae bona fecit Deus antiquis patribus, cum dicit.

P S A L M V S X L I I I.

DEVS auribus nostris audiuit. Notandum nobis est, quod non tantum dicit, Audiuit: sed iungit, Auribus nostris. Consonant verba prophetiae, verbis quae dominus dicit in Evangelio. Qui habet aures audiendi, audiat. Multi habent aures carnis, non cordis, quia exterius audiunt, intus non recipiunt. Propterea dicitur, Auribus nostris, ut quae dicuntur, audiamus cum intentione & intelligentia, quae aures sunt cordis. Et ut haec auditu digna commendaret: non quilibet inquit homines, sed Patres nostri, Patriarchae & prophetae annuntiauerunt nobis per scripturas suas, opus quod operatus est in diebus eorum. Quomodo liberaisti eos de Aegypto, & per mare rubrum eduxisti, custodisti in deserto, & caetera talia. Et annuntiauerunt etiam nobis opus quod operatus es in diebus antiquis: quod fecisti in exordio de creatione caeli & terrae, de his quae contigerunt ante diluuium. Et hoc est opus quod fecisti in diebus eorum, quod annuntiauerunt patres nostri. *Manus tua*, Id est, virtus & potentia tua, gentes disperdidit, videlicet Amorrhaeum, Iebusaeum, Pherezaeum. & plantasti eos, scilicet patres nostros. Dictum est a simili arboris plantatae, quae ad hoc plantatur, ut radiceatur & fructificet. Hoc modo disperdidit eos manus tua, quia prius afflixisti, eos per multa bella, & sic expulisti eos, de terra sua, ut istos introduces & plantares, eorumque regnum tua misericordia confirmares. Sed forte illi ideo ista potuerunt, quia fortes erant, quia praelatores, quia inuicti, quia exercitati. Non hoc nobis indicauerunt patres nostri. Non hoc habet scriptura. Sed quid habet, nisi quod sequitur? *Non enim in gladio suo*, id est armatura sua possederunt terram, & brachium, id est, robur, eorum non saluauit eos, ab inimicis. Si enim seipso non potuerunt saluare ad illis gentibus: multo

multo minus constat ut propria virtute terram illorum potuissent possidere. Brachium inquam non saluauit eos: *Sed dextera tua*, Id est, fauor gratiae tuae quia saepe eos quibus fauemus, ad dexteram nostram collocamus: *Et brachium tuum*, id est fortitudo tua: quia in brachiis habet homo fortitudinem: *Et illuminatio vultus tui*, id est, prudens consilium, siue miracula quae erant eis demonstratio vultus tui, id est, gratiae & beniuolentiae tuae. Quid est quod talibus signis affuisti in eis, ut praesens intelligerent? Nunquid enim quando nobis aliquo miraculo Deus adest, faciem ipsius oculis nostris videmus? Sed effectu miraculi suam praesentiam insinuat hominibus. Denique qui mirantur ad huiusmodi facta, dicunt: Vidimus Deum praesentem. Haec autem ideo fecisti eis. *Quoniam complacui in eis*. Hoc est, sic cum eis gessisti, ut placeres in eis, ut quisquis eos attenderet quomodo cum eis ageretur, diceret: Quia verum Deus est cum illis, & Deus eos adiuuat. Sed quia haec in figura contingebant illis (sicut dicit Apostolus) scripta sunt autem ad aedificationem nostram: etiam titulus ad intellectum est positus. Hoc opus domini quod de dispersione gentium audiuit facta temporaliter in patribus antiquis, etiam nunc videmus adimpleri spiritualiter in spiritualibus viris. Harum gentium mentionem Moyses facit, ubi ait: Cum introduxerit te dominus Deus tuus in terram quam possessurus ingredieris, & deleuerit gentes multas coram te Hethaem & Gergeseum, Amorrhaeum & Chanaanum, Pherezaeum & Heuzaem & Iebusaeum: gentes septem multo maiores numero quam tu es, & robustiores: tradideritque eas dominus tibi: percuties eas usque ad internecionem. Septem istae gentes, septem sunt spiritualia vitia, quae per gratiam Dei vnusquisque spiritualis miles exsuperans, exterminare penitus admonetur. Quod vero maiori numeri esse dicuntur, haec est ratio: quia plura sunt vitia, quam virtutes. Et ideo in catalogo quidem dinumerantur septem nationes, in expugnatione vero earum sine numeri ascriptione ponuntur. Ita enim dicitur, Et deleuerit gentes multas coram te. Numerosior est enim quam Israel carnalium passionum populus, qui de hoc septenario fomite vitiatorum ac radice procedit. De Gastrimargia nanque nascuntur commestiones & ebrietates: de fornicatione turpiloquia, scurrilitas ludicra, atque stultiloquia. De Philargyria mendacium, fraudatio, furta, periuria, turpis lucri appetitus, falsa testimonia, violentiae, inhumanitas atque rapacitas. De ira homicidia, clamor & indignatio. De tristitia rancor, pusillanimitas, amaritudo, desperatio. De acedia ociositas, somnolentia, importunitas, inquietudo, praeruaricatio, instabilitas mentis & corporis, verbositas & curiositas. De xenodochia contentiones, haereses, iactantia ac praesumptio nouitatum. De superbia contemptus, inuidia, inobedientia, blasphemia, murmuratio, detractio, aliaque plurima similia. Quae cum sint multo maiori numeri quam virtutes, deuictis tamen illis septem principalibus vitiis, ex quorum natura ista procedunt, omnes prorinus conquiescunt, ac perpetua pariter internecione delentur. Quod autem haec pestes etiam robustiores sint, manifeste naturam ipsius impugnatione sentimus: Fortius enim militat in membris nostris oblectatio carnalium passionum, quam studia vir-

tutum, quæ non nisi summa contritione cordis & corporis acquiruntur. Quod verò istarum perniciosarum gentium regiones salubriter possidere præcipimur, ita intelligitur. Habet enim vnumquodque vitium in corde nostro propriam stationem: sed cum Israëlî populo, id est, virtutibus contra se dimicantibus fuerint vitia superata, locum quem sibi in corde nostro concupiscentiæ vel fornicationis spiritus retinebat, deinceps castitas obtinebit. Quem furor cœperat, patientia vendicabit. Quem tristitia mortem operando occupauerat, salutaris & plena gaudio lætitia possidebit. Quem acedia vastabat, incipit excolere humilitas. Et ita singulis vitiis expulsis, eorum loca, id est affectus contrarios, possidebunt filij Israël, id est, animæ videntes Deum. Quia ergo omnipotens Deus quod corporaliter operatus est in antiquis patribus, etiam nunc operari spiritualiter non cessat in nobis: rectè ei dicit Ecclesia quod subditur: *Tu es ipse rex meus & Deus meus.* Tu es ipse non mutatus. Tempora mutata sunt, creator temporum non mutatur. Tu me soles ducere, vt Rex: tu mihi soles subuenire vt Deus. *Qui mandas salutes Iacob.* Quid est, Qui mandas? etiam si tu per tuam prorsus substantiam atque naturam, qua es quicquid es, occultus es: nec per hoc quod es, interfuisti patribus vt facie ad faciem te viderent. Tamen per quamlibet creaturam tu mandas salutes Iacob. Non solum per te ades, sed per quancunque creaturam affueris, tu mandas, vt fiat hoc pro salute seruatorum tuorum, quod faciunt quibus mandas. Tu es ipse, inquit, per quem patres nostri inimicos suos destruxerunt, rex meus, regens me spiritualiter secundum bonos mores & virtutes, vt iam non dominetur mihi diabolus, nec vitia: neque regnet peccatum in meo mortali corpore. Et Deus meus, quia te adoro, te colo, qui mandas salutes Iacob, id est, qui per salutaria mandata tua saluas eos qui luctantur & vitia supplantant. Iacob enim supplantator interpretatur. Ista præterita sunt: de futuro quid erit? *In te inimicos nostros ventilabimus cornu.* In te cornu nostro, id est, fortitudine & defensione nostra, ventilabimus, id est, proiciemus & dispergemus inimicos nostros, tam carnales quàm spirituales: quod fiet in iudicio, vbi sancti perfecti viri iudicando separabunt malos à bonis, quomodo aliquis ventilando diuidit paleas à granis. Hoc est quod dominus discipulis suis promittit dicens, In regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Israël. Tunc implebitur quod modò subditur: *Et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.* Modò spernunt, quia tuum nomen reclamamus, quia tibi vindictam relinquimus, quia humiles & pauperes propter nomen tuum sumus: sed in ipso nomine cui credidimus, eos qui modò insurgunt in nobis ad persequendum, in futuro tanquam victos, sicut viles & reprobatos despiciemus. Et benedico, in nomine tuo. *Non enim in arcu meo sperabo.* Id est, in calliditate mea. Arcus à longè trahit. Ideo per arcum prouidentia vel prudentia humana designatur. Quasi in arcu suo sperat, qui in sensu cõfidit & prudentiæ suæ innititur. Vnde scriptum est. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & corã vobismetipsis prudentes.* Quo contra Salomon nos admonet dicens: *Habe fiduciam in*

ciam in domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. Non sperat ergo in arcu suo, qui in sensu suo & in prudentiæ sua nõ cõfidit. *Et gladius meus,* Id est, armatura mea, fortitudo mea, *non saluabit me.* Quemadmodum & patres nostri non sunt in gladio saluati. Hæc sunt duo in quibus valde confidunt homines seculi: in calliditate propria, & virtute. Sed iste totã saluationem suã in Deo constituit, cum subiugit: *Saluasti enim nos de affligentibus nos.* Præteritum ponit pro futuro. Vfus enim prophetarum est sic quadam præscire futura, & tam certa habere, ac si iam sint præterita. Ac si diceret: *Saluabis nos in futuro ab his qui modò propter te affligunt nos.* *Et odientes nos cõfundisti.* Id est, perseverantes in odio nostro cõfundes, & erubescere facies, ostendendo eis mala quæ fecerunt, damna honorum quæ amiserunt, pœnas æternas quibus puniendi sunt. O quã fera, quã dura cõfusio erit eis quibus dicitur: *Amen dico vobis, nescio vos.* Et, *Ite maledicti in igne æterni! Cõfusis inimicis,* *In Deo laudabimur tota die.* Tunc erit vnus dies, vna æternitas. Tunc laus erit vnicuique à Deo. *Laudabimus & laudabimur: nos in te, & tu in nobis.* *Et in nomine tuo.* Id est, ad honorem nominis tui, *Confitebimur tibi in seculum:* quia scriptum est: *Beati qui habitant in domo tua Deus, in seculum seculi laudabunt te.* Hæc futura sic certa sunt nobis, quomodo illa præterita quæ audiimus à patribus nostris. Sed quid modò? *Nunc autem repulisti,* Id est, videris repulisse per hoc, quod in præsentibus permittis affligi & cõfundisti nos, nõ in conscientia nostra, sed in facie hominum. *Et non egredieris in virtutibus nostris.* Procedimus ad inimicos nostros, & tu nobiscum non procedis: prævalent illi, nos inualidi sumus. Vbi est illa virtus tua? vbi est dextera & potentia tua? vbi mare siccatum? vbi Ægyptij persequentes fluctibus inuoluti? vbi Amalech resistens in crucis signo superatus? Et non ingredieris in virtutibus nostris. *Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros.* Vt quasi illi antè sint, nos retrò: illi victores, nos victi deputemur. *Et qui oderunt nos, diripiebantur sibi: diripiebant nos tanquam in prædam sibi.* Alios trahentes, alios flagellantes, alios in carcere mittentes, alios occidentes. *Dedisti nos tanquam oves escarum, & in gentibus disperdisti nos.* A nationibus quidã ex nobis mäducati sunt. Hi significatur qui sic passi sunt, vt in corpus reuerterentur gentilium. Plangite eos Ecclesia, tanquam mēbra deuorata. Vel in gentibus dispersi sunt, quãdo Petrus Romæ crucifigitur, Thomas in India moritur, & innumeri martyres per innumera loca occiduntur. Dispersione etiã illorum dominus Iesus pronuntiabat, cū dicebat: *Si persecuti vos fuerint in vnã ciuitatē, fugite in aliã.* *Vendidisti populum tuum sine pretio.* Quasi sine pretio populus sanctorum martyrum vëdebat, quãdo tam pretiosus sanguis fundebatur, vt exëplo eorum nullus ad redēptionem & salutem conuertebatur. Intantū aliquando sine pretio sancti martyres habiti sunt, intantū perditii esse putati sunt: vt qui eos occiderunt, etiã in hoc obsequium se præstare Deo æstimaret. Quasi ergo sine pretio dabatur, quãdo occidebantur, & neminē lucrabatur. Et si aliqui erant qui cõuerterentur in cõparatione martyrum pauci erant. Et hoc est quod subdit: *Et nõ fuit multitudo in cõmutationibus eorum.* Martyrum scilicet, qui moriebatur propter nomen tuum ampliandū: vel in cõmutationibus eorum, quãdo occidebantur martyres, non fuit multitudo congrega-

tionum, qui simul Deo seruirent in Ecclesiis, in monasteriis, in diuersis ordinibus, sicut modò videmus in tēpore pacis. Abscōdebātur enim propter persecutiones, & alij ab aliis diuidebantur: vt melius latitarēt, ne citius si simul multi essent, inuenirentur, caperentur. *Posuisti nos opprobriū vicinis nostris.* Tanta fuit persecutio nostra, quòd vicinis nostris, id est, illis qui appropinquabant ad fidem & animum suum affectabant, essemus in opprobrium. Videntes enim mortē nostrā ita probrosam, retrahebant se à fide. Et posuisti nos: *Subsannationem & derisum his qui sunt in circuitu nostro.* Qui nos circūdant, vt capiant & occidant. Subsannatio fit per nasum, derisio per os. *Posuisti nos in similitudinē gentibus.* Hoc est in similitudinē ponere, quādo maledicētes homines similitudinē dant de eo quem detestātur: Sic moriaris, sic puniaris, vt ille. Hodieque non desunt hostes Christi Iudæi, contra quos quando defendimus Christū, dicunt nobis: Sic moriaris, quomodo & ille. Non enim illā mortē intulissent, si martyrij meritū intelligere potuissent. Posuisti etiā nos *cōmōtionem capitis in populis.* Cōmōtio capitis, signū est insultationis. Vnde alibi dicitur: *Locuti sunt labiis, & mouerunt caput. Hoc fecerūt domino.* Hoc sanctis eius, quos persequi, quos tenere, quos illudere, quos tradere, affligere, occidere potuerunt. *Tota die id est, assidue verecundia mea tantorū opprobriorum contra me est.* Id est, ante conspectū meum. *Et confusio faciei mee cooperuit me.* Hoc à simili dicitur, quia quādo cōfusi erubescimus, facies nostra rubore sanguinis cooperitur. Quæ verecundia venit mihi *A voce exprobrantis,* id est, à parte resistentis, *& obloquentis,* id est, occultè detrahentis, vel contra veritatem loquentis. *à facie inimici,* id est, à præsentia siue instantia inimici in voluntate *persequentis,* in actu. Quis hic intellectus? Quæ præterita sunt, non in nobis fiunt. Quæ futura sunt & speramus, non apparent. Præterita, in magna gloria tua eductus populus de Aegypto, liberatus à persequentibus, ductus per gentes, expulsi gentibus collocatus in regno. Quid futura? Educendus populus de ista Aegypto seculi duce Iesu Christo, & apparente in gloria sua ponendi sunt sancti ad dexteram, iniqui ad sinistram, damnandi cum diabolo in æterna pœna: accipiendum nobis est regnum à Christo in sempiternū cum sanctis. Hęc futura & præterita, in medio tribulatio. Quare? vt appareat animus colens Deum, quantum colat Deum: vt videatur vtrum gratis colat Deum, à quo salutem gratis accepit. Ergo vt hæc fides nostra, qua purgamur, ad inuisibilia præparetur, hoc est ad intellectum filiis Chore facta sunt omnia ista, vt detraherentur sanctis ea quæ habebant, detraheretur & ipsa vita temporalis: vt non propter hæc ipsa temporalia colerent ipsum æternum, sed amore illius casto tolerarent hæc omnia, quæ pro tempore paterentur. Deniq; quia intellexerunt hoc filij Chore, quid dicunt? *Hęc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te: & iniquè non egimus in testamento tuo.* Secundum præcepta tua nos habuimus. Inter tot aduersa, nec fide, nec operatione à te recessimus. Magna hęc martyrum constātia & perfectio cōmendatur. Quid ad hoc de nobis dicturi sumus? Qui si vel leue verbum injuriæ nobis ab aliquo illatum fuerit, mox ad iracundiam inardescimus, mentem amittimus, frenetici more loquimur, vindictam, si possumus

sumus, exquirimus: si non possumus, odium in corde (quod est venenum diaboli) portamus. Obliuiscimur Deum: obliuiscimur charitatem, patientiam, iniquè agimus, in testamento Dei mandatorum eius præuicatorum facti. Ad hoc igitur hæc scripta legimus, vt quanta pro amore Dei martyres sancti pertulerunt, vigilanter attendamus, attendentes nostram fragilitatem & impatientiam deploremus, & corrigamus. Sed adhuc quid dicant, audiamus. *Et non recessit retrò cor nostrum.* Sed semper ad ea quæ antè sunt, nos extendimus, ad promissum brauium festinantes. Quando cor erigitur in spe, fit patiens in tribulatione. Cogitando præmia æterna, facillè transitoria despiciuntur tormenta. & cum via vitæ diligitur, via seculi protinus declinatur. Vnde & subditur: *Et declinasti.* Id est declinare fecisti *Semitas nostras:* semitas carnalium cogitationum, desideriorum, voluptatum. *A via tua arcta & angusta,* quæ ducit ad vitam. Commendatio diuinæ gratiæ est. Quisquis viam domini ingreditur, ne tanquam de iustitia sua gloriatur, præteritas vias suas ad memoriam debet reducere, & pensare de quantis concupiscentiis & desiderijs malis, de quantis negligentijs & voluptatibus per gratiam suam liberauit eum misericors dominus. Hinc Apostolus Paulus ait: Qui fui blasphemus & persecutor: nunc autem misericordiā consecutus. Semitas nostras dominus declinat à via sua, quando eo auxiliante agimus, quod scriptum est: Declina à malo, & fac bonum. In hoc autem semitas nostras declinasti. *Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis,* Id est in hoc seculo, in tempore nostræ peregrinationis. Quia humiliasti nos Deus affligēdo, ideo declinasti nos à superbia nostra: quatinus humiliasti semitas nostras relinqueremus, & sequeremur vias domini. *Et ex illa humilitione cooperuit nos umbra mortis.* Non vera mors, sed umbra: non mors animæ, sed mors carnis: umbra mortis carnalis, mortalitas: vera mors, damnatio cum diabolo. Dictum est superius, Quia non obliti sumus te. Non enim esset nobis sanitas, nisi nos tu requireres. Et hoc est quod subdit: *Si obliti sumus nomen,* Id est honorificentiam *Dei nostri,* vt à fide recederemus: *Et si expandimus manus nostras ad Deum alienum,* venerandum & colendum, qui neque nos creauit, neque bonum nobis fecit: & si sumus idolatræ, *Nonne Deus requirit ista?* Sed non requirit à nobis. *Ipsè enim nouit abscondita cordis.* Ipse nouit quia non obliti sumus eum: quod ex hoc apparet, quia incessanter mortificamur propter eum. Et hoc est quod subiungit. *Quoniam propter te mortificamur tota die.* Id est, assidue. Multi laborant in hoc seculo, multi affliguntur, multi moriuntur propter aliud, non propter Deum. Ideo dicturus, mortificamur, rectè præmisit Propter te: quia martyrem non facit pœna, sed causa. Hinc beatus Petrus ait: Quæ enim gratia est, si peccatores & colaphizati suffertis? Sed si bene facientes & patientes sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis. Quia Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui peccatū non fecit nec inuentus est dolus in ore eius. Qui cum malediceretur, non remal dicebat: cum pateretur, non comminabatur. Aptè ergo subiunctum est: *Aestimati sumus sicut oues occisionis,* scilicet vt nullatenus reputemur esse idonei,

nisi ad occisionem. Bene sancti viri ouibus comparantur, quia sunt simplices, innocentes, morsum malitiæ non habentes. Hinc est quod dominus discipulos suos instruit, vbi ait: Oues meæ vocē meā audiunt. Et iterū: Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporū. Moyses dicit ad Pharaonem: Abominations Ægyptiorū immolabimus domino Deo nostro. Oues Ægyptij edere dedignatur. Sed quod abominatur Ægyptij, hoc Israelitæ Deo offerūt: quia simplicitatē cōtinentiæ, quā iniusti quiq; velut infima abiectaque despiciūt, hāc iusti in virtutis sacrificiū vertunt: & excolētes recti puritatē ac māluetudinē, Deo immolāt: quā abominātes reprobi fatuitatē putant. Duo sunt martyrij genera: vnū mētis, aliud corporis: vnū manifestū, aliud occultū. Manifestū est, quādo propter Deū corpus occiditur: occultū est, quando pro amore Dei vitia refecātur. Vnde Apostolus nos admonet, dicēs: Mortificate mēbra vestra, quæ sunt super terrā: fornicationem, immūditiam, luxuriā, &c. Quia ergo viri sancti dum Deo viuere, & mūdo mori appetūt, sese incessanter affligūt, carnē ieiuniismacerādo, culpas lachrymis lauādo, vitia extinguēdo: rectē voce eorū nūc dicitur: Quoniā propter te mortificamur tota die. Æstimati sumus sicut oves occisionis. Sed in iis tribulationibus cōstituti, quia in suis viribus nō cōfidunt, domini adiutoriū petunt, cū subditur: *Exurge, quare obdormis Deus? exurge, & ne repellas in finē.* Dormire quiescētis est, exurgere pugnantis vel adiuuātis. Dormiebat Christus, & nauicula operiebatur fluctibus. Excitatus est, deprecantur eū discipuli, imperat vētis & mari, & facta est trāquilitas magna. Sic & nunc laborat Ecclesia in mūdi huius periculis tanquam in fluctibus maris. Quasi dormit dominus, quando non eripit. Excitatur deprecationibus, & adiuuat laborantes. Propterea quærit. Quare obdormis? quia quādiū quisq; permittitur laborare, & dominus non vult adiuuare, incertū est vtrum hoc sit ex ira aut ex misericordia: vtrū eum velit ad rēpus probare & corrigere, an ex toto relinquere. Propter hoc fit deprecatio, cū subinfertur: *exurge, & ne repellas in finē, id est ex toto.* Si deseris, nō repellas. Si vis vt tribulemur, non velis vt frangamur. Si permittis vt tentemur, non sinas vt pereamus. *Quare faciē tuā auertis?* Quasi iratus, quasi nō ad sis, quasi oblitus sis nostri. *Oblivisceris inopia nostra,* quod propter te reliquimus terrena, & modò sumus quali sine ope, sine solatio. *Et oblivisceris tribulationis nostræ?* quod pro amore tuo tribulamur, & non eripimur. *Quoniā humiliata est in puluere anima nostra.* Afflicta est per eos qui sunt instabiles & infructuoli, tanquā puluis: de quibus alibi dicitur, Non sic impij, non sic: sed tanquam puluis: quem proiicit ventus à facie terræ. Intantum autem humiliata est in puluere anima nostra, quod etiam *conglutinator est in terra venter noster.* Pœnam nimix humilitatis videtur expressisse, quia quisquis quando proster nitur, hæret in terra venter eius: vltra quod humilietur non habet. Iam peruenit vsque ad summum humiliatio. Veniat & miseratio. Venter Ecclesiæ in terra conglutinatur, quando molliores & infirmi terrenis rebus ex desiderio inhærent. Tales verò luger, & pro eis orat, cū subiungit: *Exurge Deus adiuua nos: & libera nos propter nomen tuum.* Adiuua laborantes, libera oppressos: adiuua in bonis, libera nos à malis: & hoc nō propter meritum

Ioan. 10.
Matt. 10.
Exod. 8.

Colos. 3.

Math. 8.

Psal. 1.

ritum nostrum, sed propter nomen tuum dilatandum & glorificandum, vt cognoscaris & lauderis, qui es benedictus in secula. Amen.

T I T V L V S P S A L M I X L I I I I .

In finem, pro his qui commutabuntur, filius Chore ad intellectum, canticū pro dilecto. Hoc epithalamium, id est carmē nuptiale, est canticum, id est auditoribus ad delectandum propositum. Habitu pro dilecto, id est pro Christi cōmendatione, qui est sponsus Ecclesiæ, dilectus patris, secundum illud: *Hic est filius meus dilectus.* Et quare sponsus cōmendetur, causa præmissa est, pro his qui commutabuntur in finem filius Chore. Id est pro his qui transformabuntur de corpore humilitatis huius in configuratione corporis claritatis Christi, qui primitus in hac vita fuerit filij Chore, id est imitatores passionū crucifixi, quod canticum est propositum fidelibus ad intellectum, id est ad hoc, vt intelligant eminentiam diuinitatis & humanitatis Christi, qui Christus cōmendetur in hoc psalmo & secundū humanitatem & secundum diuinitatem. Materia est in hoc psalmo sponsus & sponsa, subaudi Christus & Ecclesia. Hanc hoc modo exequitur. In prima parte ponit cōmendationem sponsi, id est Christi. In secunda Ecclesiæ. Intentio est propheta in hoc psalmo Deum patrem loquentem introducens, fideles exhortari, vt taliter viuere studeant, quatinus se vni viro (subaudi Christo) virginem castam exhibeant: vt in nuptiis à dextris sponsi sui sedeant.

Math. 3.
& 17.
Luc. 3.

Philip. 3.

1. Cor. 11.

P S A L M V S X L I I I I .

RECTAVIT cor meum verbū bonū: dico ego opera mea regi. Cor Dei patris verbū eructavit, quia eius secreta & diuina essentia filiū generavit, qui verē & singulariter bonus, quia sicut ipse ait, Nemo bonus, nisi solus Deus. Quæcunq; enim alia bona, aliunde sunt bona: & nihil per se est bonum, nisi ipse solus, qui summum est bonū. Ex his verbis ostēditur, quia verbū consubstantiale est patri. Et ipse pater opera sua regi dicit, quia cū filio suo omnia disponit: & per hoc quod omnipotēs cū patre intelligitur filius. Per cor ideo patris diuinitatē accipimus, quia sicut per verbū alicui intimamus secreta cordis, sic per filiū manifestata est diuinitas patris. Nemo enim nouit filiū, nisi per patrē. Ne putares aliquo cōiugio indignisse Deū, vnde filiū generaret: eructavit (inquit) cor meū verbū bonum, id est ex me ipso eternaliter genui filiū. Hodie cor tuū, homo generat consilium: nec quæris vxorē. Per consilium natū in corde tuo ædificas aliquid, & antequam stet illa fabrica, stat consilium, & inest iam quod facturus es, in eo per quod facturus es. Laudas fabricam nondum existentem: sed in probatione consilij. Ergo si per verbum omnia, & verbum de Deo: inspicere fabricam factam per verbum, & in isto ædificio mirare consilium. Dicc (inquit) opera mea regi. Miraris quia ita dicit Deus? Sic dicere Dei æternum est. Legitur in alio psalmo: Semel locutus est Deus. Totiens locutus est Deus per prophetas, per Apostolos, per doctores: hodieque loquitur per sanctos. Vnde ergo semel locutus est Deus, nisi propter verbum bonum? Et quare, Opera mea dico regi? Quia in ipso omnia opera Dei. Quicquid enim facturus erat in creatura, iam in verbo erat: sicut in Euangelio dicitur, Quod factum est in ipso, vita erat. Non tantum

Mat. 10.

1. Ioan. 3.
Math. 11.
Ioan. 13.

Ioan. 17.
Math. 11.

Ioan. 1.

Hebr. 1.

Roma. 1.
Psal. 61.
Hebr. 1.

Roma. 11.

Ioan. 1.

tantum cum rege dispono omnia, sed etiam per eum omnia facio. Et hoc est quod subdit: *Lingua mea calamus scribae*. Lingua mea, id est ipsum verbum (ponitur enim causa pro effectu) est calamus mei scribae. Sicut enim scriba per calamum imprimit figuras, sic ego per verbum meum operor creaturas. Est autem ipsa creatura quaedam nobis scriptura, in qua legimus & cognoscimus Deum, teste Apostolo qui ait: Inuisibilia enim ipsius per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius & diuinitas. Et bene ait, *Velociter scribens*. Quoniam ipse dixit, & facta sunt. Velociter Dei tale est, ut velocius nihil sit. In scripturis enim scribitur litera post literam, syllaba post syllabam, verbum post verbum, nec ad secundum transitur, donec primum finiatur. Ibi autem nihil velocius, ubi non sunt mutata verba; nec tamen aliquid praemissum est, cum in vno sint omnia. Commendauit filium secundum diuinitatem, ostendendo eum consubstantialem & comotentialem patri: modo commendat eum secundum humanitatem, ita: *Speciosus forma praefiliis hominum*. Quare non & apud angelos? Quid voluit dicere praefiliis hominum, nisi quia homo? Ideo praefiliis hominum speciosus, quia immunis a peccato, quod alius nullus extitit homo. Quod ait Speciosus forma, ad exaggerationem dicit: sicut dicitur, Vita viuet. Iudaeorum personam gerebat propheta cum diceret, Vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem. Quare? Quia non intellectum. Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriae crucifixissent. Intelligentibus autem, & verbum caro factum est, magna pulchritudo. Mihi autem absit gloriari (dixit vnus amicorum sponsi) nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Parum est ut non inde erubescas, nisi etiam glorieris. Quare ergo non habuit speciem, neque decorem? Quia Christus crucifixus Iudaeis scandalum, gentibus autem stultitia est. Quare autem in cruce habuit decorem? Quia quod stultum est Dei, sapientius est quam homines: & quod infirmum est Dei, fortius est quam homines. Nobis ergo iam creditibus ubique; spiritus occurrat pulcher. Pulcher Deus verbum erat apud Deum. Pulcher in vtero virginis, ubi non amisit diuinitatem, & sumpsit humanitatem. Pulcher natus in fans verbum, quia cum esset infans, cum sugeret, cum manibus portaretur, caeli locuti sunt, angeli laudes dixerunt. Magos stella direxit. Adoratus est in praesepio cibaria mansuetorum. Pulcher erat in caelo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro, pulcher in caelo. In intellectu audite canticum, neque oculos vestros a splendore pulchritudinis illius auertat carnis infirmitas. Summa & vera pulchritudo gratia est, vox prophetae conuertentis se ad Christum. *Diffusa est gratia in labiis tuis*. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Venit nobiscum, verbo gratiae praedicans poenitentiam in remissione peccatorum. Tanta gratia diffusa est in labiis Christi, ut ad vocem eius videret caeci, sanaretur leprosi, claudi ambularet, mortui resurgeret. De diffusionem huius gratiae dicit Paulus: Vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia. Et Ioannes: nos, inquit, de pleni

de plenitudine eius accepimus, gratia pro gratia. Et quia talis es: *Propterea benedixit te Deus in aeternum*. Primum testamentum terram promiserat. Et aliud fuit promissum sub lege, aliud sub gratia: Terra Chanaanorum Iudaeis sub lege positus, regnum caelorum Christianis sub gratia constitutus. Itaque id quod pertinebat ad eos qui sub lege erant, transit: regnum caelorum quod pertinet sub gratia positus, non transit. Propterea hic Benedixit te Deus, non ad tempus, sed in aeternum: & hic enim & in futuro semper benedicetur Christus. Et tu talis rex, *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*. Id est fortiter vtere verbo praedicationis tuae, de quo Apostolus ait: Et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Per femur corpus dominicum intelligimus: quia in femoribus generationis est locus. Accinxit gladium super femur, quia in carne assumpta Euangelium praedicaui. Hinc Veritas ait: Non veni pacem mittere, sed gladium. Gladius iste separat filium a patre, filiam a matre, nunc a focu. Litigat pater cum filio, quia vult filius seruire Deo. Ille promittit terrenam hereditatem, iste appetit caelestem. Ille pugnat, iste repugnat. Sed fortior est gladius spiritualis separans, quam natura carnalis copulans. Bene autem ait, *Super femur tuum potentissime*: quia quod infirmum est Dei, fortius est quam homines. Potentissime usus est hoc gladio in carne, quia non solum vicit homines, sed etiam aereas potestates: non solum vitia destruxit, sed etiam infernum spoliavit. Gladius iste carnem domat, vitia refecat, spiritum roborat, virtutes nutrit, desideria mala consumit. Ecce accinctus est rex noster gladio suo. Audiamus iam quomodo pugnet, quomodo regnet, cum quibus armis procedat. *Specie tua & pulchritudine tua intede, prosperè procede, & regna*. Species potest referri ad innocentiam & morum sanctitatem: pulchritudo ad diuinitatis decorum. Per haec intedit Christus, id est, intectus factus est, ne remissè ageret sed prosperè procederet ad bellum, & vincendo regnaret. Vel dici potest: Prosperè procede de vna gente ad aliam, & regna in acquisitis secundum bono mores & virtutes. Potest etiam intelligi hoc modo, Intede in specie & pulchritudine tua ut imaginem & similitudinem, quam primo nostro patri dedisti, in filiis eam renouare & reformare digneris. Prosperè procede, prosperè ex vtero virginali progredere: prosperè desepulchro confurge: prosperè ab inferis ad patrem reuertere. haec enim omnia nobis prospera Et foelicia sunt: & regna totius mundi imperio, precioso sanguine tuo redemptor. *Propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam*. Haec enim omnia decet regem. Tu igitur regna, qui verus es & mansuetus & iustus. *Et deducet te mirabiliter dextera tua*. Id est fortitudo, virtus & potentia tua. Sed quod deducet? Ad patrem. Quare mirabiliter? Quia mortuus diabolum superasti. Vel regnare dicitur Christus, propter veritatem Euangelij, & mansuetudinem qua passus est, & iustitiam qua bonos & malos iudicaturus. Et deducet eum mirabiliter dextera eius, faciens diuina, patiens humana. Malitias hominum sternens bonitate sua: adhuc deducit eum, & ubi nondum dictum est de gladio, dicatur nunc de sagittis. Multiplex est enim armatura regis nostri. *Sagitta tua acuta*. Verba tua cor transigentia, amor excitantia. Vnde dicitur in Canticis: Vulnerata charitate ego sum. Secundum hoc verba Dei vocantur sagittae, quod occultè alliciunt homines ad timo

ad timorem & amorem Dei. Secundum hoc gladius, quòd manifesta & cõgenti ratione homines Deo faciunt adhærere. Et per hoc, quòd ita instructus es ad pugnandum, *Populi sub te cadent*. Te adorabunt, tibi humiliabuntur. Et ubi cadent? *In corde inimicorum regis*. Id est in eodem corde, in quo prius inimicabantur tibi regi: ubi se erigebant aduersus Christum. Vbi cadent ante Christum, blasphemabant Christum, modò supplicat Christo: ipsum appellant regem. Acceperunt sagittas tuas. Ceciderunt ante te. In corde ubi tu vides, ex inimicis amici facti sunt. Occisi sunt inimici, viuunt amici. Prostrati sunt superbi, surgunt humiles: & facti sunt *Sedes tua Deus in seculum seculi*. Tu in illis resides in æternum: iuxta quod scriptum est, *Anima iusti sedes est sapientiæ. Virga directionis virga regni tui*. Virga hæc est iustitia. Tali virga rex noster gubernat regnum suum, quod sumus nos. Non autem regit, qui non corrigit. Quomodo sacerdos est ad sanctificandos nos, ita rex ad regendos nos. Curui erant homines regni sui, distorti erant, sibi regnare cupiebant, se amabant, non voluntatem suam Deo subdebant: sed eius voluntatem ad suas concupiscentias flectere cupiebant. Venit rex cum directionis virga. Direxit nos in iustitia, emendauit nostram tortitudinem secundum regulam suam rectitudinem. De hac virga alibi dicitur, *Reges eos in virga ferrea*. Ideo ferrea, quia dura. Inflexibilis est iustitia. Alios regit, alios conterit. Regit spirituales, conterit carnales. Bene dico virgam tuam esse directionis, quia tu *Dilexisti iustitiam*. Et in te & in aliis. *Et intantù quòd etiã Odisti iniquitatem*. Et vt talis posses esse, *Propterea unxit te spiritualiter ô Deus, Deus tuus*. Id est tibi consubstantialis, *Oleo latitiæ*, Id est spiritu sancto: *Præ consortibus tuis*. Plusquam ceteros homines quos tui regni esse tecum voluisti confortes. Rectè spiritus sanctus oleo latitiæ comparatur: quia sicut oleum & carnem nutrit, & dolorem repellit: ita sancti spiritus vnctio mentem quam repleuerit, & suauiter fouet, & hilarem facit. Hoc autem oleo spirituali præ confortibus suis vnctus est Christus, quia ceteris datus est spiritus sanctus per partes: in ipso verò fuit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Et notandum quòd nõ ait, *Fecisti iustitiam: sed, Dilexisti*. Neque dixit, *Reliquisti iniquitatem, sed, Odisti*. Multi enim bona faciunt plus timore pœnæ, quam amore iustitiæ: in quibus etsi actio videtur bona, voluntas tamen tenetur rea. Qui etsi ex opere apparent iusti, in eo tamen iniusti sunt, quo peccare velent, si impune possent. Relinquunt iniqua opera, sed adhuc retinent desideria praua. Profectus aliquis est in eo, quòd opera iustitiæ faciunt: sed adhuc ad consequendum regnum Dei non est hoc sufficiens, quia virtutem iustitiæ nondum in corde habent. Duo ergo sunt quæ veraciter faciunt iustum: Amor boni, & odium mali. Quisquis hæc duo habere potest, vnctione sancti spiritus dignus est, quæ sanitatem & lætitiã præstat animæ. Vnctus est Deus à Deo. Vnctus audis? Christum intellige. Christus enim dictus est à chrismate. Hoc nomen quod appellatur Christus, vnctionis est. Nec in alio alibi vngebantur reges & sacerdotes, nisi in illo regno, ubi Christus prophetabatur. Vnctus est ergo Deus à Deo, quo oleo, nisi spirituali? Oleum enim visibile signum, est in sacramento. Oleum spirituale virtus est. Deus igitur

igitur homo, & ideo vnctus est Deus, quia homo Deus & factus est Christus. Audiuius qualis in se fuerit, dicatur nobis qualis fuerit in suis. *Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis*. Tu es vnctus oleo præ confortibus, & etiã à vestimentis tuis, id est ab humanitate tua vel Apostolis tuis, qui ornant te & decorant, sicut vestis ornat dominum, procedit myrrha & gutta & casia, id est boni odores, & bona fama. Myrrha est species valde amara, de qua vnctur corpus mortui, vt non putrescat, & pellit vermes. Per hanc significatur mortificatio carnis, quæ valde amara est, & pellit vermes, id est tentationes diaboli, & seruat corpus & animam à putredine vitiorum. Gutta iterum species, quæ pellit tumores pulmonis, humilitas est, quæ pellit inflationem & omnem motum superbiæ. Casia herba est quæ crescit in aquoso loco, & crescit in magnam altitudinẽ, & reddit magnum odorem. Fides est, quæ oritur in aquis baptismi, & crescit in iustis multum, & bonam famam dat aliis. Hæc omnia nobis processerunt ex humanitate Christi: vel ad sunt Apostolis, qui hæc omnia nobis in semetipsis proposuerunt in exemplo. Et hæc eadem processerunt nobis à domibus eburneis, id est, ab ipsis sanctis Apostolis: quæ dicuntur domus, quia dominus habitat in eis: Eburnei vel propter fortitudinem, vel propter simplicitatis candorem: siue quia diuersis tormentis incisi, sculpti, rasi, & elimati fuerunt: *Ex quibus delectauerunt te filia regum in honore tuo*. Ac si diceret, propter hæc odora-menta placuerunt tibi Ecclesiæ singulæ, quarum patres & rectores fuerunt Apostoli, qui eas genuerunt fonte baptismatis in honore non suo, sed tuo. Ad hoc sacramentum pertinet quod scriptum est in lege: Si mortuus fuerit frater, accipiat vxorem frater eius, & suscitet semen fratri suo. Mortuus est Christus: absentauit se corpore: susceperunt fratres eius vxorem eius Ecclesiam, prædicatione Euangelij filios generaturi, non per seipfos, sed per Euangelium propter nomen fratris. In Christo Iesu (inquit Paulus) per Euangelium ego vos genui. Iraque suscitantes propter nomen fratris semen fratri suo, quotquot genuerunt non Paulinos, nõ Petrinos: sed Christianos nominauerunt. Hoc est in honore tuo, quia non quæsierunt honorem suum, sed tuum. Ex his omnibus facta est vna sponsa regi, vna regina, de qua subditur: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*. Regina ideo dicitur Ecclesia, quia bene regit filios suos. Astitit parata seruire à dextris tuis, id est in bonis tuis potioribus: in vestitu deaurato, in ornatu virtutum, ubi maximè relucet sapientia quæ per aurum significatur, sicut scriptum est: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis*. Vestitus reginæ huius & pretiosus est & varius in linguis variis. Alia lingua Affra, alia Syra, alia Græca, alia Hebræa, & alia illa & illa. Faciunt quinque istæ linguæ varietatem vestis reginæ huius. Quomodo autem omnis varietas vestis in vnitatem concordat, sic & omnes linguæ ad vnã fidem. In veste ista varietas sit, scissura non sit. Ecce varietatem intelleximus de diuersitate linguarum, & vestem intelleximus propter vnitatem in ipsa varietate. Aurum quid est? Ipsa sapientia. Quælibet sit varietas linguarum, vnũ aurum prædicatur, non diuersum aurum, sed varietas de auro: eandẽ quippe sapientiam: eandẽ doctrinam

nam & disciplinam omnes linguæ prædicant. Varietas in linguis, aurum in sententiis. Alloquatur propheta reginam istam, libenter enim illi cantat, & vnusquisq; nostrum: si tamen nouerimus vbi simus, & ad illud corpus pertinere conemur, & fide & spe pertineamus, vniti mēbris Christi. Nos enim, alloquitur. *Audi filia & vide.* Alloquitur eā tanquā vnus de patribus, quia filia regū sunt: et si alloquitur propheta, et si alloquitur Apostolus tanquā filiā. Sic enim dicimus: Patres nostri propheta: patres nostri Apostoli. Sic nos illos vt patres, illi nos vt filios, & vox vna paterna alloquitur vnā filiam. *Audi filia & vide.* Prius audi, postea vide. Vtū est ad nos cum Euangelio, & prædicatum est nobis quod nondum videmus: & audiendo credimus, & credendo vidimus. Audi, vt credas: munda cor fide. Et cum cor mundauero, quid videbo? Beati mundo corde, quoniā ipsi Deum videbunt. *Et inclina aurem tuam.* Id est humiliter audi. *Et obliuiscere populum tuum.* Scilicet sectas Iudæorum, vel gentiū: ritus legales in Iudaismo, & idolatriam in gentilitate. *Et domū patris tui.* Id est conuersationem diaboli. Vel domum patris tui, hoc est huius mundi vanitates, in quo quasi in propria domo vsque modò diabolus regnauit. Cuius filia pro malorum operum imitatione fuit. *Et concupiscet rex decorem tuum.* Id est te decoram, postquā ea quæ dicta sunt, oblita fueris. Et ideo debes libenter audire quæ præcepta sunt tibi. *Quoniam* ille qui concupiscit te, non solum est rex & sponsus tuus, sed *Ipse est dominus Deus tuus.* Id est creator & dominator tui. Regi nubis Deo, ab illo dotata, ab illo decorata, sanata, & redēpta. Quicquid habes vnde illi places, ab illo habes. Hæc quæ de Ecclesia dicta sunt, vnusquisque nostrum ad se referre potest. Anima quæ errore relicto rectè credit, de alienigena Deo adoptatur in filiā. Adoptata ergo inclinet aurem suam, & totam se tradat doctrinæ & intelligentiæ eorum quæ dicuntur. Obliuiscatur primū populum suum: & cum Abraham de Chaldæa egrediens, relinquat terram natiuitatis & cognationis suæ. Nemo dubitat patrem nostrum antequam adoptaremur à Deo, fuisse de quo saluator ait: Vos de patre diabolo estis. Cum ergo, inquit, antiqui patris fueris oblita, & per baptismum siue per pœnitentiam renouata: tunc concupiscet rex decorem tuum. Talem ergo se præbeat anima, vt ametur à rege. Ipse etenim dominus Deus eius, cui flectere debet genu & deposita superbia iugum humilitatis assumere. Et adorabunt eum etiam, *Et filia Tyri in muneribus.* Filia Tyri, filia sunt gentium à parte significans totum. Tyrus vicina huic terræ, vbi prophetia erat, gentes credituras in Christū significabat: quæ adorauerunt dominum cum muneribus, iuxta quod scriptum est: *Thesaurisate vobis thesauros in cælo. Et date eleemosinam, & omnia munda sunt vobis.* Tyrus interpretatur angustia, & significat peccatores quos diabolus comprimebat. Adorant igitur dominum filia Tyri, siquidem peccatores quos artus vinculis diabolus angebat. Et hoc in muneribus, quia seiplos domino offerunt. *Vultum tuum deprecabuntur.* Id est deuotè precabuntur Deum, vt det eis posse peruenire ad tuam cōformitatem. *Omnes diuites plebis,* Id est omnimodi diuites, siue cōsules, siue duces, siue reges, siue imperatores. Det aliis diuitibus discipulū suum admonet Paulus, dicens: *Præcipe diuitibus huius seculi*

ius seculi non superbè sapere, nec sperare in incerto diuitiarum: sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendū. Diuites sint in operibus bonis: facile tribuāt, thesaurizēt sibi fundamētū bonū in futurū. Postquā ostendit dignitates Ecclesiæ, cōmendat eam esse laudabilem secundū interiora, dicens: *Omnia gloria eius filia regis abintus.* Hinc Paulus ait: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientia nostræ.* Fatuæ virgines oleum secum non sumperunt, quia gloriam intra conscientiam non habuerunt, dum hanc ab ore proximorū quæsierunt. Et notandū quòd omnes lampades, sed non omnes oleū habere dicuntur: quia plerunq; bona opera in se cū electis & reprobis ostendunt, sed soli ad sponsum veniunt cum oleo, qui de his quæ foris egerunt, nō foris sed intus gloriā requirunt. Non solum ergo bona agere, sed eadē cum cautela magna custodire necesse est: vt qui gloriatur, in domino gloriatur. Et illa filia regis est *In fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Varietatibus quidem circumamicta est, quia fides, spes, charitas, prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia eam vndiq; circundant. Hæ autem virtutes cum fimbriis aureis sunt in Ecclesia, quoniam sapientia, & scientia, & miraculorum fulgor ab his pendent. Fimbriæ ad ornamentum ponuntur in vestimentis. Quasi ergo ex varietatibus vestimēti fimbriæ aureæ procedunt, quādo ex virtutibus miracula clarescunt. *Adducentur regi virgines post eam.* Apostolicam & primitiuā Ecclesiam præcedentē multæ aliæ subsequuntur: virgines, id est integri & anima & corpore, adducentur regi ad seruiendum. Et in hoc notat quòd per se ad illam dignitatem venire nequeunt, nisi adducantur prædicatione, & gratia adiuuante. Hinc ipse sponsus ait, *Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum.* Hic fit cōuersio ad ipsum regē, cū subditur. *Proxima eius afferentur tibi.* Non enim quæ afferentur alienæ sunt, sed proximæ eius, ad eam pertinentes. Per virgines possumus intelligere illas animas, quæ semper integritatem carnis seruantes, in virginitate sua cælesti sponso seruiunt: & ipsæ in primo gradu sunt. Sunt aliæ, si non virgines, tamen continentes, quæ quanuis in eodem gradu non sint, tamen sunt proximæ: quia post lapsum carnis continentiam studuerunt seruire mētis. Inter has proximæ coniugatorum ordo, qui ab aliena coniunctione se custodiunt, continentur. Hæ ergo quæ sequuntur Ecclesiam, & in primo ponuntur gradu, quæ in virginitate corporis & animæ perseuerant: & proximæ, id est viduæ, & in matrimonio continentur: omnes, *Afferentur in letitia & exultatione.* quia in præfenti quoque Ecclesia valde latatur sancti de puritate suæ conscientia. Et de hac deinde *Adducetur in templum regis,* Id est in supernā Ierusalē. In templū adducetur, quasi sacerdotes Dei, in thalamū quasi spōsæ regis & sponsi. Vel adducentur in templum, id est ad hoc, vt sint templū regis: vt tanquā in tēplo dominus habitet in eis. Iuxta quod Paulus ait: *Templū Dei sanctū est, quod estis vos.* In vnitatem est templū regis. Lapidēs viui sunt fideles Dei. Nō est hoc tēplum ruinosum, non discissum, non diuisum. Iunctura lapidum viuentiū, charitas est. Duce ergo gratia adducetur in tēplum regis, in vnitatem perfectæ charitatis: vbi possint in eternū laudare Deū. Deinde alloquitur Ecclesiā, dicens: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.* Genuerunt te Apo-

stoli. Ipsi missi sunt, ipsi prædicauerunt, ipsi sunt patres, ipsi sunt recepti in gloria: & loco illorum nati sunt filij: constituti sunt episcopi. Non te ergo putes desertam, quia non vides Paulum, quia non vides eos per quos nata es. De prole tua tibi creuit paternitas. Nati sunt filij tibi ad opus tuum. *Cōstitues eos.* Id est, stabiles facies in fide & opere. *Principes magistrōs & doctores. Super omnem terram.* Id est Ecclesiam per omnes partes terræ diffusam. Et quia ita est ordinata Ecclesia & confirmata, ideo *Memor ero nominis tui domine.* Id est famæ & gloriæ tuæ memoriam agam *in omni generatione*, diffusa in omni terra: & deinde *in generationem*, succedentem. *Propterea etiam Populi qui futuri sunt, videntes tantam gloriā Ecclesiæ tuæ confitebuntur tibi.* Id est, laudabunt te, tanquam auctorem & gubernatorem, *in æternum*, per totam hanc præsentem vitam. Non quia hæc vita sit æterna, sed secundum eorum intentionem & deuotionem: quia si semper viuerent, hinc semper laudarent. *Et in seculum subsecutiuum huius seculi.* O felices illi, qui dominum laudare merebuntur in seculum seculi!

T I T V L V S P S A L M I X L V.

IN finem filiis Chore pro arcanis psalmus David. Psalmus iste attribuitur filiis Chore, id est imitatoribus crucifixi, Apostolis scilicet inuitantibus futuros filios Chore, ut in finem tendant, id est in perfectione. Qui enim perseverauerit usque in finem, hic saluus erit. Et agunt pro arcanis manifestandis. In hoc psalmo manifestatur aduentus Christi, qui multum occultus erat, & conuersio Apostolorum à Iudæis ad gentes, & saluatio Iudæorum in nouissimis temporibus, & pax in eius tempore natiuitatis inter Deum & hominem. Materia est aduentus Christi, de quo cuncta arcana quæ dicta sunt, processerunt. In prima parte ostendit omnem spem in aduentu Christi, & in transitu Apostolorum ad gentes. In secunda parte ostendit Ecclesiam esse fundatam in Christo, cui subiciuntur gentes & regna. In tertia admonet nos Deus, ut attendamus opera istius domini. Intentio est ut homines spem suæ liberationis constituent in aduentu Dei: vel certificare nos de ipso aduentu, & de saluatione gentium. Proponit se primitiua Ecclesia in hoc psalmo posteris exemplum patientiæ, videlicet ut non deficiant sub tribulationum pondere, cum eos audiant, qui salutem omnium querebant, tot & tanta pertulisse patienter.

P S A L M V S X L V.

DEVS noster refugium & virtus. Ille qui est Deus omnium potestate, noster autem voluntate & gratia, est nobis refugium, id est & securitas. Et quia multa sunt refugia, quæ non sunt tuta: ideo subiungit, *Et virtus*, virtuosum, inexpugnabile refugium. Sunt quædam refugia, vbi non est virtus, quod quisque cum fugerit, magis infirmatur quàm cōfirmatur. Cum fugis (verbi gratia) ad aliquem in seculo magnum, ut facias tibi potentem amicum, refugium videtur. Tanta tamen huius seculi incerta sunt, & ita mala potentium quotidie crebescunt, ut cum ad tale refugium confugeris, plus ibi timere incipias. Antea enim causæ tuæ tantum timebas: cum ad talē refugeris, & de illo timebis. Multi enim cum ad talia refugia confugissent, cadentibus illis ad quos confugerunt, & ipsi quæsi sunt, quos nemo quæreret, nisi ad talia confugissent. Nō autē refugium nostrum est tale, sed refugium nostrum virtus est. Cum illuc confugerimus,

tuti

ruti erimus. Et non tantum defendit nos ab inimicis, sed etiam est adiutor noster, ut non solum non vincamur, sed ut alios vincere possimus. *in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis.* Quoniam tribulemur supra quam ferre possit fragilitas carnis, nisi iuuaremur auxilio diuinitatis. Aliud est inuenire tribulationes, aliud à tribulationibus inueniri. Tribulationes inuenimus, quando iam præmeditatas sustinemus. Ipsæ verò inueniunt nos, quando inopinatos intercipiunt. Grauius autem feriunt tela quæ præuisa non sunt. Quia ergo martyres sancti tanta aliquando tormenta passi sunt, quanta nec cogitare antè potuerunt, nimis à tribulationibus inueniri se asserunt. Nimis est quod cogitari vel ferri non potest. Sed quoniam ab omnipotenti Deo auxilium & virtutem percipiunt, inter ipsa nimia tormenta inuicti atque intrepidi persistentes dicunt: *Propterea nō timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.* Paulo antè solliciti, & subito securi ex tribulationibus nimis, in magna tranquillitate positi. Nihil timere magna tranquillitas est in mente. Turbetur terra, turbetur mare, turbentur omnia elementa: Dei seruus intrepidus manet. Mare autem significat hoc seculum, in cuius maris comparatione tanquam terra videbatur gens Iudæorum. Non enim Idolatriæ amaritudine tegebatur, sed erat tanquam arida, ipsa amaritudine gentium tanquam mari circumdata. Futurum erat, ut turbaretur terra, id est illa ipsa gens Iudæa, & transferentur montes in cor maris. Et primò ipse mons magnus paratus in cacumine montium. Deferuit enim gētem Iudæorum, & factus est in gentibus, translatus de terra ad mare, transferentibus Apostolis, quibus dixerat: Si habueritis fidem in vobis tanquam granum synapis, dicetis moti huic, Tollere & mittere in mari, & fiet. Id est per vestram fidelissimam prædicationem fiet ut mons iste, hoc est ut ego ipse glorificer in gentibus, agnoscat in gentibus, prædicet in gentibus: & fiat quod de me prædictum est. Populus quem non cognoui, seruiuit mihi. Quando autem & illi montes translati sunt, & hoc indicet nobis scriptura Dei. Quādo Apostolus prædicabat Iudæi respuerunt verbum, & ait Apostolus Paulus: Ad vos missi eramus: sed quia respulistis verbum Dei, imus ad gentes. Sic translati sunt montes in corde maris. Verè autem gentes crediderunt montibus, ut in corde maris essent montes illi, non sicut Iudæi, de quibus dictum est, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Hoc enim in nouo testamento promittit dominus per prophetam dicēs, Dabo leges meas in cordibus eorum. Hæ leges, hæc præcepta per Apostolos indicta omnium gentium fidei & credulitati, montes dicti sunt translati, à montibus in corde maris. Tunc non timebimus nos qui compuncti sumus corde, ne fuerimus de numero reprobos Iudæorum, tanquam ramorum fractorum. Crediderunt enim & accesserunt Apostolis. Timeant ergo illi, quos deferunt montes. Nos à montibus non recessimus: & quando translati sunt in corde maris, secuti sumus. Quid iam sequitur ex eo, quod translati sunt montes in corde maris? Attēdite & videte veritatē. Hæc enim quando dicebantur, obscura erant, quia nondū contigerant: nunc autem quis iam non facta cognoscat? Liber sit tibi pagina diuina, ut hæc audias. Liber sit tibi orbis terrarum, ut hæc videas. In istis codici-

s iij

Math. 24.

Acto. 13.
Iere. 33.
Colof. 1.

Math. 16.

Isa. 2.

Math. 17.

Psal. 17.

Acto. 13.

Isa. 26.
Math. 15.
Ier. 31.
Hebr. 8. &
10.

Roma. 1. bus ea non legunt, nisi qui literas norunt. In toto mundo legant & idiotæ. Quid ergo factum est, dum translati sunt montes in corde maris? *Sonnerunt, & turbatae sunt aquæ eorum.* Quando prædicabatur Euāgelium. Quid est hoc? *Acto. 17.* Peregrinorū dæmoniorum videtur iste anūntiator esse. Hoc Athenienses. Ephesij autem quo tumultu occidere Apostolos voluerunt, quando in theatro pro Diana sua tantum strepitum fecerunt, vt clamarent, Magna Diana Ephesiorum. Inter quos fluctus & sonitus maris non timebant, qui ad refugium illud confugerāt. Denique Apostolus Paulus volebat intrare in theatrum, & à discipulis reuocatus est: quia necessarium erat adhuc in carne manere propter ipsos. Sed tamen sonuerunt & turbatae sunt aquæ eorum. *Conturbati sunt montes in fortitudine eius.* Cuius? Nunquidnam maris, an potius Dei, de quo dictum est, Refugium & virtus, adiutor in tribulationibus quæ inueniunt nos nimis? Turbati sunt enim montes, id est potentes huius seculi. Alij enim sunt montes Dei, alij sunt montes seculi. Quibus caput est diabolus, montes seculi: montes Dei, quibus caput est Christus. Sed per istos montes turbati sunt illi montes. Tunc dederunt leges contra Christianos, quando turbati sunt montes. Sonantibus fluctibus & montes turbati sunt, & factus est terræ motus magnus commotis aquis. Sed cui hæc? Ciuitati illi fundatae supra petram. Sonent aquæ, turbentur montes annuntiato Euangelio. *Matt. 7.* Quid tu ciuitas Dei? Audi quod sequitur. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Conturbantur montes, cum sæuit mare, non deserit Deus ciuitatē suam per impetus fluminis. Qui sunt isti impetus fluminis? Inundatio illa Spiritus sancti, de qua dominus dicebat: Qui sitit, veniat & bibat. Qui credit in me, flumina aquæ viuæ fluent de ventre eius. Ergo hæc flumina fluebant de ventre Petri, Pauli, Ioannis, aliorum Apostolorum, aliorum Euangelistarum fidelium. Hæc flumina cum fluerent ab vno flumine, multi impetus fluminis lætificabant ciuitatem Dei. Nam vt noueritis hoc de spiritu sancto dictum, in eodem Euangelio consequenter Euangelista dicit: Hoc autē dicebat de Spiritu sancto, quē accepturi erant hi qui in eū erant credituri. Spiritus autē nōdum erat datus, quia Iesus nondū erat clarificatus. Glorificato Iesu post resurrectionem: glorificato post ascensionē die Pentecostes venit Spiritus sanctus, impleuit credētes, locuti sunt linguis: prædicare Euangeliū cœperūt gētibus. Hinc ciuitas Dei lætificatur, dū mare turbaretur sonitu aquarū suarū, dum mōtes turbaretur, quærētes quid agerēt, quomodo nouā doctrinā pellerēt, quomodo genus Christianorū de terra eradicarēt. Cōtra quē? Contra fluminis impetus lætificātes ciuitatē Dei. Et sequitur: *Sāctificauit tabernaculum suum altissimus.* Si ergo sequitur sanctificationis nomen, manifestum est fluminis illos impetus de Spiritu sancto intelligendos, quo sanctificatur omnis pia anima credens in Christum, vt fiat ciuitas Dei. Vnū flumē vnus spiritus est, qui in septē cornua diuiditur, quæ sunt spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus cōsiliij & fortitudinis, spiritus sciētix & pietatis, & spiritus timoris domini. Ideo Spiritus sanctus dicitur flumē: quia concupiscentias & ardores carnis extinguit. Impetuosum autem, quia nemo ei resistit. Ecclesia dicitur ciuitas, vel propter concordiam habitantium, vel propter munitio

munitio virtutum, vel quia legem habet & regem. Hanc intantum lætificat spiritus, vt gloriatur etiam in tribulationibus. Dicitur & tabernaculum, quia in ea domino militatur. Et hoc tabernaculum sanctificatur per spiritum. Omnis enim qui habet Spiritum sanctum, sanctus est: Et qui hunc non habet, sanctus esse nō valet. Non solum lætificat & sanctificat Deus Ecclesiam suam, sed etiam in medio eius est, ne moueatur de bono ad malum. Et hoc est quod subdit: *Deus in medio eius non commouebitur.* Ergo ambitur loco Deus? Et lata sunt quæ circumdant, in angusto est qui circumdatur. Absit: Nihil tale cogitatis de Deo, qui nullo capitur loco: cui sedes est conscientia piorum. Et ita sedes Dei est in cordibus hominum, vt si homo ceciderit à Deo, Deus in se maneat: non quasi cadat, non inueniendo vbi sit. Magis enim te subleuat vt in illo sis, quando incumbit: vt si se subdixerit, cadas tu. Tu te si subdixeris, non cadet ille. Quid ergo est, Deus in medio eius? Hoc significat quod æquus est omnibus Deus, & personam non accipit. Quomodo enim illud quod in medio est, paria habet spatia ad omnes fines: ita Deus in medio esse dicitur, æqualiter omnibus consulens. In medio est, id est, in communi: quia omnibus æqualiter propositus est. Vel ideo, quia est columna, quæ sustentat omnes partes domus. Et non solum sustentat ne corruat, sed etiam *Adiuuabit eam Deus,* ad bene operandum: *manē,* id est, in principio conuersionis. *diluculo,* hoc est, illuminatione Spiritus sancti. *Manē* dicitur propriè ante lucem. Diluculum est, quādo primò oritur dies. Quando pro peccatis quæ fecimus, ad pœnitentiam siue ad conuersionem properamus: relictis tenebris ad lucem propinquamus: hoc est manē nostrum. Sed post manē, fit diluculum: quia per initium conuersionis venit ad originem & lumen virtutis. Sed quia hoc non fit viribus nostris, sed diuino adiutorio, rectè nunc dicitur: *Adiuuabit eam Deus manē diluculo.* Et non solum Ecclesia firma est, quia Deus in medio eius est: sed per eius prædicationem venerunt alij ad conuersionem. Vnde & subditur: *Conturbatae sunt gentes,* Bona conturbatione ad pœnitentiam, *& inclinatae sunt regna.* Et principes vel religiones humiliati. Iuxta quod scriptum est: Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei. Et vnde hoc contingit: sequitur, & dicit: *Dedit vocem;* id est, prædicationem suam, *& mota est terra.* Id est, terreni ad conuersionem. Hæc est illa vox de qua idem Psalmista alibi dicit: Vox domini in virtute. Vox domini in magnificentia. Hanc vocem dedit per Apostolos, & mota est terra de infidelitate ad fidem, de vitiis ad virtutes, de diabolo ad Deum. Quis est qui dedit vocem suam? Dicant Apostoli, dicat Ecclesia, dicat populus innouatus: *Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.* Quis non mouetur hac voce? Quis non cōtremiscit gaudio? Quis non de tanta gratia miratur? Dominus virtutum, dominus angelorum, ipse est nobiscum in carne. Susceptus est à nobis, & suscepit nos. Accepit nostram humanitatem, suscepit nos in suam diuinitatem. Factus est particeps nostræ mortalitatis, vt nos faceret participes suæ immortalitatis. Dicant ergo Christiani quod non possunt dicere Iudei, aut Pagani, aut Hæretici: *Dominus virtutum nobiscum.* Hoc & ipse pro-

Jerem. 31. miserat per prophetam suum dicens: Et inhabitabo & inambulabo in eis, & ero illorum Deus, & ipsi mihi populus. Hinc ipsa Veritas discipulis suis ait:

Matth. 28. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Ipse dominus virtutum & Deus Iacob, ipse dat virtutes eis qui spiritualiter sunt Iacob, id est, qui luctantur cum carne, & qui vitia supplantant. Iacob enim dicitur supplantator. Et quia admirabilis & salubris est ista gratia, omnes inuitando & admonendo subiungit: *Venite & videte*, id est, credite, & intelligite *opera domini*, quæ operatus est propter nos. Eamus, inquit Ecclesia, obluiscamur ea quæ retrò sunt. Transeamus de terrenis ad spiritualia: & oculis cordis videamus *quæ posuit prodigia*, id est, in signum. Prodigia enim dicuntur, in quibus aliud significatur quàm videtur: *super terram*, id est, super terrenos. Quæ sunt illa? *auferens bella usque ad finem terræ*. Pacem enim fecit inter Deum, & hominem: & idolatriam, & cultum veteris legis abstulit, per quæ discordabant Iudæi & gentes, & fecit vtrunque vnum. Et illa pax Dei ad homines non fuit in vna sola terra, sed usque ad fines terræ. A solis enim ortu usque ad occasum laudabile nomen domini. Aufert etiam in nobis dominus bella, quando extinguit repugnantia vitia. Vnde & subditur: *Arcum conteret & confringet arma, & scuta comburet igni*. Arcum, arma, scuta, ignis. Arcus est insidiæ. Arma publica impugnatio: scutum vana præsumptionis protectio. Ignis quo ista comburuntur, est ille de quo dominus ait: Ignem veni mittere in terram. Et de quo igne dicit in psalmo: Non est qui se abscondat à calore eius. Feruente igne isto, nulla in nobis impietatis arma remanebunt. Necessè est vt omnia confringantur, conterantur, comburantur. Remaneas inermis, nullum habes adiutorium tuum, & quo magis infirmus es, nulla tua arma habens, tanto magis te suscipit, de quo dictum est: *Susceptor noster Deus Iacob*. Valebas enim quasi per te: comburaris in te. Perde arma quibus præsumebas. Audi dominum dicentem: Sufficit tibi gratia mea. Dic & tu: Quando infirmor, tunc potens sum. Apostoli vox est. Omnia arma perdiderat tanquam fortitudinis suæ, qui dicebat: Ego autem non gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. Quando autem dominus suscipit, nunquid inermes dimittit? Armat nos sed illis armis Euangelicæ veritatis, continentia & salutis, fidei, spei, charitatis. Hæc arma habemus, sed non à nobis. Arma autem quæ à nobis habuimus, arserunt: sed tamen igne illo sancto accensi sumus. Prius inuitati sumus ad videnda opera domini. Iam ipse dominus nos inuitat ad videndum se dicens: *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus*. Vidistis opera mea. Iam præparate vos ad videndum artificem ipsum. Et vt ad hoc idonei sitis: Cessate à terrenis: vacuate vos à malis: Nullus tumultus in mente sit.

Matth. 5. Omnia sint pacata, omnia mundata. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Ad hoc iam relinquimus impedimenta mundi & curas seculi, atque ad monasterij accessimus secretum: vt liberius vacare possimus Deo, non his rebus quibus noster delectetur aduersarius. Certum est enim quòd quando ociosi & negligentes sumus, quando cælestibus desiderijs animum non attollimus, quando ab amore Dei refrige

refrigescimus, quando diem expendimus in fabulis, in cogitationibus prauis: magis tunc vacamus diabolo quàm Deo. Hoc significat quod scriptum est: *Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata eius*. Sabbatum requies dicitur. Et sabbata nostra hostes derident, quando nos maligni spiritus otiositatibus & vanitatibus vacare vident. Illud ergo habere studeamus quod in nobis maximè dominus desiderat, id est, mentem ab omni malitia liberam & deuitatis his quibus spiritus sanctus offenditur, humilitati, quieti, charitati operam demus: vt impleatur à nobis quod dicitur: *Vacate & videte* quoniam ego sum Deus. Sic enim Deum videre merebimur, si prius ab illicitis cessare, & mente tranquilli esse studeamus. Paulo antè dixeram terræ nomine significari gentem Iudæorum. Maris nomine cæteras gentes. Translati sunt montes in corde maris. Conturbatæ sunt gentes, inclinata sunt regna, dedit vocem suam Altissimus, & mota est terra. Dominus virtutum nobiscum, susceptor Deus Iacob. Facta sunt miracula in gentibus, impletur fides in gentibus, ardent arma præsumptionis humanæ, vacatur in tranquillitate cordis, vt cognoscatur Deus auctor omnium munerum suorum. Et post ipsorum clarificationem nunquid deserit & plebem Iudæorum? De qua dicit Apostolus: *Dico enim vobis, vt non sitis vobis sapientes: quia cæcitas ex parte in Israël facta est, donec plenitudo gentium intraret, id est, montes huc transferrentur, vt nubes hinc pluerent, hinc dominus tonitruo suo regna inclinaret, donec plenitudo gentium intraret. Et quid postea? Et sic omnis Israël saluus fieret. Ideo & hinc ipsum ordinem seruans: Exaltabor, inquit, in gentibus, & exaltabor in terra*. Id est, in mari, & in terra: vt iam omnes dicant quod sequitur: *Dominus virtutum nobiscum susceptor noster Deus Iacob*. Dominus Deus noster fidem in qua viuimus, & ex qua viuimus, per libros suos, scripturas suas multipliciter nobis varieque diffudit. Sacramenta quidem verborum varians, fidem tamen vnam commendans. Vna enim eademque res ideo multis modis dicitur, non vt modo ipso dicendi propter fastidium varietur, sed propter concordiam vna teneatur. Itaque in hoc psalmo quem cantatum audiuius, cui cantando respondimus, ea sumus dicturi, quæ nostis. Et tamen fortassis aliquã adiuuante & donante Deo suauitatem allaturi sumus vobis, quando ea quæ alibi & alibi noueratis, etiam commoniti ruminatis. Nam & in ipsa ruminacione in qua significat Deus munda animalia, hoc voluit insinuare, quia omnis homo qui audit, sic debet in cor mittere, vt non piger sit ea cogitare: vt quando audit, similis sit manducanti. Cùm autem audita in memoriam reuocat, & cogitatione dulcissima recolit: fiat similis ruminanti. Alio verò modo eadem dicuntur, & faciunt nos dulciter cogitare, quæ nouimus: & eadem ipsa libenter audire: quia modus dicendi varariatur, & res antiqua ipso modo dicendi renouatur.

R V F F I N I P R E S B. I N
T I T V L V S P S A L M I X L V I.

TITVLVS psalmi sic habet: In fine, pro filiis Chore, psalmus ipsi David. Psalmus iste conuenit David propheta, qui hic loquitur in persona Apostolorum. Psalmus dico propositus filiis Chore, directus per hoc in finem. Materia est Christus ascendens. Vel materia sunt gentes conuersae scilicet ipsi filij Chore, qui sunt filij Christi. In prima parte monet nos omnes ad laudem Dei. In secunda describit regnum Christi per ascensionem eius. Intendit autem inuitare ad laudes Dei. Pro filiis Chore psalmus cantatur. Ergo pro Christianis cantatus est. Audiamus enim tanquam filij sponsi illius, quem pueri insensati in Caluaria loco crucifixerunt. Illi uero meruerunt à beatijs deuorari: nos ab angelis coronari. Agnoscimus enim humilitatem domini nostri, & non de illa erubescimus. Non erubescimus de illo appellato mystice caluo, propter caluaria locum. Ipsa enim crux in qua illi insultatum est, non permisit caluam esse frontem nostram, quam suo signo signauit. Deniq; ut noueritis, quia nobis dicuntur haec, videte quid dicitur.

P S A L M V S X L V I.

OMNES gentes plaudite manibus. Nunquid populus Iudaeorum omnes gentes erant? sed caecitas ex parte in Israël facta est, ut pueri insensati clamarent, Calue, Calue: atque ita Dominus crucifigeretur in caluariæ loco, & sanguine suo fuso redimeret, & impleretur quod ait Apostolus: Caecitas ex parte contingit in Israël, donec plenitudo gentium intraret. Insultent ergo vani, & hebetes, & insensati: & dicant, Calue, Calue. Vos autem sanguine illo redempti, qui fusus est in caluariæ loco: Omnes gentes plaudite manibus, peruenisse ad vos gratiam. Quid est Plaudite? Gaudete. Sed quare manibus? Quia bonis operibus. Si tantum voce, non bene: quia pigrae sunt manus. Si tantum manibus, nec hoc bene, quia muta est lingua: concordent manus & lingua. Illa confiteatur, illa operentur. *Iubilare Deo*, id est, tantam laudem Dei mente concipite, quæ non possit exprimi voce: & ita quod iubilatio illa sit in voce exultationis. Id est, non solum Deum laudate corde, sed etiam exultanti voce. Illum alijs annuntiate. Et subiungit causam quare laudandus sit, dicens: *Quoniam dominus*, quia dominatur omni creaturæ: *excelsus*, quia potens & efficax suæ voluntatis. Et ne in eius bonitate confidatis si mala feceritis, quia ipse est *terribilis* futurus iudex: punit impios, & *rex* quia suos spiritualiter regit per potentiam. *Magnus super omnem terram*, quia nulla pars est terræ, ubi ipse non dominetur. Ille qui videbatur paruus & despectus, factus est *terribilis* & *excelsus*: & qui erat tantum in regno Iudaeorum, iam regnat super omnem terram. Non illi sufficit vnam tantum gentem habere sub se: ideo tantum pretium ex latere dedit, ut emeret orbem terrarum. Ideo voce prædicatorum subditur: *Subiecit populos*, Id est, Iudæos, *nobis*, & *gentes sub pedibus nostris*. Ideo dicit, Sub pedibus, ut omnimodam subditorum humilitatem intelligamus. Sic enim dominus ordinauit Ecclesiã, ut alios vellet esse prælatos, alios subditos. Vnde & in alio psalmo dicunt subiecti: *Posuisti homines super capita nostra*. Prælatorum officium est prædicare, monere, corrigere, & in

P S A L M V M X L V I. C O M M E N T. 108

& in Ecclesijs Christi vices tenere. Subiectorum officium est audire, obedire, omnem subiectionem prælati suis tanquam ipsi domino Christo exhibere. Neque enim, quod dicunt: Subiecit populos nobis, ex sua persona hoc dicunt: sed ex eius persona, cuius ministerium agunt. Hinc Petrus quosdam admonet dicens: Subiecti estote omni humane creaturæ propter dominum. Illa utiq; quæ propter Deum fit subiectio, non tam hominibus exhibetur quam Deo. In eo ergo quod prædicatores sancti dicunt, Subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris: nequaquam ita intelligendum est, ut sibi vellēt hoc adscribere: cum Apostolus Paulus quosdam volentes ei subiici tanquam homini, redarguat, dicens: *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Non ergo in hoc verbo seipsum appetunt commendare, sed illum potius, cuius auctoritas erat in ipsis: cui magis obediebatur per ipsos, quam ipsis. Quorum adhuc voce subiungitur: *Elegit nobis hereditatem suam*. Id est, gentes elegit nobis in hereditate lociandas. Vel elegit nobis, ut nos subsistentes loco ipsius, in hereditate excolamus eam, spinas vitiorum auferendo: vomere disciplinae arando: semina virtutum mittendo: In eo quod dicitur, *Elegit, gratia diuina commendatur*. Iuxta quod ipse auctor gratiæ suæ dicit. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Quæ gratia magis declaratur, cum subditur: *Speciem Iacob quem dilexit*. Duo fratres erant, Iacob & Esau: & antequam aliquid egissent boni vel mali, ait dominus: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Per Iacob ergo intelliguntur gratia electi. Elegit itaque dominus speciem Iacob quem dilexit: non quia tunc esset speciosus, quando est electus, aut propter speciem quam antea haberet, esset dilectus: sed illam speciem iam diligebat in Iacob, quam per gratiam postmodum erat daturus. Sic elegit sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, Non quia esset immaculata, quando est electa: sed ad hoc elegit foedam ut faceret pulchram. Deinde ostendit quo ordine gentes electæ sunt, cum subiungit: *Ascendit Deus in iubilatio*. Nam post ascensionem missus est Spiritus sanctus in Apostolos, & prædicatum est gentibus Euangelium, & sic electæ sunt. Quid est iubilatio, nisi admiratio gaudij, quæ verbis non potest explicari? Quomodo admirati sunt gaudentes, videntes ire in cælum quem planxerant mortuum? Reuera huic gaudio verba non sufficerent. Restabat iubilare quod nemo poterat explicare. Ibi erat & vox tubæ, vox illa angelorum. Dictum est enim, Sicut tuba exalta vocem tuam. Prædicauerunt angeli ascensionem domini. Viderunt discipuli ascendentem dominum, hærentes, admirantes, stupentes, nihil dicentes, sed corde iubilantes. Et vox iam tubæ in clara voce angelorum: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus est. Quasi illi non sciebant, quia ipse est Iesus. Ante se paulo antea eum non videbant, secum loquentem non audiebant. Nempe non solum speciem viderunt presentis, sed membra contrectauerunt. Ipsi ergo nesciebant quod ille esset Iesus. Sed admiratione præ gaudio iubilationis, tanquam mente alienata, loquuntur angeli, Ipse est Iesus. Ille quo crucifixo nutauerunt vobis pedes. Quo occiso & sepulto spem vobis perdidisse putabatis. Ecce ipse est Iesus. Ascendit ante vos: sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.

lum. Tollitur quippe corpus ab oculis vestris, sed non separatur Deus à cordibus vestris. Ergo vos filij Chore, iã si intellexistis vos & inspicitis hinc vos, & gaudetis quia videtis, hinc vos *Psallite* bene operando *Deo nostro*, id est ad honorem Dei nostri. *psallite* mēte. Et non solum psallendū est ei, in eo quod Deus est: sed etiam in eo quod homo est. Nec qualiscunque homo, sed rex. Et ideo subiungit: *Psallite regi nostro, psallite*. Psallendū est Deo, quia nos creauit. Psallendū est, quia nos redemit. Ille rex est Deus, est homo: Deus ante carnem, Deus in carne. Cui etiam ideo psallendū est: *Quoniam rex omnis terræ Deus*. Quid enim? Et antè non omnis terræ Deus? Nonne & cæli & terræ Deus? Cum per illum facta sint omnia, quid posset dicere non esse Deum suum? Sed non omnes homines agnouerant Deum suum, & vbi agnoscebatur, quasi ibi tantum Deus erat. Notus in Iudæa Deus. Nondum filij Chore dicebant, Omnes gentes plaudite manibus. Iam ab omnibus agnoscitur, quia impletum est quod dicit Isaias, Ipse Deus tuus, qui eruit te, vniuersæ terræ Deus vocabitur. Ideo subdit: *Psallite sapienter*, id est, bene operamini, non pro terrenis, ne sitis comparabiles fatuis virginibus, quæ accipientes lampades suas non sumpserunt oleum secum in vasis suis. Per eas enim designantur animæ quæ continenter viuunt, & bona opera quæ per lampades designantur, faciunt. Sed dum inde hominibus appetunt placere, oleum in vasis, id est, nitorem gloriæ in conscientis negligunt habere. Tales videntur Deo psallere, in eo quod bona agunt: sed insipienter psallunt, quia eadem bona per inanem gloriam amittunt. Sapienter ergo psallere, est recta agere, & de ipsis rectis operibus soli Deo velle placere. Non est autem ociosum, quod totiens dictum est *Psallite*. Repetens inculcat, vt tardos excitet: frequens quoque repetitio eiusdem vocis, nimis inculcatio est iocunditatis. Vel quinquies psallite ad quinque sensus corporis possumus referre: vt videlicet visum, auditum, gustum, odoratum & tactum vertamus in bonum vsum. Deinde ostendit quomodo sit rex omnis terræ, cum subdit: *Regnavit Deus super gentes*. Et ne aliquis intelligeret, vt etiam in malis regnaret, determinat ita, *Deus sedet super sedem sanctam suam*. Id est, ita regnat in gentibus, vt tamen in sanctis maneat. Inde scriptum est, Anima iusti sedes est sapientiæ. Vbi ergo regnabat diabolus, modò regnat Christus. Ille regnabat per superbiam, per luxuriam, per iram, & per vitia. Ille regnat per humilitatem, per castitatem, per mansuetudinem, & per cæteras virtutes: vt iam non simus serui peccati, sed liberi iustitiæ. Si hæc agimus, erimus regnum Dei, & sedes Dei. Exponit quomodo factum sit, vt regnet super gentes. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham*. Ac si diceret, Reges & aliæ potestates, qui prius Deo aduersabantur, congregati sunt per fidem cum Deo cui credidit Abraham. Ex illis principibus erat ille ceterio, cuius fides commendatur in Euangelio. Ecce quomodo impletum est quod Ioannes ait, Potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abraham. Nonne lapides erant gentes, quando lapides colebant, sicut de illis alibi dicitur in psalmo: Similes illis fiant, qui faciunt ea? Et ideo accesserunt ad fidem, *Quoniam Dij fortes terræ*, Id est, A postoli & prædicatores sancti: Dij per gratiam, fortes per fi

Matth. 2.
Ioan. 1. &
29.

Ioan. 1.
Hebr. 1.

Psal. 75.

Isa. 54.

Matth. 25.

Sapient. 7.

Rom. 6.

Hebr. 11.

Matth. 2.

Matth. 3.

Psal. 113.

per fidem. *Uehementer eleuati sunt*. In signis & virtutibus. Et ita factum est, vt multi generentur ad fidem.

TITVLVS PSALMI XLVII.

PSALMVS cantici filij Chore in secunda sabbati. Psalmus iste proponitur filij Chore, id est, filij Christi qui crucifixus est in loco Caluarie. Chore enim (vt sæpe dictum est) Caluarie interpretatur. Qui psalmus dicitur cantici, quia de re agit unde maxime nobis exultandum est: quoniam magnam exponit Ecclesie dignitatem. Psalmus dico habitus in secunda sabbati, id est, de fundatione Ecclesie, quæ significatur pro fundatione terræ quæ facta fuit in secunda die. Prima enim die discreta est lux à tenebris: in qua significatur resurrectio Christi, de qua lux immortalitatis à mortalitate discreta est. In secunda die factum est firmamentum, in quo significatur tempus post resurrectionem, quo fundata est sancta Ecclesia. In prima parte describit eam, & multis modis commendat: modo per fundatorem, modo per positum loci, modo per dilationem. Laudat etiam eam à muneribus. Per hoc quoque quod quidam volentes eam destruere, cognoscentes eius dignitatem, conuersi sunt ad eam. Deinde commendat quoddam insigne donum ipsius, scilicet quod misericordia Dei habitat in ea. In secunda parte agit de ordinibus ipsius Ecclesie. Intentio est hortari vt omnes istam ciuitatem amplificent. Vox perfectorum.

Genes. 1.

Ibidem.

PSALMVS XLVII.

MAGNVS dominus & laudabilis nimis. Id est, magni imperij & magnæ potentie. Et inde dignus laude nimis super quam lingua possit explicare. Et hoc quod magnus & laudabilis sit, maximè perpenditur *In ciuitate Dei nostri*, Id est, in constructione Ecclesie quæ est munita virtutibus, ampla charitate collecta per fidem ad iure viuendum. Nec talis ciuitas est Babylonis, id est, confusorum aut hæreticorum: sed est Dei nostri. Hinc commendat Ecclesiam per artificem Deum. Ciuitate dico posita *In monte sancto eius*. Id est, in Christo, siue in monte virtutum vel constantie. Hæc ciuitas à tali domino est possessa. De huiusmodi lapidibus est constructa, id est, de Iudæis & gentibus. Et hoc est quod subdit: *Fundatur exultatione vniuersa terræ*. Id est, firmiter ædificata est de habitatoribus vniuersæ terræ exultantibus de peccatorum remissione: vel fundatur exultatione vniuersæ terræ, id est, ad exultationem omnium credentium. Et hoc exequitur per partes, cum subiungit: *Mons Sion latera Aquilonis ciuitas regis magni*. Mons Sion, in quo caput regni Iudæorum erat, ipsos Iudæos significat. Per latera Aquilonis gentes designantur, quæ torpentes frigore infidelitatis à diabolo possidebantur. Pro eo quod ventus Aquilo constringit in frigore, non incongruè Aquilonis nomine torpor maligni spiritus accipitur. Quod Isaias quoque testatur, qui dixisse diabolus denuntiat dicens: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis*. Malignus spiritus montem testamenti tenuit, quia Iudaicum populum qui legem acceperat, sibi in perfidiam subiugauit. Adhuc monti testamenti præfidet, quando corda doctorum tenet: qui etiam in lateribus Aquilonis sedit, quia mētes gentilium

Genes. 11.

Isa. 14.

frigidas possedit. Vnde & sponsi voce in Canticis dicitur, Surge Aquilo
 & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Recedente
 enim Aquilone, id est, maligno spiritu, spiritus sanctus mentes quasi Auster
 replet. Qui dum calefaciendo flauerit, statim de cordibus fidelium aromata
 fluunt virtutum. Tales sunt ciuitas regis magni, liberati homines ab infide-
 litate & superstitione dæmoniorum, credentes in Christum collimati sunt
 illi ciuitati. Occurrerunt in angulo parietis decircuncisione venientis. Et
 facti sunt ciuitas regis magni, qui fuerant latera Aquilonis. Quicumque
 adhærent diabolo, latera Aquilonis sunt. Adhæreât Christo, & erunt de ci-
 uitate regis magni. In his magna gloria & honor omnipotentis est. Magna
 enim medici gloria est, quando ex desperatione conualescit ægrotus. Se-
 quitur alia commendatio. *Deus in domibus eius cognoscetur cum suscipiet eam.* In
 domibus eius ciuitatis, id est, in singulis fidelibus, qui dicuntur domus, quia
 in eis habitat dominus, cognoscetur Deus: quia ipsi cognitionem habe-
 bunt de Deo, cum suscipiet eam tuendam & protegendam ab inimicis. Vel
 in domibus dictum est, propter duos parietes Iudæorum & gentium. Com-
 mendatur autem gratia, vbi dicitur, *Cum suscipiet eam.* Nam quid esset
 ciuitas ista, nisi ille suscepisset eam? Nonne statim caderet, nisi tale fundamē-
 tum haberet? Nemo ergo de suis meritis gloriatur. Sed qui gloriatur, in do-
 mino gloriatur. Iam ecce illa latera Aquilonis quomodo veniant videte.
Quoniam ecce reges terræ congregati sunt. Ecce reges & potestates huius seculi
 congregati sunt de multis locis, de multis populis. *conuenerunt in vnum.* la-
 pidem angularem, qui de multis facit vnum. *Ipsi videntes sic,* intelligentes ci-
 uitatem Dei sic fundatam, sic constructam, sic decoram, sic firmam. *admi-
 rati sunt.* Post admirationem miraculorum Ecclesiæ Christi. Cōturbati sunt
 de peccatis suis: commoti sunt ad pœnitentiam. *Tremor apprehendit eos.* Pro ti-
 more futuræ iræ. Notandus est ordo verborum. Prius vident, & videndo
 admirantur: deinde ad se reuersi, conturbantur & contremiscunt. Et tu fac
 similiter. Aperiantur oculi cordis tui. Et vide & admirare gloriam huius ci-
 uitatis Dei. Perpende quantis virtutibus polleat, quibus miraculis coruscet,
 quomodo terrena despiciat: quantis desideriis ad cælestia anhelet, quanta
 in futuro sit eius merces & beatitudo. Talia pensans atque admirans, reuer-
 tere ad te ipsum, plange peccata tua. Pertimesce districtum iudicium
 Dei, contremisce in teipso, vt possis cōniri huic beato populo, de quo sub-
 ditur: *Ibi dolores vt parturientis.* In illa conturbatione & tremore fuerunt do-
 lores fructuosi, vt parturientis. Vetus enim homo peperit nouum. Mulier
 cum parit, tristitiam habet. Cum autem peperit puerum, iam non meminit
 pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Sic peccatrix
 anima quando pœnitet magnum dolorem patitur, magnas intra se sentit
 angustias. Sed postquam fructum pœnitentiæ, id est, absolutiōem & remis-
 sionē peccatorū perceperit, iam non meminit pressuræ pœnitentiæ propter
 gaudium salutis. A timore (inquit Isaias) concepimus & parturiuimus & pe-
 perimus spiritū salutis. Sic ergo reges cōceperunt de timore Christi, vt par-
 turiendo parerent salutē. Et hoc quod dolores illi fuerunt fructuosi, non ex
 suis

suis fuit meritis, sed ex gratia Dei. Et ideo subditur: *In spiritu vehementi contere-
 res naues Tharsis.* Secundū Hieronymū, Tharsis idem est quod Carthago. Pri-
 mordia autē regni in Carthaginis nauibus floruerunt, intantū vt inter cæ-
 teras gentes excelleret negociationibus & nauigationibus. Atq; hinc ni-
 miū superba facta est illa ciuitas, vt dignè per eius naues intelligatur super-
 bia gentiū, præsumens in incertis tanquam in flatibus ventorum. Sed in ve-
 hementi spiritu conterentur naues Tharsis, quia in virtute Spiritus sancti
 destruuntur omnes elationes huius mundi. Iste vehemens spiritus omnes
 auras tentationū expellit, omnes nebulas cogitationum diuidit. Omnia in
 mente serenat, vbi vult spirat, & quem vult, immutat: Vicia conterit, virtutes
 nutrit. Hæc autē constitutio Ecclesiæ non est impremeditatē facta, sed diu
 antè prophetizata, & modò completa. Et ideo subditur: *Sicut audiuius, sic vi-
 dimus in ciuitate domini virtutum.* Rectè dominus virtutū dicitur, quia Ange-
 lis, Archangelis, Thronis, Dominationibus, & cunctis cælorum agminibus
 dominatur. Et tātus dominus qui regnat in Angelis, nō dedignatur regna-
 re in nobis. Propterea protinus additur: *In ciuitate Dei nostri.* Ipse qui domi-
 nus est virtutū, ipse est & Deus noster, id est dominus & Deus angelorum &
 hominū. Omnis vna ciuitas, omniū vnus dominus & Deus. Quid est quod
 audiuius & vidimus: sequitur & dicit: *Deus fundauit eam* non ad tempus
 sicut Synagōgam, sed *in æternum.* Fundare Dei, est incommutabiliter stabili-
 lire. O beata Ecclesia! quodā tēpore audiuit, quodam tēpore vidit. Audiuit
 in promissione, vidit in exhibitione. Audiuit in prophetia, vidit in Euāgelio.
 Omnia quæ modò cōplentur, antea prophetizata sunt. Fundauit autē ciui-
 tatē suam, mittendo filiū suum, vt omnis qui credit in ipso, non pereat, sed
 habeat vitam æternā. Et ipse saluator factus est misericordia nostra. De quo
 eidem domino ad laudē ipsius Ecclesia dicit: *Suscepimus Deus misericordiam
 tuam in medio templi tui.* Bene misericordia Dei dicitur Filius, quia per eum
 misertus est nobis Deus. De quo etiam dicitur in alio psalmo: *Deus meus
 misericordia mea.* Si tantū peccata dimitteret, misericors Christus dici po-
 tuisset. Sed quia & culpas dimisit, & insuper etiam vitam immeritis dedit:
 nō solum misericordē, sed ipsam misericordiā dignè appellauit. Qui rectè
 in medio dicitur positus, quia ad omnes æqualiter se habet, tam ad nobiles,
 quàm ad ignobiles: tam ad idiotas, quàm ad sapientes: sicut scriptū est, Qui-
 cunq; inuocauerit nomen domini, saluus erit. Et iterum: Quotquot autē re-
 ceperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Bene ergo subiunctum est:
Secundum nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ. Quomodo nomē tuum
 Deus ubiq; terrarū diffusum est, sic & laus tua vsque ad fines terræ vniuer-
 sa procedit & crescit. Nulla enim terra est, in qua Christi nomē non sit au-
 ditum. Et verè multi erunt iusti, qui te laudabunt: quia *Iustitia plena est dexte-
 ra tua.* Quia per omnipotentiam tuam multos iustos iam conuertisti. Mul-
 ti sunt illi qui stabunt ad dexteram tuam. Non solum multi erunt qui sta-
 bunt ad sinistram: sed ibi erit plenitudo massæ ad dexteram constitutæ: Et
 ideo *Laetetur mons Sion, & exultent filie Iudæ.* Id est, vterque populus, Iudæa &
 gentilitas. Vnde: *propter iudicia tua Domine.* Tu enim iudicaturus es viuos

Math. 3. 16. & 25. & mortuos, & separaturus paleas à granis: etsi modò electi tui patiuntur multas molestias adhuc inter malos positi, quia non discernuntur adhuc iudicia tua. Tunc profectò erit plenum gaudium, & perfecta exultatio, quando post iudicia data audituri sunt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Per Sion montem ideo intelliguntur Iudæi, quia sicut iam suprà dictum est, ibi est caput regni. Filia Iudæ non immerito accipiuntur gentiles: sed propter confessionem fidei. Iudas enim confessio est: & omnes filia confessionis, filia Iudæ sunt. Hinc Apostolus ait: Non enim qui in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto & in carne est circumcisio: sed qui in abscondito Iudæus est, & circumcisio cordis in spiritu non litera: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Talis Iudæus esto: Gloriare de circumcisione cordis. Admonentur alij vt conuertantur, cum subditur: *Circundate Sion & complectimini eam.* Circundate eam per fidem, per operationem, per bonos mores, & complectimini eam dulcissimis amplexibus charitatis. Nolite scandalis circundare, sed charitate, vt qui bene viuunt in medio vestri, eos imitemini: & eorum imitatione Christo cuius membra sunt, incorporetur. *Narrate in turribus eius.* Id est, in altitudine munitio- num eius constituti, prædicare laudes eius.

Isa. 40. Hinc alius propheta admonet dicens: Super montem excelsum ascende, tu qui euangelizas Sion. Non enim verbum Dei prædicare debet, qui adhuc prauè viuendo in imis iacet. Vnde scriptum est in alio psalmo: Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, &c. Ergo in turribus & in monte excelso narrandus est diuinus sermo. Iustum est vt altè viuat, qui alta prædicat: vt cum doctrinis concordet vita. Aptè itaque subiunctum est: *Ponite corda vestra in virtute eius.* Virtus huius ciuitatis, ipsa est vis charitatis.

Cant. 8. Nihil est fortius hac virtute, de qua Salomò ait: Fortis est vt mors dilectio. Quomodo enim quãdo venit mors, resisti ei non valet quibuslibet artibus, quibuslibet medicinis. Sic contra violentiam charitatis mundus nihil potest. Hinc Paulus ait: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus sum quia neque mors, neque vita, neque inflàtia, neque futura, neque creatura aliqua poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Vbi regnat charitas, non regnat cupiditas, non superbia, non ira, non inuidia, non luxuria, non cetera vitia. Charitas vitia extinguit, virtutes nutrit. Ipsa est virtutum virtus, & (vt ita dicam) anima virtutum. Quomodo caro sine anima viuere non potest, sic reliquæ virtutes sine charitate figuram habere possunt, veritatem habere non possunt. Et quomodo anima corpus animat, ita charitas ceteras virtutes viuificat. Nam per charitatem viget humilitas, splendet castitas: per charitatem obedientia seruit, patientia vincit. Sic vnaquæque virtus totam speciem suam, totam fortitudinem suam non trahit aliunde, nisi à charitate. *Ponite ergo corda vestra in virtute eius: & distribuite domos eius, vt enarretis in progenie altera.* Domus duæ intelligendæ sunt: vna ex præputio, alia ex circumcisione. Constitutum est vt Apo

vt Apostoli distribuerent, hoc est discernent, domos istas. Cum vocatus esset Saulus, & factus esset Paulus conueniens in vnitatem coapostolorum suorum, sic cum eis habuit placitum, vt illi irent in circumcisionem: iste in præputium. Ista dispensatione Apostolatus sui distribuerunt domos ciuitatis magni regis, & concordantes in angulo, Euangelium dispensatione diuiserunt, charitate vixerunt. Distribuantur etiam domus istius per diuersas regiones, per diuersas cõgregationes, per diuersos ordines, per diuersa merita. Quæ distributio domorũ habet in cælo distinctionem præmiorum. Vnde saluator ait. In domo patris mei mansiones multe sunt. Sicut modò diuersæ domus gratiæ in vna ciuitate, ita tunc diuersæ erunt mansiones gloriæ in eadẽ æternitate. Sed quid est quod præcipitur vobis, ô sancti Apostoli, vt enarretis in progenie altera? Sequitur & dicit: *Quonia hic est Deus, Deus noster in æternum, & in seculum seculi: ipse reget nos in secula.* Nos sumus progenies altera. Re vera altera, quia noua. Prophetata sunt hæc in progenie carnali, prædicata & impleta in progenie spiritali: narratur ergo nobis quoniam hic Deus qui tam magnus est, & tam laudabilis, Deus noster est: non ad tempus, sed in æternum. O dulce gaudium! ineffabile donum! habuerunt Iudæi Deum cæli, sed non in æternum: quia repulerunt eum. Habuerunt gentes Deos multos areos, ligneos, lapideos, aureos: sed non in æternum, quia de corruptibili materia fuerunt: de quibus scriptum est, *Dij qui cælum & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his quæ sub cælo sunt.* Quoniam omnes dij gentium dæmonia: dominus autem cælos fecit. Ipse est dominus Deus noster in æternum, regnaturus & in hoc seculo & in futuro. Ipse & non alius, reget nos in secula. Si Deus noster est, & rex noster est. Protegit nos, quia Deus est, ne moriamur. Reget nos, quia rex est, ne cadamus. Regendo autem nos non frangit nos. Nam quos non regit, frangit. De his quos regit, scriptum est: *Reges eos in virga ferrea.* De his quos non regit, protinus subditur: *Et tanquam vas figuli confringes eos.* Ab illo ergo optemus regi & liberari hinc, in æternum, in secula seculorum.

Murmurant homines plerunque, qui propterea volunt Deum colere, vt hinc illis bene sit, quando viderint eos qui Deum non colunt, pollere atque florere felicitate terrena: se autem Deum colentes, laborare in angustis, ieiuniis, cæterisque difficultatibus mortalitatis humanæ. Contra hunc morbum sermo diuinus loquitur nobis in hoc psalmo.

T I T V L V S P S A L M I X L V I I I .

TITVLVS talis est, *In finem filiis Chore psalmus David.* Psalmus iste conuenit David propheta, qui hinc loquitur, *propositus filiis Chore ad intelligendum.* Materia Christus est, non malorum, sed iustorum redemptor. Vel materia est contemptus mundi. In prima parte ponit prologum, ad commendationem rei quam dicturus est. In secunda parte proponit Christum redemptorem, non malorum & seculi amatorum, sed iustorum, & in eadem parte reprehendens stultitiam eorum, notat vanitates quibus amatores istius seculi sunt intenti. In tertia parte admonet iustos pauperes, ne curent istos diuites: quia cito peribunt eorum diuitia. Intendunt autem

Apostoli vel Prophetæ in hoc psalmo, omnes in fide existentes, tam ex Iudæis quàm ex gentibus, tam liberos quàm seruos, cuiuscunque conditionis sint, dehortari ab appetitu terrenorum ad amorem celestium. Et sic non erit in die iudicij timendum. In primis autem multis faciunt eos attentos, tum quia prudenter, id est moraliter eis loquuntur: tum quia parabolice: tum etiam quia illud à magistro interius prasidente addiscent, & quod aliis voce prædicabunt, opere complebunt.

P S A L M V S X L V I I I.

AU D I T E hac omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem. Quod dico, Auribus percipite, hoc est, nolite transeunter audire. Sicut est ergo aliqua distinctio inter Audite, & Auribus percipite: ita est distinctio aliqua inter omnes gentes, & habitatores orbis. Significantius enim vult nos intelligere quod ait, Omnes qui habitatis orbem: vt gentes intelligamus, omnes iniquos: habitatores autem orbis, omnes iustos. Nam qui habitat non tenetur. Qui autem tenetur, non habitat: sed habitatur. Ista verba audituri erant non solum peccatores & impij, sed & iusti. Permixtè modò audiunt omnes, sed cum ventum fuerit ad reddendam rationem, separabuntur qui sine causa audierunt, ab illis qui auribus perceperunt. Audiant ergo peccatores. Hoc est quod ait, Audite hæc omnes gentes. Audiant & iusti, qui non sine causa audierunt, & regunt potius terram, quàm regantur à terra. Et hoc est quod subiungit, Auribus percipite omnes qui habitatis orbem. Et iterum dicit: *Quique terrigenæ, & filij hominum.* Quod ait Terrigenæ, ad peccatores retulit. Quod ait, Et filij hominum, ad fideles & iustos. Videtis ergo quia seruetur ista distinctio. Qui sunt ergo terrigenæ, nisi filij terræ? Qui sunt filij terræ? Qui hæreditates terrenas requirunt: Qui sunt filij hominum? Qui pertinent ad filium hominis. Aliquando iam ista distinximus sanctitati vestræ. Et inuenimus quia Adam homo erat, filius hominis non erat. Et Deus non erat ipse Adam: Christus autem & filius hominis erat, & Deus erat. Quicunque pertinent ad Adam, terrigenæ: Quicunque pertinent ad Christum, filij hominum. Omnes tamen audiant. Ego nullis subtraho sermonem meum. Terrigena est: Audiat propter iudicium. Filius hominis est: Audiat propter regnum. *Simul in vnum diues & pauper.* Iterum ipsa sunt repetita. Quod ait, Diues, ad terrigenas pertinet. Quod autem Pauper, ad filios hominum. Diuites intellige superbos: pauperes humiles. Habeat multas facultates pecuniarum? si in eis non extollitur, pauper est. Non habeat aliquid, cupiat & infletur? Inter diuites reprobos deputat eum Deus. Et diuites & pauperes in corde interrogat dominus. Non parua se propheta dicturum insinuat, cum tantam omnium faciat aduocationem. Et ponit causam, quare debeat audiri cum subdit: *Os meum loquatur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.* Sapientia est cognitio diuinorum. Prudentia est de instructione morum. Et propheta vel Apostoli hinc annuntiant sapientiam, vbi Christum filium Dei omnium redemptorem iustorum annuntiant. Mores informant, cum docent hæc terrena non esse appetend

petenda, & diuitum diuitias negligendas. Hæc autem non puris labiis se dixisse pronuntiant, sed meditatè, vt auditores magis attentos reddant. Hæc etiam non à seipsis, sed interiore magistro, videlicet Spiritu sancto, audire & loqui se asseruit, cum subiungit, *Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam.* In parabolam aurem inclinare, est eandem parabolam humiliter audire. Quam non audiunt, qui non faciunt quod dicunt: quales erant Pharisei, quos dicit dominus sedere super cathedram Moyfi. Qui verò doctor est & non auditor, alteri prodest, sibi non prodest. Qui autem faciunt, & sic dicunt: audiunt quod dicunt. Et ideo fructuosè dicunt quod audiunt. Talis erat iste vir sanctus. Qui prius parabolam humiliter audit, quatinus instructus interiore magistro, deinde aperiat propositionem suam in psalterio. Parabolæ sunt similitudines rerum, quæ comparantur rebus de quibus agitur. Propositiones sunt quæstiones, in quibus aliquid est quod disputatione soluendum sit. Quare audit parabolam? Quia videmus nunc per speculum in ænigmate, sicut dicit Apostolus. Quandiu hinc peregrinamur à domino, nondum est illa visio nostra facie ad faciem, vbi iam non sunt parabolæ neque ænigmata, neque similitudines. Ænigma est obscura parabola quæ difficilè intelligitur. Si ergo in ænigmate videmus, inclinamus in parabolam aurem nostram. Et sic aperiamus in psalterio propositionem nostram. Audiamus quod dicitur, faciamus quod præcipitur. Aperiam (inquit) propositionem meam in psalterio, quia quod propono manifestandum in psalmo hoc, faciam non solum verbo, sed etiam exemplo: vt quod doceo ore, compleam opere. Psalterium enim in quo manibus feriuntur chordæ, vt audiantur melos, id est psalmus, bonam operationem significare sæpe iam diximus. In psalterio ergo propositionem aperire, est verba quæ ponuntur operibus demonstrare. Inclinabo in parabolam aurem meam. Ac si dicat, Audi in me Spiritum sanctum loquentem, & ea quæ futura sunt, in parabolis & propositionibus denuntiantem. Inclinabo ergo & humiliabo in hanc parabolam aurem meam, neque de illis ero, de quibus dicitur: *Væ prophetæ, qui prophetat de corde suo.* Postea verò aperiam in psalterio propositionem meam. Audiuit enim propheta, & quid audisset in hoc psalterio psalmi manifestat dicens: *Cur timebo in die mala?* Id est, in die iudicij. Dicit aliquis, Quia fecisti furtum, homicidium, vel aliud graue peccatum. Nō ideo, inquit, timebo. Cur igitur timebo? sequitur & dicit *Iniquitas calcanei mei,* Id est finalis iniquitas *circundabit me.* Id est ex omni parte ostendit me damnabilem. Non ergo tam iniquitas, quàm finis iniquitatis timenda est. Non enim qui malè vixerit, sed qui mala vita finierit, periturus est. Si ergo vitet iniquitatem calcanei sui, & ambulet in viis Dei, non timebit, vt perueniat ad diem malam. Cur ergo timebimus in die mala? Aut quare non nos emendabimus, antequàm veniat dies mala? Præceptum est Eux, vt obseruet caput diaboli: quia diabolus calcaneum ipsius obseruat. Eua est caro nostra. Per carnem facilius labitur homo. Si igitur iniquitas calcanei circundabit nos, cur timebimus in die mala? Habemus enim in potestate auxiliante do-

Math. 23.

Math. 5.

1. Cor. 13.

2. Cor. 5.

1. Cor. 13.

Ezech. 13.

Gene. 3.

mino, vt non faciamus iniquitatem: aut si fecimus, vt emendemus. Et sic non erit qui nos circundet. Et in die nouissima non timebimus, sed gaudebimus. Qui sunt ergo quos circundabit iniquitas calcanei sui? *Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur.* Væ vobis Iudæi, qui non in Christo, sed in vestra iustitia confiditis. Væ vobis diuites, qui in vestris diuitiis gloriimini. Vobis timendum est quod subdit in psalmo. *Frater non redimit, redimet homo?* Quis est iste frater, nisi Christus, qui cæteros fratres saluauit? Cuius typum Iosephille tenuit, qui fratres suos de fame liberauit. Frater iste post resurrectionem suam cuidam dixit: Vade, dic fratribus meis. Frater noster voluit esse dominus noster, assumendo nostram naturam. Christus enim qui dicitur filius Dei, & est, dicitur frater noster. Ergo si Christus non redimet, homo redempturus est: Si ille non redimet qui Deus est & homo, redimet alius qui sit purus homo? Non utique. vnde *Non dabit Deo placationem suam.* Non poterit Deum placare malus, neque per oblationem, neque per orationem, neque per sacrificium. Hinc Paulus ait: Voluntariè nobis peccantibus iam non relinquitur hostia pro peccato. Quandiu enim homo est in voluntate peccandi, nullis Deum potest placare muneribus, nullis sacrificiis, nullis operibus bonis. Et ideo subdit. *Et pretium redemptionis anime sue.* non poterit dare. Non est enim eius Deo beneplacita eleemosyna. cuius adhuc voluntas retinetur in culpa. *Et laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem.* Qui ad tempus delectatus est in diuitiis, in æternum laborabit in tormentis. Desiderabit mori, sed non poterit. Ad hoc tantum viuet, vt semper laboret. Væ tibi mala cupiditas, quam malè tuos decipis amatores. *Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes.* Vident sapientes mori. Attendunt temporalem mortem, sed futurum damnationis interitum non provident. Talia plerunque solet dicere: Nonne mortuus est ille sapiens? Si aliquid posset, qui aliquid sapuit, non moreretur. Faciam ergo mihi bene, dum viuo. Hi sunt qui voluptatem summum bonum esse putantes, cunctis corporis delectationibus inhærent. Hi sunt qui dicunt, Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Viderunt Iudæi Christum pendentem in cruce, & contempserunt illum dicentes: Hic si filius Dei esset, descenderet de cruce: non videntes quid sit interitus. Ille moriebatur temporaliter, vt reuiuisceret in æternum. Illi viuebant temporaliter, morituri in æternum. De quibus mox subinfertur. *Simul insipiens & stultus peribunt.* Insipiens est, qui non credit in futuram pœnam. Stultus qui licet credat, tamen non cauet. Caue ergo insipientiam: caue stultitiam: prouide futurum interitum. Fac tibi amicos de mammona iniquitatis. Vade ad formicam, & discite sapientiam (quæ æstate congregat, vnde viuat in hyeme,) & non peribis in æternum. Hi autem simul peribunt, *Et relinquent alienis diuitias suas.* Omnes iniqui relinquunt alienis diuitias suas: siue filij sint, siue parentes, siue vicini, quibus relinquunt. Tamen in hoc alieni sunt, quia illis de suis diuitiis subuenire non possunt. *Et sepulchra eorum.* Id est pyramides & mausolea, quæ quasi magnas ædificant domos

domos, quasi illa sepulchra debeant esse *domus illorum in æternum.* Excipiuntur sepulchris pretiosis, & inuoluuntur pretiosis vestibus: sepeliuntur vnguentis & aromatibus. Deinde memoriam qualem habent? *Tabernacula eorum in progenie & progenie, vocauerunt nomina sua in terris suis.* Domus & familiæ eorum vsque in tertiam & quartam generationem eos laudat, eisq; sacrificat. Tangit consuetudinem gentilium, qui constitutis diebus aliquos conducebant, vt inuocarent nomina mortuorum circa sepulturam eorum. In quo propheta magnam eorum notat stultitiam, quia cum ipsi per hæc memoriam æternam habere putarent, tamen in solis terris suis hoc faciebant. Vel aliter: tabernacula eorum, id est domus lapideæ, quas de diuitiis construxerunt, in quibus ad horam habitauerunt: manentia in progenie filiorum & progenie nepotum: vocauerunt nomina sua, id est, fuerunt causa quare nomina eorum haberentur in memoria. Et non vbique, sed in terris suis, id est, in vicinio suo. Hoc totum pertinet ad redarguendam inanem diuitum extollentiã, vt in amplis ædificiis operam non insumant: cum tandem præter sepulchrum nihil eorum possideant. Hoc autem ideo faciunt, quia intellectum suum amiserunt. Et hoc est quod subdit. *Homo cum in honore esset, non intellexit.* Quis maior honor homini dari potuit, quã ratio & intellectus, Deiq; similitudo? In tanto honore positus non intellexit, id est non intelligenter egit: sed *Comparatus est iumentis insipientibus.* Non secundum aliud nisi secundum insipientiam, & in actu *Similis factus est illis.* Quia sicut iumenta prona sunt terræ, & tantum ventri obedientia, ita amatores mundi terrenis rebus tantum sunt dediti. *Hæc via illorum scandalum ipsis.* Hæc via secundum quod ipsi fuerunt in honore, & non intellexerunt, terrena tantum appetendo, erit scandalum ipsis, id est offensio, quæ ducet eos ad interitum. Ipsis sit scandalum, non tibi. Quando erit tibi? Si putes quod beati sint tales. Si verò intelligas, quia non sunt beati, ipsis erit scandalum via ipsorum, non Christo, non membris eius. *Et postea in ore suo complacent.* Cum facti fuerint tales, vt non quærant nisi bona temporalia, laudabunt se placentes sibi. Vel postea in ore suo complacent, quando dicent in iudicio, Domine Deus aperi nobis. Sed tunc fiet quod sequitur: *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Quia grege facto diuitiis tonsi & expoliati à magna nigrorum spirituum multitudine in tenebras deducuntur. Et meritò qui Christum pastorem habere noluerunt, à morte depascuntur, & à lupo rapace deuorabuntur. *Et dominabuntur eorum iusti in matutino:* Quia iudices eorum erunt in iudicio. *Et auxilium eorum,* quod habent in hoc seculo, *veterascet,* id est deficiet, *In inferno à gloria eorum,* Id est propter hoc quod gloriati sunt in diuitiis suis. Rectè dicitur, *Auxilium eorum à gloria eorum veterascere,* quia gloria & diuitiæ eorum in inferno nullum eis auxilium poterunt præstare. *Veruntamen Deus redimet animam meã, de manu.* Id est, de potestate *Inferi, cum acceperit me.* Id est meã humanitatẽ. Modò iustis est labor, pressura, tribulatio: in spe futura est verum gaudiũ. Modò qui ad lætitiã secularem oculos aperiunt & cor claudunt, transit eorum fœlicitas & venit pœna. Quo contrà transit iustorum pœna temporalis, & venit

venit æterna fœlicitas. Excitat nos ergo spiritus Dei cùm subiūgit: *Ne timueris cùm diues factus fuerit homo. Et non tantum cùm ipse diues factus fuerit: sed. Cùm multiplicata fuerit gloria domus eius.* Id est honor diuitiarum eius. Nō desperes, neq; putes eum à Deo diligi, quia abundat diuitiis: & te quia pauper es, à Deo derelictum. *Quoniã cùm interierit, non sumet omnia.* Vides viuente? Cogita morientem. Quid hîc habeat attendis? an secū tollat attende. Multū auri habet, multū argenti, multum prædiorum, mancipiorū, &c. alia. Cùm interierit, non sumet omnia. *Neque descendet cum eo gloria eius.* Quid habebit caro putrescens in sepulchro? Quid habebit anima perdita in inferno? Ideo non descendet cū eo gloria eius, quia in vita sua quæsiuit gloriã temporalem. Hoc est quod subiungit: *Quia anima eius in vita ipsius benedicetur.* Illi enim qui ista temporalia pro magno habēt, quando aliquos in hoc mundo honoribus & diuitiis florere vident, solēt eos laudare & beatificare: sicut alibi dicitur in psalmo: *Quoniam laudatur peccator in desiderii animæ suæ, & iniquus benedicetur.* Et iterum, *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Anima ergo eius in vita ipsius benedicetur, sed in morte torquetur, & sentiet æternam pœnam, qui transitoriam secutus est gloriã. *Constituatur tibi cùm benefeceris ei.* Perfectorum est, dominum laudare in aduersis, Reprobis autem tantū laudat in prosperis. Venit illi lucrum? Confitetur. Venit hæreditas? confitetur. Venit damnum? blasphematur. Et ideo subditur: *Introibit usque in progenies patrum suorum.* Qui sunt patres eorum, nisi diabolus & angeli eius? Vnde dominus quibusdam ait: *Vos ex patre diabolo estis.* Progenies verò diaboli sunt omnes reprobi. Hinc per Ioannē dicitur: *Progenies viperarū, quis ostendet vobis fugere à vêtura ira?* Ergo in progenies patrum introibit, quia simul cum reprobis in æterno igne peribit. *Et usque in æternū non videbit lumen.* Mittetur enim in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. Omnis qui male agit, odit lucem. Quia ergo dum viueret tenebras dilexit, ideo nunquam lucem videbit. Et quòd lumen amiserit cordis, ostendit cùm subinfertur: *Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Sententiæ repetitio confirmatio est: vel ideo repetit, quia in hoc versu maximè pendet intentio psalmi, & vtilitas. Defende ô homo honorem tuum. Noli deserere eum quem tibi dedit Deus intellectum, ad hoc vt diuina percipias, æterna diligas, terrena contempnas. Vtere intellectu, vtere ratione, despice temporalia: vt peruenire merearis ad cœlestia.

TITVLVS PSALMI XLIX.

AGITVR in sequenti psalmo de vocatione omnium gentium: de manifesto aduentu Christi, de mutatione veteris sacrificij in nouū, de damnando peccatore indisciplinato: & quòd iter ad dominum sit laudis sacrificium. Titulus est, *Psalmus Asaph.* Interpretatur *Asaph congregatio.* Attribuendus est ergo psalmus iste *Asaph*, id est congregationi fidelium ante aduentum Christi existentium: credentium esse venturum Christum in carnem, & pro nobis: quod nos credimus esse completum. Materia psalmi huius est ipse Christus, modo nos per predicationem

tionem vocans: deinde districtè iudicans. *Intendunt autem pronominati fideles, introducendo ipsius domini Christi personam, vt maiori pondere loquantur, suadere auditoribus suis vt à carnalibus obseruantis desistant, & ab umbra ad veritatem se transferant: nec ita voce prædicent, vt opere non impleant. Cur autem præceptis Christi talia suadentis obtemperandum sit, causa præmissa sunt in principio psalmi, usque ad eum locum vbi dicitur: Audi populus meus. In principio verò fit prædicationis eius talis commendatio. Vox est synagoga.*

PSALMVS XLIX.

DEVs deorum dominus locutus est, & vocauit terram, à solis ortu usque ad occasum. Non quicumque homo, aut quicumque angelus loquutus est: sed ipse deorū Deus, scilicet dominus noster Iesus Christus, qui est operator & deificator sanctorum, sicut ipse alibi ait quibusdam sanctis diis per gratiam factis: *Ego dixi, dii estis & filij excelsi omnes.* Hinc Apostolus ait, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et iterum: *Filij Dei sumus, sed nondum apparet quod erimus.* Iste tantus ac talis locutus est per angelos, per prophetas, per semetipsum, per fideles suos, & vocauit terram, id est homines habitantes in terra. Et non in vna terra tantum, sed à solis ortu vsq; ad occasum. Datus est enim apostolis Spiritus sanctus, & dictum est eis, *Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et quia prædicationis inceptum ab Ierusalem, rectè subiunctum est: *Ex Syon species decoris eius.* Hinc alius propheta dicit: *De Syon exiit lex, & verbum domini de Ierusalem.* Inde cœpit prædicari species decoris, id est, pulchritudo diuinitatis Christi. Ipse est speciosus forma præ filiis hominum, de quo & subditur: *Deus manifestè veniet: Deus noster, & non silebit.* Prius occultus venit, infirmus in carne apparuit. Erat gloriæ species in diuinitate, sed hæc latebat in humanitate. Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Occultus ergo venit, vt iudicaretur. Manifestè veniet, vt iudicet. Et hoc est quod ait, *Et non silebit.* Silet modò à iudicio, occultus in cælo. Patiens est super peccatores, non exercens iram, sed expectans pœnitentiam. Tacui, inquit: nunquid semper tacebo? Et notandum quod ait Deus noster. Nō enim est Deus, qui non est Deus noster. Quoniam omnes dii gentium dæmonia, Deus autem Christianorum est verus Deus. Quia verò ad iudicium veniet, sequentia docent, cùm dicitur: *Ignis in conspectu eius exardescet.* Veniet enim iudicare seculum per ignem. Hinc Apostolus ait: *Vniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit.* Qui dulcedinem Dei nondum gustauerunt, si nōdum desiderant Dei faciem, timeant vel ignem. Supplicia terreant, quem præmia non inuitant. Vile tibi est quod Deus pollicetur? Contremisce quod minatur. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Aliter: Christus veniet ad iudicium, & tunc ignis prauæ concupiscentiæ exardescet, & exuret reprobos qui erunt in conspectu eius: quia videbunt in quem transfixerunt. *Et in circuitu eius tempestas valida.* Id est angeli, quia sicut valida tempestas sufflat paleas ad ignem, sic malos sufflabunt ad inferos. *Valida tempestas ventilatura est tam magnam aream.* Hac tempe

Psal. 9.
Psal. 143.Ioan. 8.
Mat. 3.Matth. 8.
& 13.
Ioan. 3.Psal. 81.
Ioan. 19.
Ioan. 1.
1. Ioan. 3.
Hebr. 1.Acto. 2.
Mar. 16.

Miche. 4.

Psal. 44.

1. Cor. 2.

Matth. 16.

Psal. 95.

1. Corin. 3.

Matth. 7.

Zach. 12.
Ioan. 19.

Matth. 13.

tempestate erit illa ventilatio, qua separabitur à sanctis omne immundum: à fidelibus omnis simulatio, à piis & trementibus verbum Dei omnis contemptor & superbus. Veniens itaque dominus ad iudicium, quid facturum est? *Aduocauit cælum de sursum.* Per cælum vult intelligi omnes sanctos & perfectos, quos aduocabit sursum sessuros, secum iudicatos. Vocabit & terram discernere populum suum. Cælum vocabit, vt iudicet cum eo. Terram vocabit vt discernat populum suum à populo malo. Audi vocationem terre, & populi sui discretionem. Venite benedicti patris mei, percipite regnū quod vobis paratum est ab origine mundi. Percipite dico. Quare? Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c. Ecce quare dicuntur terra: videlicet propter boni operis fertilitatem. Hi si non potuerunt cælum esse, omnia contemnendo, vel bona terra fuerunt, fructum misericordie faciendo. Deinde propheta videns futura tanquam presentia, exhortatur angelos congregantes. Mittet enim dominus angelos suos, & congregabuntur ante eum omnes gentes. *Congregate illi* de diuersis partibus orbis: *sanctos eius.* Et nō tales sanctos, qui insistant carnalibus obseruantis: sed tales, *qui ordinant* & proponunt nouum testamentum eius super sacrificia legalia. Illa enim sacrificia veteris testamenti, umbra & prophetia fuerunt veritatis. Testamentum ergo super sacrificia ordinare, est seipsum in sacrificium domino offerre, & quod litera præcipit, spiritualiter adimplere. Vel super sacrificia testamentum ordinatur, quando veteribus noua præponuntur: quando animalium sacrificiis de structis Melchisedech ordo ubique prædicatur. Ad cuius nouitatis ordinē pertinet quod subditur: *Et annuntiabunt cæli iustitiam eius: quoniam Deus iudex est.* Cæli iustitiam Dei annūntiant, quando spirituales viri fidem domini nostri Iesu Christi & bona opera prædicant. Vnde alibi dicitur: Cæli enarrant gloriam Dei. Quæ profectò iustitia ideo nobis prædicatur, quatinus illam exequentes iram iudicis euitare mereamur. Quoniam Deus iudex est, qui iudicabit viuos & mortuos: quia secundum opera vnicique retribuet merita. Hoc incessanter mentis oculis attendentes sancti viri, quoniam Deus iudex est, vitam suam inquirere, peccata sua deslere, sese semper ad meliora promouere non cessant: vt postmodum ante districtum iudicem iniudicabiles apparere valeant. Huc vsque synagoga commendauit Christum, vel exponendo ordinem prædicationis eius, vel secundum aduentum commendando à modò introducit eū loquentem sic: *Audi populus meus, & loquar Israël:* Israel nomen electionis est. Non vocaberis Iacob, sed vocaberis Israel. Ergo audi sicut Israel, sicut videns Deum. Et si nondum spe, sed iam fide. Hoc enim interpretatur Israel, videns Deum. Qui habet aures audiendi, audiat. Captat autem eius beniuolentiam, cum ait: *Populus meus.* Ac si diceret: *Populus electus, populus peculiaris.* *Et testificabor tibi.* Id est testimoniis scripturarum approbabo. Quid? *Deus Deus tuus ego sum.* Id est ego Deus sum Deus tuus. Qui cunque enim Apostolorum & prophetarum scripturas intelligit, dominum Iesum esse Deum nostrum agnoscit. Deus tuus, & proprie dicitur, quem familiarius habet Deus tanquam in mancipio suo, tanquam ex peculio suo. Quid vis amplius? Primū quæris à Deo? Ecce Deus ipse Deus tuus est. Quid Deo

Deo dicimus? dona tibi quærebas, ipsum donaturum habes. Et quid exigit à nobis dominus Deus noster? Audiamus quid adiungat. *Non in sacrificiis tuis arguam te.* Non tibi dicam, Quare non mihi pinguem taurum mactasti? Quare non de grege tuo hircum optimum obtulisti? Quare aries ille ambulat in ouibus tuis, & in ara mea non imponitur? *Holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.* Holon totum est: caustum, incensum. Holocaustum autem totum igne absumptum. Sunt quædam holocausta quæ non recipit Deus, de quibus in alio psalmo dicitur. Vtique holocaustis non delectaberis. Hæc sunt holocausta brutorum animalium, quibus Deus non delectatur. Quæ sunt ergo illa quæ in conspectu meo sunt semper? Benignè fac, inquit Deus, in bona voluntate tua Sion. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ oblationes, & holocausta. Est ignis flagrantissimæ charitatis. Animus inflammetur charitate, arripiat eadem charitate membra in vsum suum. Non ea permittat militare cupiditati, vt totus exardescat igne amoris diuini. Talia holocausta dicit Deus, in conspectu meo sunt semper. Adhuc forte Israel cogitat de bobus, de ouibus, de hircis. Ideo subiunctum est: *Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos.* Pronuntiat testamentum nouum, vbi omnia illa vetera sacrificia cessauerunt. Erat enim tunc pronuntiatum futurum quoddam sacrificium, cuius sanguine mundaremur. Quare non accipiam de domo tua vitulos, hircos &c. talia? *Quoniam mea sunt omnes feras sylvarum.* Ac si diceret: Qui omnes feras possideo, illo qui in domo tua est vitulo vel hirco non indigeo. Sed fortè ait Israel. Bestiæ Dei sunt illæ bestiæ feræ, quas non includo in corte mea, quas non alligo ad præsepe meum. Ea verò quæ apud me sunt, non Dei, sed mea sunt. Ideo dominus adiungit: *Iumenta in montibus & boues mea sunt.* Et illa quæ possides, & illa quæ nō possides, mea sunt omnia. Si enim seruus meus es tu, totum peculiū tuum meum est. *Cognoui omnia volatilia cæli.* Id est appendi omnia & numeravi. Alia est notitia Dei, alia hominis. Sicut aliud est possidere Dei, aliud est possidere hominis. Non enim tu quod possides, totum habes in potestate: aut quādiu viuat bos tuus, in potestate tua est. Hæc volatilia cæli de aqua nata sunt à verbo domini dicentis: Producant aqua volatilia cæli. Vbi nouerat quæ imperauerat vt aquæ proferrent? Iam certè nouerat quod creauerat, & antequam crearet, nouerat. Tanta ergo notitia Dei: vt apud ipsum essent quodā ineffabili modo, antequam creata essent. Et à te expectat vt accipiat, quod antequam crearetur habebat. *Et pulchritudo agri mecum est.* Id est vbertas omnium in terra gignentium mecum est. Cum illo ager, cum illo species terræ, cum illo species cæli, cum illo omnia volatilia cæli & omnis creatura, quoniam ipse vbique est. *Si esuriere, non dicam tibi.* Non esuriet neque sitiet, non laborabit neque dormitabit qui custodit Israel. Sed hæc secundum carnalitatem tuam dicta sunt: quia tu antequam mādices, famē pateris, fortè putas & Deum esurire, vt manducet. Etiam si esse posset vt esuriret, non diceret tibi. Omnia quæ ante illum sunt, vnde vult, tollit. Nihil illi necessarium est. Et ideo subdit: *Neus est enim orbis terra & plenitudo eius.* Noli ergo laborare quod mihi des: sine labore habeo, quod volo. Nunquid mandu-

Psal. 05.

1. Corin. 11.
Apoca. 1.

Gene. 1.

Iere. 23.
Ioan. 1.
Psal. 120.

Act. 17.

cabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo? Quia ista non quaris, dic ergo: Domine Deus noster, quid velis ut offerat tibi populus tuus Israel. Sequitur & dicit: *Immola Deo sacrificium laudis.* Interiora sacrificia semper plus diligit Deus. Magis enim attendit affectum quam censum. Ideo protinus addit. *Et redde altissimo vota tua.* Sit ara tua conscientia tua. Ignis tuus amor diuinus. Sacrificium tuum laus Dei. Sic ergo Deum lauda in corde tuo, ut in ipsa oblatione laudis spiritali igne accensus te ipsum imsoles & mortifices, & sacrifices Deo. Et bene cum sacrificio præcipimur votum reddere altissimo. Nam secundum vota pensat Deus sacrificia. Tantò apud Deum maius erit sacrificium tuum, quantò maiorem in ipso sacrificio habueris deuotionem. Vnde scriptum est: Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus. Cor nanque & non substantiam pensat Deus. Nec perperdit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur. Hinc alibi dicitur in psalmo: In me sunt Deus vota tua, quæ reddam, laudationes tibi. Ac si aperte dicat: Et si exterius munera offerenda non habeo, intra memetipsum tamen inuenio quod in aram tuæ laudis impono. Quia qui nostra datione non pasceris, oblatione cordis melius placaris. Immola, inquam, Deo sacrificium laudis, ut sic habeas eum placatum & propitium. Et quid deinde? *Et inuoca me in die tribulationis: & eruam te, & honorificabis me.* Quando tribularis noli desperare, nec velis in tuis viribus confidere. Inuoca me, & eruam te. Ad hoc enim permissus est dies tribulationis fieri, quia fortè si non tribulareris, non inuocares me. Cùm tribularis autem, inuocas me: & quia vocas, eruam te. Cùm fueris erutus, honorificabis me, ut iam non discedas à me. Valent ergo nobis tribulationes, quia nos excitant ad honorandum Deum. Tribulati propriam infirmitatem cognoscimus, eruti diuinam gratiam sentimus. Tanto magis autem eum honoramus, quo liberationem nostram non à nobis, sed ab ipso procedere scimus. Et sciendù quòd tota vita ista mortalis tribulatio est sanctis viris. Nam præter innumeras mundi huius anxietates, in eo quòd à Deo separantur, quòd adhuc in mundo peregrinantur, quòd corpus quod corrumpitur aggrauat animam, vehementer tribulantur. Et quanto crebriores tribulationes sunt apud nos, tanto frequentiores debent orationes esse apud Deum. Sed cauendum est ne viuamus malè, dum cantamus bene. Nam sequitur: *Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas?* Id est præcepta mea iustificantiæ prædicas? De talibus dicit Apostolus: Qui prædicas non furandum, furaris: qui doces non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis. *Et assumis testamentum meum per os tuum?* Id est corpus Christi & calicem noui testamenti, qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum. Vel assumis testamentum meum per os tuum, id est Euangelium meum tam pollutis labiis prædicare præsumis? *Tu uerò odisti disciplinam,* Id est correptionem: *Et proiecisti sermones meos retrorsum.* Quia eos negligens non custodisti. In odiendo disciplinam, redarguitur voluntas mala. In proiciendo sermones Dei retrorsum, reprehenditur negligens & praua vita. Sermones Dei proiicere, est illis contemptis peruersa agere. Ecce quomodo

modo proiecisti sermones meos. *Si uidebas furem currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Ne fortè non diceres, Non feci furtum. Non feci adulterium. Quid si placuit tibi qui fecit? nonne ipso placito cucurristi? Nonne portionem tuam cum illo qui fecit, laudando posuisti? Et si non facis malum, si tamen laudas malum, si ex voto consentis, curris cum malo, & portionem mali recipis. *Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.* Malitiam & dolum quorundam hominum insinuat, qui quauis sciant mala esse quæ audiunt, minimè reprehendunt. Et parum est quia non dicunt, Mala fecisti: sed adulando dicunt, Bene fecisti. Et norunt mala esse, sed abundant malitia, & lingua eorum concinnat, id est adornat dolos. Dolus autem est fraus quædam in verbis, quando aliud promittitur, aliud sentitur. Parum est quod facis malum, insuper laudas adulando, & irrides & fallis peccantem. Vel os peccatoris malitia abundat, quando maledictis & conuitiis alios exasperat. Dolos uerò labia concinnant, quando auditu placida verbis pronuntiant. Vnde adhuc subinfertur: *Sedens, aduersus fratrem tuum loquebaris.* Hoc fit quando aliquis quasi firmus aut alicuius iam momenti doctor detrahit fratri suo forte bene agenti & rectè uiuenti. In eo autem quòd ait Sedens, mora vel studium designatur. Est alius infirmus & imperfectus, aduersus quem ponit scandalum similiter prauè loquendo. Ideo infirmus ille dictus est matris filius, nondum patris, adhuc lacte indigens & uerbis adhærens. Portatur adhuc sinibus matris Ecclesiæ, nondum valens ad solidum cibum mensæ patris sui accedere. Scandalizatur autem, quia adhuc perfectus non est. Si enim perfectus esset, scandalizari nullatenus potuisset. Nam pax multa est diligentibus legem Dei, & non est illis scandalum. Et dominus in Euangelio: Qui scandalizauerit (inquit) unum de pusillis meis. Non ait de maioribus, sed de pusillis: quia pusillorum est tantum scandalizari. Prauorum autem usus est perfectis derogare, imperfectis scandalum ponere, & semper discordias seminare. *Hoc fecisti* (inquit dominus) *& tacui.* id est non reprehendi, non vindicaui. Modò enim tempus est misericordiæ, quo nos pius dominus patienter expectat, ut conuertamur. Non enim irascitur per singulos dies, sed sicut dicitur in alio psalmo: Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit. Hinc est quod subiungit. *Existimasti inique quòd ero tui similis.* Parum est quia mala facta tua placent tibi. Placere putas & mihi. Deum quia non pateris ultorem, vis tenere participem. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Quanto modò patientius misericors dominus peccatores sustinet, tanto eos districtius in iudicio arguet. Et quia hinc seipos attendere & emendare negligunt, statuet eos ibi ante faciem suam, ut videant feeditatem suam. Nec tamen ad hoc, ut corrigant: sed ut magis erubescant. Modò ergo tu fac quisquis talis es, quod tibi minatur facere Deus. Tolle te à tergo tuo, ubi te videre non vis, dissimulans à factis tuis, & constitue te ante te. Ascende tribunal mentis tuæ. Esto tibi iudex. Torqueat te timor. Erumpat confessio. Et dic domino tuo: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Si enim (ut

Paulus ait) nosmetipfos diiudicemus, non utique iudicemur. Propterea admonendo subdit: *Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum.* Vos qui Deum obliuiscitis, dum mala agitis, ex ratione perpendite quæ dicta sunt: ut vosmetipfos corrigatis. Attende in hoc versu viscera diuinæ misericordiæ. Etiam obliuiscetes se non obliuiscitur, non repellit, imo reuocat ad intellectum, ut respiciant, & non pereant. Non vult mortem peccatoris, sed ut conuertatur & viuat. Et quare ô misericors domine, admones obliuiscetes te, ut intelligant? Audi causam. Nequando rapiat aduersarius ille diabolus, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, & non sit qui eripiat. Si vos intelligere non vultis. Non enim eripit dominus eos, qui obliuiscuntur eum: qui ea quæ ad salutem animarum suarum pertinent, intelligere contemnunt. Vnde scriptum est: Omnis ignorans ignorabitur. Quo contrâ de intelligentibus & laudantibus Deum quid subiungat, audiamus. *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Quod Latine salutare, hoc Hebraicè Iesus dicitur. In sacrificio igitur laudis fit Iesu iter ostensionis, quia dum per psalmodiam compunctio effunditur, via nobis in corde fit, per quam ad Iesum in fine peruenitur. Sicut ipse de sua ostensione loquitur dicens: Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.

TITVLVS PSALMI L.

In finem psalmus David, cum venit ad eum Nathan propheta, quando intrauit ad Beth-sabee. Psalmus iste attribuitur David propheta in finem respicienti, id est Christum, à quo per peccatum recesserat, qui est finis legis & prophetarum. Vel finis, id est perfectio omnium bonorum operum. Psalmus dico compositus pro eo negotio, pro quo venit ad eum arguendum Nathan propheta. Et quia Nathan multoties venerat ad eum, ut sciretur in quo aduentu ipse fuit causa huius psalmi, determinat sic: eo scilicet tempore, quando intrauit ad Beth-sabee. Huius mulieris uxoris alienæ pulchritudine captus est rex & propheta David. Hoc in isto psalmo non legitur, sed in titulo eius apparet. In libris autem Regiorum plenius legitur. Huius maritum in bello curauit occidendum. Et post hoc factum missus est ad eum Nathan propheta à domino, qui eum argueret de tanto commisso. Multi volunt cadere cum David, & nolunt resurgere cum David. Non cadendi exemplum propositum est: sed si cecideris, resurgendi. Attende ne cadas. Non sit dilectio minorum, casus maiorum: sed sit casus maiorum, tremor minorum. Audiant qui non ceciderunt, ne cadant. Audiant qui ceciderunt, ut surgant. Admonet etiam tale exemplum, non se quenquam extollere debere in prosperis rebus. Multi enim res aduersas timent, prosperas non timent. Periculosior est autem res prospera animæ, quàm aduersa corpori. Hoc peccatum non fecit, cum persecutorem Saulem pateretur. Semper verò aduersus felicitatem vigilandum est. Matera huius psalmi est David, siue quilibet alius pœnitens. Intendit autem propheta in hoc psalmo principaliter orare pro triplici reatu huius criminis supradicti, scilicet pro adulterio, homicidio, & fraude. Deinde etiam pro omnibus aliis delictis, ut Deus

ut Deus hanc noxam & omnes alias sibi indulgeat, & gratiam sancti spiritus restituat: ita ut illam nunquam amplius amittat. Proponitur autem David in hoc psalmo omnibus iustis exemplar, non peccandi: sed si ceciderint, resurgendi. Et ne in virtute sua presumant cum scriptum sit, *Qui stat, videat ne cadat.* In iustis ad hoc proponitur, ut de magnitudine delicti sui aliqui non desperent, respicientes David, tãti delicti per condignam satisfactionem consecutum veniam. Dicit ergo sic David.

P S A L M V S L.

Miserere mei Deus. Dictum est à simili alicuius in causa deprehensi, cuius crimen, quia iam manifestum est iudicibus, non iam studet illud defendere: sed solam veniam nititur deprecando impetrare, suam pœnitentiam ostendens, & merita præterita prætendens: & sic facturum bona in futuro promittens. Prius orat pro peccato: deinde crimen suum sponte confitetur. Ac si diceret, Deus, id est creator meus, quem magna & multiplex iniquitas mea non latet, *Miserere mei, secundum magnam misericordiam tuam.* Id est, ad modum misericordiæ tuæ, quæ magna est, dimitte magnum peccatum meum. *Et secundum multitudinem miserationum tuarum.* Id est, ad modum miserationum tuarum, quæ multæ sunt in effectis, *dele iniquitatem meam:* quæ multiplex est. Id est, dele homicidium, fraudem, & adulterium. Hic ostendit & peccatum suum magnum esse (erat enim adulterium) & multiplex. Ibi nanque homicidium & fraus, & multa alia denotari possunt. Hoc distat inter misericordiam & miserationem: quia Deus naturaliter semper est misericors in se, actualiter autem miserator in nobis. Misericordiæ virtus inseparabiliter in Deo est. Cum autem ex hac misericordia nobis aliqua beneficia tribuuntur, miserationes dicuntur. Et notandum quod qui magnam misericordiam deprecatur, magnam miseriam confitetur. Opponitur ergo magna misericordia magno peccato. Opponitur multitudo miserationum multiplici culpæ. Propterea adhuc subiungit: *Amplius, quàm ego te deprecari valeam, laua me ab iniquitate mea: ut dimittas quæ conscientia metuit, & adicias quod oratio non præsumit. Et à peccato munda me.* Quamuis inter iniquitatem & peccatum nihil distare perhibeat Ioannes Apostolus, qui ait, Iniquitas peccatum est: ipso tamen vltu loquendi plus iniquitas quàm peccatum sonat. Et omnis se homo liberè peccatorem fatetur, iniquum verò dicere nonnunquam erubescit. Cum ergo pœnitens iste orat, ut ab iniquitate lauetur, & à peccato mundaetur: tam à grauiori, quàm à leuiori culpa curationem postulare videtur. Et supponit causam, quare sibi dimitti postulat quod deliquit, dicens: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, secundum pœnitentiam & satisfactionem: & hoc non ad horam, sed continuè.* Ideo subdit. *Et peccatum meum contra me est semper.* Contra me, id est ante oculos meos. Non est oblitus peccati sui & iniquitatis, quamuis iam à propheta audisset: *Transtulit à te Deus peccatum tuum.* In

conscientia sua tanquam in imagine, adulterium & homicidium depictum habebat: per singulos dies videbat putredinem: & ideo dicebat, Et peccatum meum contra me est semper. Ego illud video. Tu id ne consideres. Attende quid facit Deus. Si memor sis peccati tui, ille non erit memor. Si tu eius oblitus fueris, Deus eius memorabitur. Ego sum (inquit dominus) qui deleo iniquitates tuas. Tu vero memor earum esto. Sed forte dicit aliquis, Vt quid ego memor sum? Vt sit gratior, inquit, misericordia mea, vt sentias quid tibi concesserim. Si enim fueris memor cumuli peccatorum tuorum, eris memor & magnitudinis beneficentiæ Dei. Tales erant sancti: virtutes suas non emittebant, sed peccatorum suorum memoriam reuocabant: non sicut nunc homines, qui peccatorum suorum obliuiscuntur, & celare cupiunt: si quippiam autem boni fecerunt, in medio profertur, & omnibus propalare festinant. Fecisti aliquid boni? Cela illud, vt dominus tuus videat, & laudet. Fecisti mala? agnosce & emenda, & ignoscit Deus. Confitere Deo, & dic quod sequitur: *Tibi soli peccaui.* Cui soli reddenda est ratio de peccato, qui solus est sine peccato. *Et malum coram te feci.* Quid est hoc? Coram hominibus non est adulteri vxor aliena, & maritus occisus. Sed in hoc soli Deo peccat omnis homo, quod solus Deus potest curare hominẽ à peccato. Ac si egregio medico dicat egrotus: Tibi soli agrotò: passionem meam nullus sanare potest, nisi tu solus. Hinc in alio psalmo de hoc cælesti medico animæ peccatrici dicitur, Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis. Qui sanat omnes infirmitates tuas. Rectè autem coram Deo malum fecisse se dicit, quia solus Deus quale & quantum sit malum cuiusque cognoscit. Homo enim videt in facie, Deus videt in corde. Homo videt peccatum operis, Deus inspicit etiam radicem intentionis. Vel, tibi soli sine peccato, peccaui & malum coram te feci, quem nullum latet secretum. Ille iustus punitor est, qui in se non habet quod puniatur. Et ideo oro, munda me. Quare? *Vt iustificeris in sermonibus tuis.* Sermo tuus est, Conuertimini ad me & salui eritis. Sermo tuus est, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam. Sermo tuus est, Quacunque hora peccator conuersus fuerit, vita viuet, & non morietur. Et ego quidem conuersus sum, & ad te veniens misericordiam peto. Dimitte ergo quæ commisi, vt in sermonibus tuis iustus & verax inueniaris. *Et vincas cum iudicaris.* Id est, cum quidam prauè intelligentes iudicent te non misereri criminaliter lapsis. Vince illos, & sententiam eorum destrue, mihi parcendo criminaliter lapsis. Aliter. Ideo tibi soli peccata mea confiteor: ideo coram te mala mea detego, vt te iustificem in sermonibus tuis, & me inculpem in operibus meis: & tanquam iudicio constituto, vincas tu, vincar ego. Sæpe enim dum causam Dei erga nos, & nostram erga Deum diligenter discutimus, ipsum Deum apud nos, ex ratione iudicamus. Ascendit homo tribunal mentis suæ: fit accusatrix cogitatio, testis conscientia: fit iudex ratio, carnifex timor: & cum se iniustum & conuictum deprehendit, humilior factus gratiorem se domino reddit. Vel, vincas cum iudicaris, id est, in iudicio filij tui, quo condemnatus est morti, victor appareas, secun-

secundum clarificationem resurrectionis & ascensionis. Superas enim omnes iudices: & qui se putat iustum coram te, iniustus est. Nec sufficit Dauid tantum sua criminalia peccata confiteri: etiam ipsam ad medicum ducit originem peccati. Omnia confitetur, in omnibus se humiliat: vt omnium peccatorum veniam mereatur. Vnde nunc tam sua, quam totius humani generis voce subiungit, dicens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Mater mea me concepit cum delectatione peccati. Ego conceptus contraxi mecum iniquitatem originalis delicti. Nunquid de adulterio Dauid natus erat de Iesse iusto viro & coniuge eius? Quid est ergo quod se dicit in iniquitatibus conceptum esse, nisi quia detrahitur iniquitas ex Adam? Nemo nascitur, nisi trahens culpam, & culpæ pœnam. Quod dicit, Ecce, significat in manifesto. Omnes enim hoc vident. Omnes hoc sentiunt. Homo enim in corruptibili carne viuens, habet tentationum immunditias impressas in semetipso: quia nimirum eas traxit ab origine ipsa: quippe propter delectationem carnis, eius conceptio immunditia est. Hinc est quod plerumque tentatur, & nolens. Hinc est quod immunda quædam in mente patitur, quamuis ex iudicio reluctetur: quia conceptus de immunditia dum ad munditiam tendit, hoc conatur vincere quod est. Qui ergo ad munditiæ locum iam peruenit, cõceptionis suæ viam respiciat per quam venit: atque inde colligat, quia ex sua virtute non habet munditiam viuendi, cui de immunditia factum est initium subsistendi. *Ecce enim veritatem dilexisti.* Ideo cognosco peccatum secundum pœnitentiam, quia, Ecce, id est, patens est, quod tu dilexisti veritatem: id est, veram confessionem: vel veritatẽ dilexisti, impunita etiam illorum peccata, quibus ignoscis non reliquisti. Sic misericordiam prærogasti, vt seruares & veritatem. Ignoscis confitenti, sed seipsum punienti. *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Ita me dilexisti, ita me honorasti, vt occulta mysteria sapientiæ tuæ, id est, filij tui, prophetico spiritu reuelares mihi: videlicet incarnationem, passionem, resurrectionem, ascensionem, & alia plurima. Incerta dicit, propter Iudæos, qui ea legebant & dubitabant. Occulta propter gentes, quæ hæc omnino nesciebant. Dic nobis ô sancte Dauid, de aduentu Christi si quid tibi fuerit reuelatum. Descendet, inquit, sicut pluuia in vellus. Dic cõuentum persecutorum. Astiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum, aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Dic passionem crucis. Foderunt manus meas & pedes meos. Dic cibum & potum. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Dic sepulturam. Posuerunt me in lacu inferiori. Dic resurrectionem. Non derelinquas animam meam in inferno. Dic ascensionem. Ascendit Deus in iubilo. Dic gloriam Ecclesiæ. Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato. Longum esset enarrare quot & quanta reuelata sunt ei secreta. Cum ergo tantus vir ceciderit, quis est qui de se securus esse possit? Et tamen si contingat aliquem cecidisse, attendat hunc pœnituisse, & non solum percepisse veniam, sed etiam in ordine pristino restitutum esse. Vnde & subdit: *Asper-*

ges me hyssopo & mundabor. Hyssopum herbam nouimus humilem, sed medicinalem, quæ saxo hæere radicibus dicitur. Apprehende & tu radice dilectionis petram tuam, id est, Christum. Esto humilis Deo tuo, vt sis excelsus in glorificato Deo tuo. Noli herbam contemnere, vim medicamenti attende. Hyssopus pulmonis deponit tumorem. In pulmone solet notari superbia. Illic enim inflatio, illic anhelitus. Talem autem passionem curat humilitas. Hyssopo in veteri lege sanguis spargebatur vitulæ ad mundandos filios Israël. Aspergamus & nos hyssopo, imitemur humilitatem passionis Christi, & mundabimur à peccatis. Sed parum est mundari nos à fordibus peccatorum, nisi contingat decorari candore virtutum. Ideo subiungit: *Lauabis me*, sanguine sacro: *Et super niuem dealabor*. In qua nulla nigredinis vestigia cerni possunt. Bene dicit se super niuem dealbari, quia candor iustificatæ animæ candorem omnem superat visibilis creaturæ. Vestis Christi in monte tanquam nix dealbata effulsit, quæ Ecclesiam omnium macula peccatorum mundandam significauit. Sic me mundato & dealbato. *Auditui meo dabis gaudium & lætitiã*. Valde delectat veritas intus audita: Et vehementer gaudet seruus Dei & lætatur, cum de remissione peccatorum, siue de promissione salutis aternæ, siue de aliquibus diuinis conditionibus intus instruitur. Inde de Ioanne dicitur: *Amicus autem sponsi stat & audit, & gaudio gaudet propter vocem sponsi*. Gaudium ad præsentem gratiam referri potest. Lætitiã ad futuram gloriam. *Et propter gaudium mihi redditum, exultabunt ossa humiliata*. Id est virtutes quæ per peccatum fuerunt depressæ, erunt mihi exultationis causa. Vel perfecti viri possunt intelligi, quoniam humiliati sunt, exultabunt: iuxta quod scriptum est: *Omnis qui se humiliat, exaltabitur*. Et vt hoc fiat, secutus adiungit: *Auerte faciem tuam à peccatis meis*. Hoc facit Deus, quando dissimulat peccata hominum propter penitentiam. Quasi auertit à peccatis faciem, quasi non reminiscitur, quando non punit. Merito rogas, & bene rogas, vt Deus auertat faciem suam à peccatis tuis, si tu faciem tuam non inde auertis. Hinc est quod superius dicit, Et peccatum meum contra me est semper. Nec solum rogo pro his peccatis, sed etiam pro omnibus aliis. Et hoc est quod dicit: *Et omnes iniquitates meas dele*. Quas cum deleueris, *Cor mundum crea in me Deus*. Crea vt Deus, nouum aliquid: munda cor meum: aufer malas cogitationes. *Et spiritum rectum innoua in visceribus meis*. Bene dixit, Innoua: denuò nanque domus ædificata est, quam inueterauerat peccatum: rogo vt innouet gratia. Per factum meum curuata erat rectitudo spiritus mei: per gratiam tuam dirigatur: vt sicut prius rectè & in veritate in conspectu tuo ambularem. *Ne proicias me à facie tua*. Id est, à præsentia tua. Proiciantur à te peccata mea, non ego. Hactenus, inquit, ante faciem tuam steti, secreta tua intellexi. Te deprecor domine, ne me repellas à tanta tua cognitione. *Et spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiã salutaris tui*. Vt sicut olim, ita & nunc filij tui aduentus, incarnatio, passio, resur-

resurrectio, ascensio mihi sint manifesta. & *Spiritu principali confirma me*. In quo confirma? quia ignouisti mihi: quia certus sum non mihi imputari, quod donasti. Et ex hoc factus securus, atque ita gratia confirmatus, non ero ingratus. Quid dabis pro hoc munere? *Docebo iniquos vias tuas*. Hoc enim habent sancti viri proprium, vt bona spiritualia quæ à Deo percipiunt, aliis ex charitate impartire studeant: & sicut ipsi suam, ita aliorum salutem quærant. Vnde & subdit: *Et impij ad te conuertentur*. Non enim ad hoc docent alios, vt se velint commendare, aut ex sua doctrina lucrum aliquod temporale quærere: sed hac tantum intentione, vt impios ad conuersionem possint trahere. Magna est diuinæ misericordiæ commendatio, & peccantium consolatio, cum dicitur, *Et impij ad te conuertentur*. Ita plenus est Deus adipe misericordiæ, vt non solum conuersis, sed etiam ipsis impiis promittatur salus. Hinc Paulus ait, *Vt credentes in eum qui iustificat impium, deputetur fides eorum ad iustitiam*. Attendens autem multas suas iniquitates, & eas tribuens corruptioni carnis & sanguinis, adiungit: *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ*. Tu Deus, qui es Deus & auctor salutis meæ, libera me de sanguinibus, id est, corruptionibus carnis. Expressit Latinus interpres verbo minus Latino proprietatem tamen ex Græco. Nam omnes nouimus Latine non dici sanguines: tamen quia ita Græcus posuit plurali numero, non sine causa, quia hoc inuenit in prima lingua Hebræa, maluit potius interpres minus Latine aliquid dicere, quàm minus proprietatè designare. Quare ergo pluraliter dixit De sanguinibus? In multis sanguinibus tanquam in origine carnis peccati, peccata multa intelligi voluit: ad ipsa peccata respiciens, quæ veniunt de corruptione carnis & sanguinis. Vnde Apostolus ait: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*. Libera me de sanguinibus, id est, de iniquitatibus. *Et exultabit*, id est exultando annuntiabit *lingua mea iustitiam tuam*. Si potero iustitiam tuam enarrare: Si tu me prius liberaueris ab iniquitate. Et quia dixit, *Labia mea exultabunt iustitiam tuam*, ne videretur hoc viribus suis attribuere, tanquam in potestate habens sermonem: commendans gratiam Dei subiungit: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam*. Labia mea idonea facies ad prædicandum, quæ prius clausa fuerant propter peccatum. Non est enim speciosa laus in ore peccatoris. Vnde peccatori dixit Deus, *Quare tu enarras iustitiam meam? Quo contra rectos decet laudatio*. Tuum est ergo aperire labia mea: meum est deinde annuntiare laudem tuam: quod tibi magis acceptabile est, quàm legalia sacrificia offerre. *Quoniam si voluisses sacrificium legale magis quàm oblationem laudis, dedissem illud*. Sed ideo magis decreui offerre sacrificium laudis, quia *iniquis holocaustis veteribus non delectaberis*. Quid ergo? Nūquid non offerebat Deo sanctus Dauid sacrificia & holocausta vitulorū & taurorū sicut in lege præcipiebatur? Offerebat plane: sed in ipsa oblatione plus nouū quàm vetus exhibebat sacrificiū. Cū enim animalia mactabat, seipsum intus in contritione cordis Deo immolabat, ibique Deo offerebat vota & laudes, quæ magis acceptabilia Deo sciebat, quàm offerre animalium carnes. Et hoc est verum, quod nobis insinuat sacrifici

1. Cor. 10.

Leuit. 14.

1. Corint. 11.

Apo. 1.

Matth. 17.

Ioan. 3.

Luc. 18.

Matth. 23.

Sapient. 11.

2. Corin. 4.

Rom. 4.

1. Cor. 15.

Eccles. 15.

Psal. 49.

Psal. 32.

sacrificium, cum subiungit: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Carnale tantum sacrificium non placet Deo, sed Spiritus contribulatus, id est, pro peccatis plurimum anxius, est Deo placens sacrificium. Et hoc probat ex verbis sequentibus, dicens: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicias.* Ex hoc apparet quia contribulatus spiritus sit tibi gratum sacrificium: quia o Deus, non despicias, imo gratanter accipies cor contritum, per compunctionem & humiliatum. Commendato nouo sacrificio, orat ut constituat Ecclesiam ex utroque pariete, quæ exhibeat huiusmodi sacrificium. Ait ergo: *Benignè fac domine in bona voluntate tua Sion.* Tu domine, cui tale placet sacrificium, Benignè fac Sion, id est, largam benedictionem & misericordiam impende tuæ futuræ Ecclesiæ, & non ex meritis suis, sed In bona voluntate tua, id est, cum gratuita gratia tua. *Et ex viuis lapidibus, videlicet fidelibus animabus, edificentur muri Ierusalem,* Id est, vterque paries Ecclesiæ, scilicet Iudaicus & gentilis, in fide, spe & charitate construatur. Interpretatur Sion speculatio, & Ierusalem visio pacis. Agnoscitis ergo vos in Sion & Ierusalem, si certam expectatis spem futuram: & si pacem habetis cum Deo. *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ.* Modò sacrificium pro iniquitate (quod est spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum) Deus non despicias. Tunc, id est, in futuro seculo, gratanter accipies sacrificium iustitiæ tantum, & laudis: sicut scriptum est: *Beati qui habitant in domo tua Deus, in secula seculorum laudabunt te.* Acceptabis etiam *Oblationes & holocausta.* Quando totum pecus imponebatur aræ igne consumendum, hoc dicebatur holocaustum. Totos nos diuinus ignis assumet. Non enim tantum assumetur anima nostra diuino igne sapientiæ, sed & corpus nostrum ibi merebitur immortalitatem. *Tunc imponent super altare tuum,* Id est, super memoriam venerandæ tuæ passionis & resurrectionis, *vitulos, significatos, id est, seipfos, innocentes, nouos, à iugo legis liberos.*

Ephes. 2.

Ibidem.

Psal. 83.

Rom. 8.
1. Corint. 15.

T I T V L V S P S A L M I L I.

AGITUR in hoc psalmo de duobus generibus hominum: unum terrenum, aliud caeleste: unum persequitur, aliud patitur: unum gloriatur in malitia, quod eradicabitur: aliud gloriatur in Deo, & permanebit. De peruerso genere. In prima parte psalmi agitur, & malitia eius per partes describitur. Genus vero electorum in fine demonstratur. Titulus talis est, *In finem, intellectus David, cum venisset Doeg Idumæus & annuntiavit Sauli & dixit ei: Venit David in domum Achimelech.* Legitur in historia, quod eo tempore quo Saul persequeretur David, ipse David fame & ab hostibus compulsus, cum non haberet quò fugeret, intrauit in domum Achimelech sacerdotis, & apud eum comedit de panibus propositionis. Quod cum vidisset Doeg Idumæus quidam seruus Saulis, inuidia motus nuntiavit Sauli dicens: *Venit David in domum Achimelech.* Hæc persecutio & Doeg accusatio impleta est, & quotidie impletur in Ecclesia. Doeg interpretatur motus. Idumæus interpretatur terrenus: Saul appetitio, Achimelech * patris mei regnum. *Expositio tituli hæc est: Intelle*

1. Reg. 22.

1. Reg. 21.

1. Reg. 22.

* Forasse

Fratri legi

debet ut tra-

ta etimolo-

gia ratio ob-

seruetur.

Vel forasse

Achimelech

*Intellectus iste, quem voces huius psalmi pariunt, non in hac vita complendus est, sed in finem, id est, in futuro: vel in finem, Christum. Quo intellectu impij per hanc presentem licentiam, quam habent malum faciendi, subituri creduntur damnationem æterni supplicij. Boni vero per hoc quòd ab eis illa mala patiuntur, in futuro remunerandi. Intellectus autem iste attribuendus est David, id est, cuiuslibet fideli. Intellectus, dico, habitus de eo negotio, quod significatum fuit, cum venisset Doeg Idumæus, id est, terrenus aliquis malitia motus, & annuntiavit Sauli qui interpretatur appetitio, per quem significatur mors: & dixit ei, instigando eum ad persecutionem. Venit David, id est, quilibet fidelis, in domum Achimelech, id est, in consortium Ecclesiæ, quæ rectè Achimelech designatur, qui patris mei regnum interpretatur: quia in ipsa regnat Deus pater. Nec immerito per Saul intelligimus mortem: quia sicut hunc peccator populus à Deo petiit regem, ita nos per illicitum appetitum acquisiuimus mortem. Saul enim (ut diximus) interpretatur appetitio. Appetitus malus animæ mors est. Iste rex dominatur in filiis dissidentia. Persequitur autem nos, & per se, & per ministros suos. Sed ab hoc rege triumphabimus, quando mortale hoc induerit immortalitatem, cum fiet sermo qui scriptus est: *Ubi est mors contentio tua? Ubi aculeus tuus? Interim ut patientes simus ne deficiamus in via, reficiamur panibus sanctitatis in domo Achimelech, id est, verbo Dei & caelestibus sacramentis in domo Ecclesiæ. Materia huius psalmi est vtrunque genus hominum, persecutorum & patientium. Fidelis anima habens hunc intellectum, quòd ij qui modò in malitia gloriantur, postmodum damnabuntur, & qui modò patiuntur propter iustitiam, postea gloriam sempiternam percipient: loquitur hic contra ipsos peruersos, intendens eos à peruersitate reuocare, & viam veritatis ostendere, ita dicens.**

legerat au-
thor, quan-
quam histo-
ria refra-
gante: quæ-
admodum
& in Psal-
mi 33. titulo

1. Reg. 8. 9.
& 10.

Ephes. 5.

1. Corint. 15.
Or. 13.

Marc. 8.
Matth. 4.

Matth. 5.

P S A L M V S L I.

QUID gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Tu persecutor & amator mundi, cui licentia & potentia iniquitatem operandi est concessa. Pro quo fructu? Pro qua vtilitate gloriaris in malitia? Vel hoc certè te reuocare deberet, quòd in hac gloria fructus aliquis inueniri nõ valet. Plus profectò est gloriari in iniquitate, quàm iniquitatem opere exercere. Nam sunt nonnulli qui iniqua quidè faciunt, sed remordet eos conscientia de peccato, atque in semetipsis contremiscunt. Et solet contingere quòd si nondum ex omnibus possunt, à quibusdam tamen operibus prauis student seipfos refrænare. Et sunt qui lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Hi sunt qui habentis laxi ad vniuersum se præcipitant malum. Tales redarguuntur in hoc psalmo. Quoniam in malitia gloriantur, & potentes sunt in iniquitate: reprehenditur in eis & voluntas praua, & actio peruersa. Malitiam autem exequitur per partes cum subiungit: *Tota die, id est, assiduè iniustitiam cogitauit lingua tua.* Aut facis malum, aut dum non potes facere, dicis malum: aut quando nec hoc potes, vis & cogitas malum. Linguam cordis commendat in hoc loco, non oris: habet enim cor nostrum linguam suam. Quale officium foris habet lingua in loquendo, tale officium lingua cordis intus habet in cogitando. Hinc est quòd sine verborum strepitu

Prover. 2.

strepitu sæpe nobis ipsis loquimur in corde. Nec solum cogitasti iniustitiam, sed & dolum fecisti. Hoc est quod subdit: *Sicut nouacula acuta fecisti dolum.* Dolus tuus officium habet nouaculæ. Sicut nouacula acuta lordes & pilos abradit pellium, ita dolus tuus quando auferis fidelibus terrenas facultates, aut corpora cædis, vel occidis: superflua tantum tollis, damna nulla animæ facis. Imo candidiorem & perfectiorem reddis. Ecce quid faciunt sanctis mali: pilos radunt. Ergo acuat nouaculam suam malus, acuat dolum quantum potest: superflua temporalia ablaturus est, non necessaria sempiterna. Vitam temporalem tollit, ad æternam mittit. Aufert temporalia, impellit ad æterna. Et notandum quod in hoc versu cogitatio & actus continetur malitiæ: in sequenti verò etiam affectus designatur, cum dicitur: *Dilexisti malitiam super benignitatem.* Non solum cogitasti & fecisti, sed etiam dilexisti malum. Nec hoc tantum dilexisti ad faciendum, sed etiam ad loquendum. Et ideo subdit: *Iniquitatem magis quam loqui equitatem.* Subaudis dilexisti. Hoc profectò semper conuenit reprobis, ut magis diligant malum cogitare, agere, loqui, quam bonum. Et in hoc est duplex iniquitas & damnatio, quia quod reprobandum erat, eligunt: & quod eligendum fuerat, contemnunt. Væ iniquo cordi. Auertit se, ne videat quod videre debuerat. De tali dicitur in alio psalmo: *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Propter hoc rectè subinfertur: *Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa.* Iam non curat quid dicat, quid mentiatur, qualiter fallat. Ad omnem fallitatem, dolositatem, vanitatem se præcipitem derelinquit. Lingua dolosa ministra fallaciæ est. Lingua dolosa aliud in corde gestantium, aliud ore promentium. Sed in his præcipitatio & submersio est. *Propterea Deus destruet te in finem.* Et si modò videris itare, & florere quasi scœnum in agro, in finem eueilet te Deus, quando dicit: *Ite in ignem æternum.* Et quamuis fixeris in amore mundi radicem cordis: *Euellet te & emigrabit te,* id est, emigrare faciet *de tabernaculo tuo.* Id est, de hoc mundo, vel de corpore, siue de Ecclesia in qua stare debuisti. *Et radicem tuam de terra viuentium.* Habent & reprobi aliquando radicem boni. Quod significatur in grano quod cecidit super petram. Misit enim radicem, sed natum aruit: quia non habebat humorem. *Ibidem.* Hi sunt (inquit dominus) qui ad tempus credunt, sed in tempore tentationis recedunt. Credendo ergo mittunt radicem, sed non perseverando de terra viuentium, id est, de locietate sanctorum eradicantur, quia gratiæ diuinæ non habuerunt humorem. *Videbunt iusti & timebunt, & super eum ridebunt.* Intelligamus & discernamus duo ista tempora timendi & ridendi. *Eccles. 3.* Legimus quid seruetur in finem malis. Et quia intelligimus & credimus: videmus & timemus. Apostolus dicit, In timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Et Psalmista: *Seruite domino in timore.* Ergo iusti qui sunt modò, qui viuunt ex fide, intelligunt quod damnandi sunt mali. Propterea timent & sibi. Quod enim sunt hodie, sciunt. Quod cras futuri sunt, nesciunt. Cum autem venerit dies noster, cum Christus apparuerit vita nostra, & nos apparebimus cum ipso in gloria. Tunc super eum ridebunt iusti, quia iam non erit locus compatiendi aut condolendi. Non quomodo nunc,

nunc, quando vides hominem iniuste viuentem, vis cum illo laborare, & ad viam veritatis errantem reducere. Vnde & doles de illo, & oras pro illo. Tum verò cum venerit iudicij tempus, iam non erit correctionis locus, sed tantum damnationis. Erit ibi pœnitentia, sed infructuosa, quia sera. Tunc iniquum videbunt iusti, & super eum ridebunt, id est superiores apparentes eum irrisione dignum indicabunt. *Et dicent,* interiori locutione sua: *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum.* Vigilanter nobis intuentum est, quid in hoc iniquo damnet scriptura. Non enim dixit, Ecce qui fuit diues: sed ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum. *Sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum,* Id est, in copia auri vel argenti, & potentia, & gloriæ & aliarum rerum. Non quia habuit diuitias, sed quia in ipsis sperauit, ideo damnatur, ideo de tabernaculo mouetur, ideo extirpatur radix eius de terra viuentium. *Et prauauit in vanitate sua.* Quid enim vanius eo qui plus putat valere nummum quam Deum? Ergo isto damnato quid dicis de te ô David? Quid dicis de te ô corpus Christi? *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei.* Ego manens in Ecclesia quæ est domus Dei, sicut oliua fructifera in pinguedine charitatis & fructificatione bonorum operum, *Speravi* non in diuitiis siue honoribus, sed *in misericordia Dei:* Ego (dico) perducendus *in æternum.* Et hoc exponit cum subdit: *& in seculum subsecutum huius seculi.* Sicut oliua neque in hyeme neque in æstate suam amittit viriditatem, sic sancti viri neque in prosperis neque in aduersis amittunt virtutum decorem. *Confitebor tibi in seculum, quia fecisti.* Ergo quia me talem fecisti, ideo laudabo te in æternum. Magna confessio, magna gratiæ commendatio est, dicere Deo, Quia fecisti. Quid est quod fecisti? Vtique hoc quod ego sicut oliua fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei. Nam quid ego feci, nisi malum? Deus autem est qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. *Et ideo cum patientia expectabo nomen tuum,* Id est, gloriam & Deificationem nominis tui: vel nomē tuum Iesum, id est, saluatorem: *quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.* Non dicit in conspectu impiorum, sed in conspectu sanctorum bonum esse nomen domini. Non enim habent oculum aut palatum cordis, ut videre aut gustare valeant quam bonus & quam suavis est dominus. Homo nesciens quid sit mel, nisi gustauerit, nescit quid dicat. Ideo magis ad experimentum inuitans psalmus. Gustate, inquit, & videte quoniam suavis est dominus. Ac si dicat: Tunc videbitis si gustaueritis. Si nihil dulce esset martyribus, nequaquam tantas tribulationum amaritudines æquo animo tolerarent. Bonum est nomen tuum in conspectu sanctorum tuorum. Bonum est mihi, quando audio Deus. Bonum est mihi, quando audio Iesus. Hoc nomen audire possunt & boni & mali: non autem gustare nisi sancti. Et quanto quisque sanctior est, tanto dulcius & suauius sapit nomen domini in corde eius. Tanto etiam patientius & desiderabilius expectat, ut tandem videre mereatur quod amat.

RUFFINI PRESB. IN
TITVLVS PSALMI LII.

IN fine pro Mahalath intellectus David. Iste intellectus attribuitur David, id est Christo inuitanti nos, id est in conformitatem sui ipsius qui est finis legis. Proponitur nobis idem Christus in hoc psalmo, ad intelligendum, ut in ipsum qui finis legis est, transformemur: ut credamus eum esse salutare Israël. Christus dico, agens pro Mahalath, id est, vice parturientis vel dolentis. Mahalath enim interpretatur dolens siue parturiens: sed habet effectum dolentis vel parturiens, scilicet arguendo, increpando Iudaicam perfidiam, de vetustate in nouitatem transformare satagentis. Filioli mei quos iterum parturio (hoc est pro Mahalath) donec formetur Christus in vobis, hoc est in finem. Materia est huius psalmi insipiens populus, non cognoscens Deum. Intendit autem ipsum caput nostrum in hoc psalmo confutare eos qui Christum dominum esse negabant: ostendens eos consummare et esse corruptos, et ita abominabiles esse Deo, ut nullus illorum faciat bonum, donec conuertantur ad unum, scilicet ad Deum. Ostendit etiam propter quorundam iniquitates, rationes et eorum arbitrium a Deo dissipandum, et ipsos etiam in aeternum puniendos: iustos vero salutem consecuturos. Sic ergo incipit.

Galat. 4.

PSALMVS LII.

DIXIT insipiens in corde suo non est Deus. Iste psalmus, quia iam superius expositus est, expositione non indiget, praeter hunc unum versum, qui non est in superiori psalmo. Quoniam Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent. Voluerunt hominibus Iudaei placere magis quam Deo, quando dixerunt, Non habemus regem nisi Caesarem. Et iterum: Si dimittis eum, non es amicus Caesaris. Apollolus dicit: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Quia ergo hominibus placere appetentes, noluerunt esse serui Christi: Propterea Deus ossa eorum dissipauit, id est, virtutes animae: & interiores sensus scilicet rationem & intellectum, memoriam & alia huiusmodi in eis destruxit: quae ideo ossa dicuntur, quia sicut ossibus caro, ita virtutibus anima sustentatur. Confusi sunt autem amillo loco & gente, atque per omnes terras in captiuitatem dispersi. Et hoc ideo contingit eis, Quoniam Deus spreuit eos. Ipsi enim prius eum spreuerant, sicut ipse per prophetam suum dixit: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Quia ergo spreuerunt Deum, iusto omnipotentis Dei iudicio spreui sunt.

Psal. 13.

Ibidem.

Ioan. 19.

Galat. 1.

Isa. 1.

TITVLVS PSALMI LIII.

IN finem, in carminibus intellectus David, cum venissent Ziphai, et dixissent Sauli, Nonne David absconditus est apud nos? Intellectus huius psalmi attribuendus est David, id est, Christo tendenti in finem, id est, in perfectione suae obedientiae. Et hoc in carminibus, id est, in iocunditate: quia vita domini nostri disciplina fuit morum: quia quod ipse intellexit, et nobis intelligendum proposuit. Quid autem intellexit? Perseuerandum in laudibus, usque in finem. Quando hoc intellexit? Quando

1. Reg. 23.

Ioan. 13.

PSALMVM LIII. COMMENT.

Xit: Quando Iudaei in hoc seculo tantum florentes prodiderunt eum morti, et Deum in homine latentem credere noluerunt. Quae proditio fuit praefigurata, cum venissent Ziphai, et dixissent Sauli, Nonne David absconditus est apud nos? Vicius quidam erat Ziph: cuius habitatores Ziphai: in cuius regione se absconderat David, cum eum vellet Saul inuenire et occidere. Ipsi ergo Ziphai cum hoc cognouissent, prodiderunt eum regi persecutori, dicentes: Nonne ecce David absconditus est apud nos? Nihil quidem profuit illis proditio eorum: et ipsi David nihil obfuit. Namque animus eorum malignus demonstratus est. Ziph interpretatur flos. Inde dicuntur Ziphai, id est florentes: per quos designantur Iudaei, qui florebant temporalibus bonis. Per Saul intelligitur mors. Ziphai ergo prodiderunt David Sauli, quia Iudaei tradiderunt Christum morti. Per Ziphacos etiam intelliguntur amatores huius mundi, qui adhuc persequuntur corpus Christi. Materia huius psalmi est caput et corpus, inter iniquos constitutum et afflictum. In prima parte psalmi orat se ab alienis a quibus affligitur, liberari. In vltima parte ostendit eos dispersos, se autem ex omni tribulatione eripi, et super inimicos suos exaltari. Hoc ergo nobis in hoc psalmo intelligendum proponitur: ut quemadmodum filius voluntarie se patri obtulit, et non pro salute praesentis, sed pro futura patrem postulauit: ita si florentes in mundo contra nos se erigant, illata incommoda lato animo percurreamus, et ea nobis ad futuram vitam prodesse postulemus. Orat itaque in hoc psalmo ipsum caput, et se orandi (ut diximus) et perseuerandi exemplar proponit: praevidens se passurum pro redemptione humani generis, et a morte resuscitatur, et secundum virtutem et omnipotentiam Dei digne tandem exaltatur. Sic ergo dixit.

Ioan. 11.

1. Reg. 23.

Math. 26.

Isa. 53.

Hebr. 9.

Ioan. 17.

PSALMVS LIII.

DEVS in nomine tuo saluum me fac. Vox Christi ad patrem: Ac si aperte dicat. In nomine tuo glorifica, Saluum me fac, resuscitando. Et in virtute tua iudica me. Id est, secundum tuam virtutis excellentiam crescat iudicium meum: ut omnes discernant & cognoscant, quia tu me misisti. Et erit (inquit propheta) quicumque inuocauerit nomen domini, saluus erit. Inuocemus ergo nomen Domini, ut saluemur. Deus in nomine tuo, id est, per inuocationem sancti nominis tui, saluum me fac a peccatis: Et in virtute, id est, in potentia tua, qua iudicaturus es viuos & mortuos, iudica me, id est, discerne a malis. Notandum quod prius petit saluari in nomine: deinde iudicari in virtute. Nam quem in nomine praecedente saluauerit, in virtute subsequente salubriter iudicabit. Securus esto: iudicium illud non tibi erit punitio, sed discretio. Et hanc orationem quam ad patrem mittit, exaudiri postulat, cum subiungit: Deus exaudi orationem meam. Hanc videlicet quam praemisit de salute & iudicio. Auribus percipe verba oris mei. Id est, ipsam orationem habitam corde, & prolatam voce. Dominus non habet alias aures, nisi gratiam & misericordiam suam. Et cum dicitur, Auribus percipe, non intelligitur aliud nisi, Attende & memoriter ac misericorditer audi. Si enim aure percipiat ut misericorditer audiat,

Ioan. 11.

Rom. 10.

Iob. 2.

Acto. 2.

Ioan. 5.

2. Timot. 4.

securi sumus quod orationem nostram exaudiet dominus. In primo ergo versu fit oratio pro salute, in secundo verò versu fit oratio ad commendandam orationem factam, & ad captandam beniuolentiam Dei. Deinde ponit causam quare sit orandum, dicens: *Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me.* Insurrexerunt enim Iudæi, ut aduersarentur Christo. Alieni quidem, si non genere & natura, moribus tamen & vita. Et non tantum minor populus, sed *& fortes quasierunt animam meam.* Sicut scriptum est: Reges terræ & principes conuenerunt in vnum & aduersus dominum & aduersus Christum eius. Fortes ergo secundum superbiam & potentiam seculi. *Et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.* Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Fuit itaque causa tanti peccati cæcitas cordis & infidelitas. Cæcitatibus verò causa fuit superbia. Væ homini illi, qui non ponit Deum ante conspectum suum. Nam dominus est illuminatio nostra. Quando enim homo intelligit, illuminatur. Quando intelligere negligit, tenebratur: & sic incidit in errorem omnem & iniquitatem. Isti sunt alieni qui persequuntur corpus Christi. Non enim sunt à Deo, sed à patre diabolo. Ipsi enim non intellexerunt Deum, sed ecce in manifesto apparet quia reuera sum Deus. *Ecce enim Deus pater secundum quod ego homo sum, adiuvat me, in passione, ne deficiam: & dominus filius eius susceptor est animæ meæ.* Suscipiens eam sibi in vnitatem personæ. Vel susceptor animæ meæ, quia post passionem in qua me audiuit, animam meam in gloria suscepit. Hoc adiutorium promittit & membris suis, ubi ait: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Et in psalmo alibi ait: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Noli ergo timere persecutores tuos, quia Deus tecum est in tribulatione. Noli timere eos qui occidunt corpus, quia dominus susceptor est animæ tuæ. Fortassis ideo conuertit ad nos vocem suam. Nam huc usque ad patrem orando locutus est. Nunc autem volens ostendere nobis se esse exauditum & adiutum à patre, non iam ad patrem, sed ad nos dicit: Ecce enim Deus adiuvat me & cetera. Non enim opus erat ut diceret patri, quod sciebat, & quod ipse præstabat: sed nobis utique erat hoc audire necessarium, ut patientiæ Christi disceremus exemplum. Ex his enim verbis instruimur, quia cum ab inimicis mala nobis irrogantur, non debemus irasci aut maledicere, aut vindictam exquirere: sed orare & Dei adiutorium expectare. Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit dominus. Vnde non tam orando, quam prophetando subiungit: *Auerte mala inimicis meis.* Ecce qualem vindictam facit Deus. Mala quæ mali irrogant bonis, auertit à bonis Deus, & retorquet in malos. Quid enim persecutio & tribulatio nocet martyribus? Imo prodest ad salutem. Illis verò nocet ad damnationem. Vnde alibi dicitur: Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet. Rectè ergo subditur: *In veritate tua, id est, iusto iudicio tuo, disperde illos.* Bene autem non ait: Perde, sed disperde: quia Iudæi in diuersis partibus perdit, & dispersi sunt per regiones, propter malum quod fecerunt in Iesum. Disperdet etiam

etiam Deus in veritate sua malos, quando in extremo iudicio diuersis pœnis & tormentis tradet cruciandos, dicens, *Voluntariè sacrificabo tibi.* Omne opus bonum oblatum Deo, sacrificium dici potest. Et bene præmisit Voluntariè. Voluntatem enim & affectum pensat Deus in omni sacrificio, atque offerentis bonam intentionem, & non doni magnitudinem considerat. Et quanta est deuotio & voluntas offerentis, tantum est apud Deum ipsius sacrificium. Hinc Moyses ait: Respexit dominus ad Abel & ad munera eius. *Genesis. 4.* Non prius ad munera, sed ad Abel prius respexisse dominus perhibetur: quia non pensat voluntatem ex munere, sed munus ex voluntate. Ad Cain verò & ad munera eius non respexit, quia videlicet bonam in eo voluntatem non vidit. Seipsum obtulit patri filius in sacrificium pro nobis voluntariè quidem, quia non ex necessitate, sed ex charitate. Non enim coacta dona, & coacta seruitia diligit Deus. *Et confitebor nomini tuo Deus, quoniam bonum est.* Verè bonum est & salubre animabus nostris, ut cuncta quæ agimus ad laudem & gloriam nominis tui faciamus, ut tota voluntate sacrificemus Deo, toto corde confiteamur nomini domini. Hoc dulce, hoc bonum, hoc suauis est. Et ponit causam quare hoc faciendum sit, cum subdit: *Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me.* Ideo dixi, quia bonum nomen tuum. Nam si hoc possem ante tribulationes agnoscere, fortè mihi necessariae non fuissent. Sed adhibita est tribulatio ad admonitionem, admonitio facta est ad tuam laudationem. Non enim intelligerem ubi essem, nisi de infirmitate mea admonitus essem. Ex omnibus ergo tribulationibus eripuisti me. *Et super inimicos meos despexit oculus meus.* Super illos Ziphæos despexit oculus meus. Florem quippe eorum transij, altitudinem cordis ad te leuavi, & perueniens inde despexi super illos. Et vidi quia omnis caro scœnum, & claritas hominis ut flos scœni. Hoc agite ergo fratres cum animis vestris. Erigite corda vestra. Expolite aciem mentis vestræ. Discite gratis diligere Deum. Discite præsens contemnere seculum. Discite voluntariè sacrificare hostiam laudis. Discite etiam nomen domini admirabile ac magnum laudare & inuocare, ut transcendentis florem scœni, respiciatis super inimicos vestros. *Isa. 40.*

TITVLVS PSALMI LIII.

In finem, in carminibus intellectus David. Intellectus huius psalmi attribuendus est David id est, Christo perseveranti in finem, id est in consummationem suæ obedientiæ. Et hoc in carminibus, id est mentis hilaritate. Materia huius psalmi est Christus totus, scilicet secundum caput & corpus ab iniquis afflictum, sed liberatum. Proponit autem nobis membris suis Christus in hoc psalmo intelligendum, id est, non segniter memoria commendandum, ut exemplo suo inter aduersa positi, à spe nunquam deficiamus: sed fiducialiter tormenta percurrentes, æternam à Deo speremus remunerationem, & irreuocabilem persequentium damnationem credamus. Hoc est quod circa finem psalmi breuiter continetur, ubi dicitur: *Iacta super dominum curam*

enam. Et post pauca. Ego autem speravi in te Deus. Inter qua autem aduersa speravit, & quid de sua liberatione, & de aduersariorum damnatione sperando obtinuerit, in prioribus partibus psalmi manifeste promittit. Et orat pro se, ne deficiat in passione: & pro resurrectione sua & glorificatione. Agit etiam de repulsione Iudaeorum praesentis, & de damnatione aeterna, & de assumptione gentium, & de glorificatione fidelium in aeternum: sic dicens.

PSALMVS LIIII.

AVDI Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam: Intende mihi, & exaudi me. Quali dicat: O vos fideles mei in tribulationibus positi, nolite deficere: sed in domino sperantes, & remunerationem ab eo expectantes, meo exemplo orate: quia ego in passione positus, sic oravi ad dominum: O Deus pater, exaudi propter dignitatem filij tui orationem meam, resuscitando me a morte, & clarificando in passione. Ac si diceret: Pater clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Et ne despexeris deprecationem meam, id est, propter humanitatem assumptam ne habeas vilem deprecationem meam, quam facio pro euitandis malis: sed potius intende mihi, id est, ipsam humanitatem fac intensam, id est, perseverantem in oratione, vel in virtutibus & in augmento bonorum operum. Et sic exaudi me. Quando in diuina pagina oratio & deprecatio simul ponitur, a se inuicem differunt: quia oratio est, quando aliquid honestum petimus, scilicet de his quae volumus assequi. Deprecatio vero pro euitandis malis, de his scilicet quae a nobis volumus repelli. Sciendum quoque est quod plerumque quorundam deprecationem omnipotens Deus & exaudit & despicit. Hinc est quod Israëlicis carnes quas male petierunt, iratus tribuit: sed quantum eorum postulatio sibi displicuerit, etiam puniendo monstrauit. Vnde scriptum est: Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Sic etiam quando more caterarum gentium quae erant in circuitu, regem a Deo petierunt: eis regem habere permisit quidem: sed quantum eorum petitio sibi displiceret, Samueli significauit dicens: Audi vocem populi in omnibus quae loquuntur tibi. Non enim te abiecerunt, sed me ne regnem super eos. Quod etiam testatus est Samuel dicens: Vos autem proiecistis dominum Deum vestrum qui solus saluauit vos de vniuersis malis & tribulationibus vestris. Sic ergo suam orationem exaudiri postulat, ut eius deprecationem Deus non despiciat: sed exauditio ipsius gratiam simul contineat & utilitatem. Cui sententiae verba videntur congruere quae sequuntur. Intende mihi & exaudi me. Tunc enim mihi intendit dominus, & non solum orationem meam, sed me exaudit: quando id quod ego postulo, ad utilitatem animae meae tribuit. Et quasi quaereretur: Quae tibi necessitas, ut sic te postules exaudiri: Corristatus sum (inquit) in exercitatione mea, & conturbatus sum a voce inimici, & a tribulatione peccatoris. Dominum nostrum Iesum Christum in exercitatione passionis suae inimici Iudaei maledicendo

Matth. 26.
Marc. 14.
Luc. 22.
Ioan. 12.
Ioan. 17.

Exod. 16.

Numer. 11.
Psal. 77.

1. Reg. 8.

3. Reg. 10.

dicendo & tribulando contristauerunt, & conturbauerunt. Vnde ipse ait: Tristis est anima mea usque ad mortem. Adhuc Ecclesiae inimici non cessant membris aut mala facere, si possunt, aut si non possunt, vel detrahere & derogare. Hinc in alio psalmo dicitur, Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi. Et alibi: In idipsum aduersum me susurrabant omnes inimici mei: aduersum me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum constituerunt aduersum me, &c. De quibus adhuc subditur. Quoniam declinauerunt in me iniquitates. Accusando & criminando, sicut scriptum est: Nonne bene dicimus quia Samaritanus es, & daemonium habes? Et in ira molesti erant mihi. Verberando, colaphizando: & non iuste, sed in ira, id est propter iram suam. Scriptum est quippe: Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & prepara animam tuam ad tentationem. Non ait ad quietem & securitatem, sed ad timorem & ad tentationem. Omnes enim qui pie volunt viuere in Christo, persecutionem pariuntur. De iustis etiam alibi sic Sapiens loquitur: Aestimata est afflictio, exitus illorum: & ab itinere iusto abierunt in exterminium. Similiter & Apostolus: Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circueierunt in meloibus, in pellibus caprinis, egentes, angustiiati, afflicti. Insuper & ipse saluator de se ipso loquens ait: Nonne haec oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Ad hoc pertinet quod subiunctum est: Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. Hinc scriptum est in Euangelio: Coepit pauere, cadere & tristis esse Iesus, & angelus domini confortabatur eum. Nectamen nobis credendum est, ut redemptor noster, qui potestatem habebat ponendi animam suam, & iterum sumendi eam, quantum ad personam suam vllam mortis habuisset formidinem. Sed secundum membra sua hoc dictum accipimus: quae quamuis in spiritu fortia sint, tamen quia caro est infirma, turbantur aliquando inter se propter poenam, & mortis amaritudinem timent. Propter hoc subdit: Timor & tremor venerunt super me. Timor ad animam: tremor ad corpus referri potest. Hinc est quod ipse ait: Mi pater, si possibile est, transfer calicem istum a me. Atque ut se maxime timore percitum fuisse ostenderet, non semel tantum, sed ter orauit, eundem sermonem dicens: & etiam in agonia factus prolixius orabat: & factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. Haec etiam verba plus pertinent ad membra, quam ad caput. Et contexerunt me tenebrae. Id est Iudaei tenebrosi & caeci. Nisi enim caeci fuissent, & diabolicis tenebris obumbrati, saltem ex tantis virtutibus & miraculis Christum cognoscere potuissent. Vel in eo quod ait, Cor meum conturbatum est intra me, potest ira intelligi, de qua dicitur alibi: Turbatus est pra ira oculus meus. Et si oculus turbatus est, quid sequitur? Et formido mortis cecidit super me: vita nostra dilectio, mors odium est. Cum coeperit homo timere ne oderit quem diligebat, mortem timet, & acriorem mortem & interiorem, qua occiditur anima

Matth. 26.

Psal. 37.
Psal. 40.

Ioan. 8.
Luc. 22.

Eccles. 2.

2. Timo. 3.
Sap. 3.

Hebr. 12.

Luc. 22.

Ioan. 10.

Matth. 26.

Matth. 26.

Matth. 26.
Luc. 22.

Ioan. 10.

Psal. 6.

non corpus. Indetimor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Quoniam qui odit fratrem suum, in tenebris est. Et quid sibi ait in illa exercitatione & infirmitate positus? *Et dixi, Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* In hac tribulatione non desperavi, sed dixi, id est ita patrem meum oravi: Resuscita me pater apud te ipsum. Nam quis alius præter te, mihi existenti sicut columbæ, id est innocenti & sine felle amaritudinis, dabit pennas, id est agilitatem & possibilitatem, & volabo, id est transibo de hoc mundo ad patrem, de Iudaico populo ad gentilem, & ibi requiescam? Et non frustrabitur oratio mea. Nam *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* In manifesto est, quod ego fugiens, id est celeriter à morte resurgens, elongavi mundum vel Iudaicum populum, & mansi in solitudine, id est in cælo, vel in gentilitate. Desiderant sancti viri pennas sicut columbæ, id est spirituales virtutes, ut mente relictis terrenis volare possint per caelestem contemplationem, atque in amore Dei requiescere. Et frequenter pius Dominus implet desiderium eorum, ut elongent fugientes tumultus carnalium cogitationum, atque in solitudine maneat, id est in quiete mentis suæ delectabiliter requiescant. Et ut hoc mihi contingeret, non confidebam in viribus meis. *Expectabam eum qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate.* Id est, spem meam ponebam in domino, qui saluauit me ne fierem pusillo animo. Et à tempestate, id est ab omni commotione. Pusillanimitatem spiritus habuit Petrus, quando ventum validum & maris tempestatem videns expauit. Et cum cœpisset mergi, adiutorium sui saluatoris expectabat. Vnde & clamabat: Domine saluum me fac. Et extendens Iesus manum apprehendit eum, atque à pusillanimitate spiritus, & tempestate saluauit eum. Et tamen reprehendit dicens: Modicæ fidei quare dubitasti? Sic plerunque electi cum validas tentationum impulsiones vident, ex infirmitate animi tempestatem & periculum salutis timent, & sic mergi incipiunt: sed tamen non pereunt, quia expectantes & petentes auxilium diuinum, salui sunt. Sed sicut ipsi saluantur, ita e contrario reprobi demerguntur. De quibus prophetando protinus & orando subiungit. *Præcipita domine, & diuide linguas eorum.* Qui se malè extulerunt. Expediit eis ut præcipitentur, qui malè conspirauerunt. Expediit ut linguæ eorum diuidantur. Quidam per superbiam construxerunt altam turrim, & dominus diuisit linguas eorum. Tunc se cœperunt non intelligere. Hinc facta est origo linguarum multarum. Antea enim vna lingua erat. Sed lingua vna cordibus humilibus proderat. At vbi illa collectio inter conspiracyonem superbiam præcipitata est, pepercit illis Deus, ut diuideret linguas eorum, ne sese intelligendo perniciosam facerent vnitatem. Per superbos homines diuisæ sunt linguæ. Per humiles Apostolos congregatæ sunt linguæ. Spiritus superbiam dispersit linguam. Spiritus sanctus congregauit linguas. Qui volunt vnam linguam, veniant ad Ecclesiam: quia in diuersitate linguarum carnis, vna est lingua in fide cordis. Præcipita & diuide linguas eorum. Quare? *Quoniam*

vidi

vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate. Iniquitatem in actu: contradictionem in verbis: in ciuitate, id est in societate prauorum vidi. Est quædam ciuitas turbulenta. Ipsa erat quæ turrim ædificauerat. Ipsa confusa est, & appellata est Babylonia: ipsa per innumeras gentes dispersa. Inde congregatur Ecclesia in desertum bonæ conscientiam. Venit Christus: contradixit ei ciuitas iniqua. Extendebat ille manus ad populum non credentem & contradicentem. Quod ergo hic ait, Iniquitatem, perfidia illorum potest intelligi. Si enim iustus est qui ex fide viuit, iniquus est qui non habet fidem. Igitur infidelitas est iniquitas. Nec solus iniquus est qui non credit, sed etiam is, qui malè viuit. De talibus enim loquitur Apostolus. Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Adhuc sanè illius ciuitatis reliquæ seruiunt & contradicunt: de qua adhuc subiungitur: *Die ac nocte, id est, assidue circumdabit eam super muros.* Id est, super maiores eius iniquitas. Plerunque dicunt homines: Nemo remaneret paganus, si illi fierent Christiani. Qui ergo nondum sunt Christiani, quasi muri sunt illius ciuitatis, & non credentis & contradicentis. Quicumque alium defendit in peccato, murus est ciuitatis iniquæ. *Et labor in medio eius, & iniustitia.* Ideo labor ibi, quia iniquitas ibi, quia iniustitia ibi. Vbicunque videris iniquitatem, ibi intellige laborem. Qui iniquus est, nunquam pacem habebit. Torquet enim eum conscientia sua, & ipse est hostis suus. Semper in superbia labor est, sicut e contrario quies in humilitate. Hinc saluator nos admonet dicens: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Vnde enim illi laborant, nisi quia non sunt mites & humiles corde? *Et non defecit de plateis eius vsura & dolus.* Attende populum Iudæorum, & vide quomodo semper in eis regnent hæc duo vitia, scilicet dolus & vsura. Plateæ huius ciuitatis sunt superbia, luxuria, cupiditas, auaritia &c. talia. Via ciuitatis huius lata & spaciofa est, quæ ducit ad mortem. Vsura est quando plus exigitur quàm commodatur. Est alia peior vsura, quando non dimittis quod tibi debetur: & oculus cordis tui turbatur in eo versu, quo dicitur, Dimitte nobis debita nostra &c. Verbum contumeliosum audisti? Vis exigere damnationis supplicium: scenerator iniuriarum es. Pugno percussus es? Interfectionem quaris: vsura mala est. Tales vsuræ abundant in illa ciuitate. Dolus est, quando aliud corde tegitur, aliud ore pronuntiat. Iniqui autem semper volunt occultare quod sunt, & demonstrare quod non sunt. Deinde populum illum ostendit ideo esse meritò puniendū, quia prius familiaris extitit, & postmodum domino suo maledixit. Grauiora autem sunt mala, quæ ab amicis inferuntur. *Quoniam si inimicus meus,* id est gentilis populus maledixisset mihi, sicut Iudaicus maledixit: *sustinuissem utique,* tolerabilius & mitius iudicasset. *Et si is qui oderat me,* quando idola adorabat, *super me magna locutus fuisset,* Id est, per superbiam insultasset: magnificaret se super me, atque minaretur mihi quicquid posset: *Abcondissem,* id est subtraxissem me forsitan ab eo. Hæc autem verba de Iuda traditore specialius intelligi possunt, quia à Iudæis

Iudæis se abscondit Iesus: à Iuda autem minimè se abscondit. Sed quid est quod ait Forſitan? Nunquid apud Deum aliquid eſſe poteſt incertum? Sed hæc ambiguitas ſermonis ſecundum uſum poſita eſt humanæ locutionis. Sic enim ſolemus loqui: Forſitan illuc ibo, forſitan hoc faciam. De inimicis inquam tolerabilius agendum eſſet. *Tu uerò ô Iuda, homo ſecundum carnalitatẽ unanimis per ſimulationem, Dux meus per prædicationem, & notus per fidem: qui ſimul cõuerſans mecum dulces capiebas cibos, tam corporales quàm ſpirituales.* Tu inquam ô Iuda, o popule peruerſe, cum in tanto malo perſeueres, nunquid tolerandus es? Iudas & populus eius ſignificant falſos fratres intra ſanctam Eccleſiam, qui cum ſimulatè viuunt, tanto grauius, quanto interius ſunt, electos premunt. Quos tamen exemplo ſuo dominus ſuſtinere docet: ſed ipſi pœnam æternam non euadent. Qui tales ſunt, audiant mortis ſententiam, qua ſubditur. *Veniat mors ſuper illos, & descendant in infernum viuentes.* Mors ſuper illos ueniet, quando eos damnatio æterna operiet. Viuentes in infernum descendant, qui malum eſſe intelligunt quod faciunt, nec tamen ab ipſo deſiſtunt. Quid eſt viuentes? Scientes quia pereunt. Talibus multo grauior damnatio quàm cæteris, incumbit, ſicut ſcriptum eſt: *Seruus qui ſcit voluntatem domini ſui, & non facit, plagis vapulabit multis.* Timeant ergo falſi fratres, ſimulatores, detractores, religionem habitu oſtentantes, in religione tamen non viuentes. Ad illos enim pertinet hæc ſententia, qua dicitur: *Veniat mors ſuper illos, & descendant in infernum viuentes.* Quare? *Quoniam nequitia in habitaculis eorum.* Et non ſolum in angulis, ſed etiam in medio eorum. Ac ſi dicat: *Uſquequaque pleni ſunt nequitia: vel in habitaculis, id eſt, in corporibus eorum, in quibus temporaliter peregrinantur & militant, ſunt nequitia. Et in medio eorum, id eſt in corde, nequitias quas faciunt, ex toto corde faciunt.* Illi qui tales ſunt, pereunt. *Ego autem ad dominum clamaui, & dominus ſaluauit me.* Si te afflixerit inimicus, clama ad Deum: & ſaluabit te. Hinc in alio pſalmo ait: *Inuoca me in die tribulationis, & eruam te. Vespere, & mane, & meridie narrabo & annuntiabo, & exaudiet uocem meam.* Vespere dominus in morte: mane in reſurrectione: meridie in aſcenſione. Narrabo vespere patientiam mortis. Annuntiabo manè vitam reſurgentiſ. Orabo ut exaudiat meridie, ad dextram patris. Exaudiet me qui interpellat pro nobis. Itaque fratres quos in ipſa congregatione parictum horum uideris turbulentos, elatos, peruerſos: ipſa eſt palea dominicæ aræ. Cum ille in ultimo ventilabit, tota palea uolabit. Sed nos quid, niſi cum iſto cantemus, & oremus & plangamus in pſalmo? Et tamen dicamus ſecuri quod ſequitur. *Verè exaudiet uocem meam, quia redimet in pace animam meam.* Ipſe eſt enim pax uera. In pace anima redimitur, quando de uitiis ad uirtutes, ſiue de hoc mundo ad patrem per omnipotentis Dei gratiam transfertur. A quibus redimet? *Ab his qui appropinquant mihi.* Nam ab his qui longe ſunt à me, facilis cauſa eſt. Non metam citò fallit qui dicit: *Veni, Idolum adora*

dora. Multum longe eſt à me, quia paganus eſt. Periculoſius eſt mihi de Chriſtiano, qui mecum habitat in domo: & ſub imagine religionis laqueum mihi parat deceptionis. Bene dico, Qui appropinquant mihi: *Quoniam inter multos orant mecum.* Multa eſt palea, & pauca grana. Multi ſunt uocati, pauci uerò electi. Iſti autem non erant de paucis ſaluandis, ſed inter multos, id eſt inter illos, qui pertinent ad paleam & ad perditionem, erant mecum. In tritico non erant mecum, ſed in palea erant mecum: quia appropinquat palea tritico. In ſacramentis erant mecum, in charitate non erant mecum. *Exaudiet Deus, & humiliabit illos qui eſt ante ſecula.* Quia & ſi ex tempore Chriſtus Deus noſter ex Maria uirgine, tamen in principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Exaudiet humiles in æternitate: humiliabit illos in damnatione, qui erecti ſunt in diſſenſione. Et merito. *Non enim eſt illis commutatio.* Quia non mutantur in melius, ſed descendant in peius. *Et non timuerunt Deum.* Sicut timor domini initium ſapientiæ, ita non timere Deum mortis initium eſt. Beatus homo qui ſemper eſt pavidus. Qui uerò mentis eſt duræ, corruet in malum. Vnde & ſubditur. *Extendet manum ſuam in retribuendo.* Hoc in iudicio erit, quando Deus ulticem manum ſuam amplificabit in uindictam. Hinc alibi minatur dicens, *Leuabo ad cælum manum meam. Si acuro ut fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam ultionem hoſtibus meis, & his qui oderunt me retribuam.* Et uerè digni ſunt ut puniantur: *Contaminauerunt enim teſtamentum eius.* Quia illum qui teſtamento legis ad ſalutem pronuntiatuſ eſt, contempſerunt. Ideo *Diuiſi ſunt ab ira uultus eius.* Ira enim & ſeueritas Dei propter hoc peccatum, diuiſit eos per diuerſas partes mundi. Iſta etiam uerba uidentur ad hæreticos pertinere. Ipſi enim contaminare teſtamentum Dei non deſiſtunt, dum ſcripturas ſanctas prauè intelligunt & exponunt. Dei teſtamentum contaminant: quia ex ipſo mendacium & errorem approbare non ceſſant. Et ideo diuiſi ſunt ab ira uultus eius. Ab ira ſeueritatis Dei ſunt diuiſi. Non enim quod dicit Donatus, dicit Sabellianus. Neque quod dicit Sabellianus, dicit Arrianus. Ab unitate catholicæ Eccleſiæ ſeparati, per multos errores diuiſi ſunt. *Et appropinquauit cor illius.* Ut intelligamus uoluntatem illius. Multum ualeat nobis ad intelligendum Deum, hæreticorum diuiſio. Multa enim latebant in ſcripturis, & cum præciſi eſſent hæretici queſtionibus agitauerunt Eccleſiam Dei: aperta ſunt quæ latebant, & inſpecta eſt uoluntas Dei. Nunquid enim de trinitate perfectè tractatum eſt, antequam obſiſterent Arriani? Nec de ipſa unitate Chriſti enucleatè dicta erant quæ dicta ſunt, niſi poſtea quàm ſeparatio illa uirgere cœpit infirmos fratres. Idcirco illi qui nouerant hæc tractare atque diſſoluere, ne perirèt infirmi, ſolicitati queſtionibus, impiorum ſermonibus & diſputationibus ſuis, obſcura legis deduxerunt in publicum. Ergo illi diuiſi ſunt ab ira uultus eius: & nobis ad intelligendum appropinquauit cor illius. Oportet (inquit Apoſtolus) hæreſes eſſe, ut probati manifeſti fiant inter uos. *Colliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.* Quædam enim in ſcripturis dura uideban

videbantur: exposita emollita sunt. Et bene super oleum, quia oleum fouet carnem, suauitas verò sermonum Dei fouet animam. Et ipsi sunt iacula. Armauerunt enim prædicatores. Et ipsi sermones diriguntur in pectora audientium ab instatibus opportunè importunè. Quòd sermones Dei sunt iacula, testatur Apostolus ubi ait: Sermo Dei viuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti &c. Sed tu forte nondum idoneus es, qui armeris his iaculis. *Iacta super dominum curam tuam.* Id est omnia ab ipso expecta, & à te nihil. Curam hominis Salomon vermem dicit, qua homo corroditur sicut pannus à tineam. Curam ergo tuam super dominum iacta. Ipsum cogita, quatinus apud te maneat tranquillus. *Et ipse te enutriet* in fide & moribus, in doctrina & virtutibus. Et licet hic habeat modò tentationem, non dabit in æternum fluctuationem iusto, id est commotionem vel cõturbationem: sed quietum eum faciet in vita æterna. *Non dabit in æternum fluctuationem iusto.* Quia et si ad tempus fluctuamus, & tentamur, & affligimur, anchoram nostram in cælo fixam habemus. Iusto igitur fluctuationem in æternum non dabit, quia post tentationem fluctuum, portum quietis in æternum illi præparabit. Quis est ille portus? Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis præparatum est ab origine mundi. *Tu verò Deus deduces eos in puteum interitus.* Vnde dicitur: *Ite maledicti in ignem æternum.* Puteum dicit infernum, propter profunditatem & obscuritatem. Iste locus iniquis præparatus est, vt in eo tanquam in profundo puteo cadant & intereant. De ducet eos Deus in puteum interitus, non quòd ipse sit auctor culpæ eorum sed quòd ipse iudex iniquitatis eorum. Quam iniquitatem ostendit, cum subiungit. *Uiri sanguinum,* Id est persecutores & sanguinis effusores, *Et dolosi,* qui per simulationem & fraudem incautas decipiunt animas: *Non dimidiabunt dies suos,* vt reuertantur ad pœnitentiam: sed continuabunt eos in malitia vsque in finem. Non de omnibus intelligendum est. Multi enim post effusionem sanguinis & dolositatem conuersi sunt ad pœnitentiam & salutem. Sed de illis tantum, qui diuisi sunt ab ira vultus eius. Sancti viri dies suos dimidiabunt, quia quod in cæteris diebus delinquant, in quadraginta aliisque pœnitentialibus diebus ieiuniis & orationibus persoluunt. Siue quia alij in pueritia, alij in adolescentia, alij verò in senectute ad Deum conuertuntur. Rectè ergo subiunctum est: *Ego autem sperabo in te Deus.* Id est, non in mundo, non in homine spem meam constituam: sed in te.

T I T V L V S P S A L M I L V.

TITVLVS sequentis psalmi talis est: *In finem pro populo qui à sanctis longe factus est, David in tituli inscriptione, cum tenuerunt eum Allophylis in Geth.* Psalmus iste attribuitur David, scilicet Ecclesie dirigens in finem. Psalmus dico habitus pro populo, scilicet vt ipse liberetur à populo, qui longe factus est à sanctis, in tituli inscriptione: quia cum sancti confiteantur Christum regem Iudeorum, sicut titulus dicit, populus iste contradicit siue dicit vt Iudæi & pagani, siue factus vt mali Christiani: cum tenuerunt eum Allophylis in Geth. Geth ciuitas erat Allophylorum, id est

id est alienigenarum, & ique populi longe à sanctis. Geth interpretatur torcular. Fugit ad istam ciuitatem David, sed ibi retentum esse iuxta historiam non legimus. Ergo David nostrum Iesum Christum non solum tenuerunt, sed adhuc tenent Allophylis, id est alienigenæ, in Geth, id est in torculari, videlicet in pressura huius vite. Materia est Christus & Ecclesia. Et ipsa loquitur de se. In prima parte petit liberari à dæmonibus & à membris suis, ponens in Deo fiduciam sua liberationis. In secunda qua incipit ubi dicit: *Tota die verba mea &c.* Enumerat illa mala quæ sibi facit populus ille. In tertia qua incipit ubi dicit, *In me sunt Deus vota tua,* dicit se in æternum laudaturum Deum. Intentio est nos admonere, vt cum patientia sustineamus mala huius vite, attendentes etiam illos, qui nobis mala inferunt, ad nos conuerri. Et licet in Deo confidat Ecclesia de sua liberatione, tamen suam attendens infirmitatem sic incipit orare.

P S A L M V S L V.

MISERERE mei Deus. Præsta auxilium de malorum persecutione. Et necesse est: *Quoniam conculcauit me homo.* Et diabolus in Euangelio vocatus est homo, ubi de zizaniis dicitur: *Inimicus homo hoc fecit.* Iste inimicus homo & per se & per membra non cessat persequi & opprimere seruos Dei. Cum cœperis in Christo piè viuere, ingressus es torcular. Præpara te ad pressuras. Noli timere quia te cõculeat homo. Vna factus es vt calcers. In torculari fructuosa pressura est. Vna in vite pressuram non sentit. Integra videtur, sed nihil inde manat. Mititur in torculari: calcatur, premitur: iniuria videtur fieri vna: sed ista iniuria sterilis non est, imo si nulla iniuria fieret, sterilis remaneret. Attendamus ergo duos hostes, quem videmus, & quem non videmus, hominem & diabolum. Illum diligamus, istum caueamus. Pro homine oremus, contra diabolum oremus, & dicamus Deo: *Miserere mei Deus quoniam conculcauit me homo.* *Tota die,* id est assidue impugnans verbis & suggestionibus tribulauit me, manifestis impugnationibus. Contra tales iste psalmus confirmat nos. Necesse est enim vt tales patiamur vsque in finem, quos non pateremur nisi nobis expediret. Omnis nanque tentatio probatio est: & omnis probationis effectus habet fructum suum. Et ostendit per quos facit diabolus huiusmodi impugnationem Ecclesie, cum subiungit: *Conculcauerunt me inimici mei tota die.* Ad modum vna quæ premitur in torculari, oppresserunt me membra diaboli: & potuerunt facere, *Quoniam multi bellantes aduersum me.* Quod præmisit de vno, nunc dicit de pluribus: quia omnium reproborum caput est diabolus, qui modò per se, modò per membra sua cõculcat & impugnat Christi corpus, sicut prius fecit & caput. Sed inter aduersa fortis quid subiugatur, audiamus. *Ab altitudine diei,* Id est à superbia temporali timebo? Absit: vel timebo ab altitudine, id est potentia, quæ quidem timèda non est, quia diei est, id est ad tempus concessa. Hanc non timebo, sed potius spem meam constituam in te. Et hoc est quod subdit: *Ego verò in te sperabo.* Cum trãserint dies qui alti sunt, etenim ad tempus alti sunt, finito tempore altitudinis sue timebunt. Ego verò in te sperabo. In die iudicij timebunt quidem mali, sed securi erunt iusti. Illud enim veniet tunc, quod sperabant, quod desiderabant,

quod venire orabant. Iam se validum & constantem ostendit, cum subdit: *In Deo laudabo sermones meos.* Sermones suos in Deo laudat, qui in his quæ dicit, non se, sed Deum commendat. Hinc ipsa Veritas ait: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me patris. Aliquis liber laudatur, cum ab aliquo nominato philosopho, siue à perfecto Grammatico compositus dicitur. Quanto magis illi sermones laudandi sunt, qui à Deo sunt? Sed quod in te Dei est, honoratur à te: & tu factus in Deo honoraberis à Deo. Si autem quod in te Dei est, honoraueris tanquam tuum, non Dei, quomodo populus ille longe factus est à sanctis, sic tu longe à sancto. Ergo in Deo laudabo sermones meos. Si in Deo, quare meos? Sed in Deo & meos. In Deo, quia ab ipso. Meos, quia accepi. *In Deo speravi.* Paulo antè dixerat, Sperabo. Iam dixit speravi, tanquam non timens, tanquam confirmatus. *Non timebo quid faciat mihi caro.* Id est quilibet carnalis. Spes fixa in Deo omnem expellit timorem. Ipsa etiam transitoria contemnit tormenta. Generat enim charitatem. Generat patientiam, quibus calcatur mundus, superatur diabolus. Dicit, Non timebo quid faciat mihi caro: & quid tibi facit? *Tota die verba mea execrabantur.* Id est, meam prædicationem iudicabant execrabilem. *Aduersum me omnes cogitationes eorum, in malum.* Reprobienim aduersus iustos non cogitant nisi malum: quomodo eos & sermonem eorum possint destruere & adnichilare. Nec solum extranei persequuntur, sed etiam domestici & priuati. Ideo subiungit: *Inhabitabunt & abscondent: ipsi calcaneum meum obseruabunt.* Habitant mecum in vna domo, in vna Ecclesia. Abscondunt se sub vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Abscondunt se tanquam insidiatores, exploratores, parant laqueos: si non statim possunt malum facere quod cogitant, calcaneum obseruant, vt vel in fine cogitata valeant adimplere. Mos iste diabolicus est, vel eorum qui ministri eius sunt, vt calcaneum, id est, vltima nostra insidiosa calliditate obseruent. Hinc serpenti à domino de muliere dictum est: *Illam tuum obseruabit caput, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Semper ergo seruus Dei debet esse vigilans & circumspectus contra huius callidi serpentis caput: atque vitam & mores suos auxiliante domino ita disponere, vt inhabitantes & abscondentes, qui calcaneum obseruant, neque in principio, neque in fine inueniant quid reprehendant. Ita autem obserua uerunt calcaneum meum: *Sicut sustinuerunt animam meam.* Mali enim quasi graue pondus ferunt vitam iustorum: vnde ludæi de domino dixerunt: *Grauis est nobis etiam ad videndum.* Dissimilis est enim operibus nostris. Docuit tamen & pro talibus orare psalmus. Quamtuilibet enim homo peccator sit, potens est benignus Deus saluare illum: vnde & subiungit. *Pro nihilo, id est pro nullis præcedentibus meritis, saluos facies illos.* Vel sic illos saluos facies, vt nullus tibi labor sit. Non laborabis in sanando, quamuis nos stupeamus in inspiciendo. *In ira populos confringes.* Ira videtur, sed paterna. Irascitur pater filio præceptorum suorum contemptrori. Iratus colaphizat, cædit, ducit ad scholam: frangit eum à superbia deprimat in disciplina. Quam multi impleuerunt domum Dei, in ira eius cõfracti, id est tribulationibus triti. Tu confringes eos, & ego ponam partem meam ad eorum conuersionem. Annuntiabo

Ioan. 7.

Matth. 7.

Gene. 3.

Sapient. 2.

Matth. 5.

Matth. 3.

nuntiabo eis me fecisse multa mala, & illa mihi per confessionem esse condonata: vt ipsi audientes non desperent de peccatis suis, sed exemplo meo per confessionem medicinam consequantur salutis. Et ideo dicit: *Deus vitam meam annuntiaui tibi.* Quomodo annuntiauit Paulus vitam suam, dicens: *Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & iniurius: sed misericordiam consecutus sum.* Annuntiauit vitam suam non sibi, sed illi: quia sic annuntiauit, vt illi crederetur, non ad sua lucra tantum, sed illius. Si propterea annuntias vitam tuam, vt alios exemplo tuo inuites ad confessionem, & ad accipiendam vitam, quam tu accepisti: annuntias vitam tuam Deo, à quo gratiam accepisti, & habebis mercedem ampliolem, quia ex eo quod accepisti non ingratus extitisti. *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Illas lachrymas, quas ego fudi peccata mea annuntians, posuisti in conspectu tuo, id est acceptabiles habuisti, & me exaudisti: *Sicut & in promissione tua.* Quia sicut promiseras, hoc egisti. Dixisti te exauditurum flentem. Credidi, fleui, exauditus sum. Inueni te misericordem in promittendo, veracem in reddendo. *Tunc, id est per tuam conuersionem, & per meam annuntiationem, conuertantur inimici mei à sua vita mala, ita vt sint retrorsum, id est sequatur te.* Præcedendo non corrigitur homo. Bonum est illi vt retrorsum conuertatur, & quem præcedere volebat, sequatur. Præcedit homo per superbiam. Couertitur retrorsum per humilitatem. Præcedere appetit, qui voluntatem suam vult facere. Retrorsum fit qui semper paratus est obedire. Retrorsum ergo conuertantur inimici, vt fiant humiles qui fuerant superbi. Et sic erunt amici qui fuerant inimici. Deinde ostendit quam velox sit misericordia Dei, cum subiungit: *In quacunque die inuocauero te, ecce cognoui quoniam Deus meus es.* Id est meus exauditor. Simile est illud quod alibi dicitur: *Quacunq; hora peccator conuersus fuerit, & ingemuerit: omnia peccata eius remittentur.* Neque enim tardat per dies & annos, sed, Couertimini ad me (ait) & ego reuertar ad vos: sequemini retrorsum, & ego ducam vos. Ecclesia igitur tantam attendens diuinam misericordiam ideo non dicit Ecce cognoui, id est manifestè intellixi quoniam Deus meus es. Magna cognitio. Non ait cognoui quoniam Deus es: sed quoniam Deus meus es. Tuus est enim, cum tibi subuenit. Tuus est, cum tu ab illo alienus non es. Vnde dicitur: *Beatus populus cuius dominus Deus eius.* Cuius enim non est? Omnium quidem Deus est, sed eorum propriè qui eum diligunt, timet, possident, colunt, iam vnum cum eis factus per conuersionem & participationem gratiæ Dei, repetit versum quem iam dixerat, vt & ipsi cum eo & ipsius exemplo dicant: *In Deo laudabo verbum, & in domino laudabo sermones.* &c. Verbum est prædicatione de fide: quomodo trinum & vnum Deum debeamus credere, sicut dicit Apostolus: *prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum fidei quod prædicamus.* Sermo est de moribus, quando prædicatur nobis qualiter debemus viuere, quam castè, quam sobriè, quam iustè, quam piè. Et hæc omnia debemus ad Deum referre, quatinus in eo quod bene credimus, aut iustè viuimus, aut rectè loquimur: & nos in Deo, & Deus in nobis laudetur & honoretur. Et quia fidei sermonem subsequi debet fortitudo spei, rectè adiunctum est: *In Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.* Fides

1. Tim. 1.

Ezech. 18.

Ezech. 18.

Zach. 1.

Psal. 143.

Roma. 10.

Tit. 2.

dicitur quia fit in Deo. Spes autem quasi pes, quia in eo innititur. Fides valet nobis ad iustitiam, quia iustus ex fide vivit. Credendo in Deum declinas à malo, & facis bonum. Hæc est iustitia. Spes nobis valet ad pacienciam & contemptum mundi. Sperando æterna faciliè contemnuntur terrena, & fortiter toleramus aduersa. Est autem quasi anchora nostra spes in Deo. Nauta cum timet tempestatem, figit anchoram suam. Si nos anchoram spei fixam in Deo habuerimus, nullam huius mundi tempestatem formidabimus. Non timebo (ait) quid faciat mihi homo: quia etsi auferat temporalia, habeo tamè quæ tibi offeram spiritualia. *In me sunt Deus vota tua, quæ reddâs, laudationes tibi.* Hæc sunt vera dona & grata sacrificia quæ à nobis exigit Deus, scilicet pia vota, sancta desideria, fides recta, spes certa, charitas perfecta. Quisquis talia vota persoluit, laudes omnipotenti domino reddit. Istæ sunt veræ diuitiæ, quas nō timet homo perdere, nisi ipse velit auferre. Quisquis vult domino Deo vouere, & reddere gratuitum votum, seipsum voueat & reddat. Hoc enim exigitur, hoc debetur. Imago Cæsaris reddatur Cæsari, imago Dei reddatur Deo. Et hoc quidem iustum est. Quare? *Quoniam eripuisti animam meam de morte.* Præteritum ponit pro futuro. Qui enim æternitatem mente considerat, quicquid transire potest, iam tanquam præteritum pēsat. Ac si diceret: *Quoniam in alia vita eripies animam meam à morte æterna. Et pedes meos à lapsu.* Quia ibi nullo modo mouebitur ad malum mea affectio. Ibi nullus lapsus erit, vbi tentatio non erit: ibi nullus lapsus erit, vbi beata trinitas erit. Bene ergo subditur: *Ut placeam coram Deo in lumine viuentium.* Coram Deo in lumine viuentium placebimus, quādo immortales & sine peccato illi apparebimus. Similes enim ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Ibi lumē verum & æterna vita. Ibi fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum. Ergo nobis valeant hæc omnia, ut Deum gratis diligamus, in illo speremus. Nec hominem, nec diabolum timeamus. Toleremus malos, simus boni: de nemine desperemus. Pro omnibus quos patimur, oremus: ut & hīc in lumine fidei, & ibi in lumine speciei tanquam in lumine viuentium in conspectu Dei placeamus. Amen.

Roma. 1.
Psal. 33.
Hebr. 6.

1. Cor. 15. 22.

1. Ioan. 3.
Sapient. 3.

T I T V L V S P S A L M I L V I.

IN finem ne disperdas, Dauid in tituli inscriptione, cum fugeret à facie Saul in speluncam. Psalmus iste tendit in finem, id est in Christum, admonens te quicumque es, ne disperdas Dauid, id est ne dehonores Christum in tituli inscriptione mutata à te, id est sul trahendo te ipsum à regno Christi scilicet negando Christum regem esse Iudeorum: inscriptione tituli mutata à quibusdam tunc, cum fugeret Dauid, id est Christus, à facie, id est à cognitione Saul, id est diaboli vel Iudeorum in speluncam, id est in humanitatem vel sepulchrū. Propter hoc enim quod solam humanitatem Christi cognouerunt, & in sepulchro mortuum viderunt, nullo modo attendentes esse Deum, quidam tituli inscriptionem mutauerunt, negantes Christum esse regem Iudeorum. Materiam est Christus. In prima parte sicut in aliis psalmis tibi de passione agit, præmittit orationem. In secunda parte quæ incipit, *Misit de celo & liberauit me,* tangit breuiter de passione

1. Reg. 22.
34.
Ioan. 19.

passione sua & glorificatione. In tertia quæ incipit, *Paratum cor meum Deus: ostendit se magnam laudem Deo ex sua glorificatione facere. Ostendit Christus in hoc psalmo per mysterium suæ incarnationis, passionis & resurrectionis, atque ascensionis totum mūdum Christianæ fidei subiiciendum. Per hoc videlicet intendens omnes admonere, ut nullus sit qui velit se ab eius regno per infidelitatem subtrahere. Et hoc facit proponendo nobis incarnationem suam, passionem, resurrectionem, ascensionem suam. Sic ergo incipit.*

P S A L M V S L V I.

MISERERE mei Deus, miserere mei. Audis magistrum orantem: discite orare. Ad hoc enim orauit, ut doceret orare. Ad hoc passus est, ut doceret pati. Ad hoc resurrexit ut doceret sperare resurrectionem. Geminando orationem, magnam nobis insinuat necessitatem. Potest etiam hæc orationis geminatio ad diuersa referri, hoc modo: *Miserere mei Deus, dando mihi constantiam in passione, Miserere mei faciendo me resurgere. Et debes misereri, Quoniam in te non in alio, confidit anima mea.* Ac si dicat, Non tantum confido in te in presenti, sed etiam in futuro. Non secundum corpus tantum, sed secundum animam. Et ideo adhuc subdit & *in umbra alarum tuarum sperabo.* A simili dictum est hoc: sicut in Euangelio dominus Ierusalem ait: *Quotiens volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat filios suos sub alas, & noluisti? Diuina quidem bonitas quodam quasi mater no affectu alis suæ misericordiæ & potentia protegit, atque ab æstu vitiorum defendit sperantes in se. Bene autem subiunctum est. Donec transeat iniquitas.* Modò in hoc seculo quamdiu durat iniquitas, vnicuique iusto spes necessaria est, ut sperando æterna bona patienter expectent mala sustineant temporalia. Hinc Paulus admonet dicens: *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Et iterum: *Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.* Modò ergo abundat iniquitas premens, cui resistit iustitia patiens, & spes indeficiens. In morte iusti siue in fine seculi iniquitas transibit & iam spes non erit, quia iam possidere incipit quod patienter expectauit. Hinc est quòd Apostolus ait: *Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Interim in tribulatione constitutus quid subiungat, audiamus. *Clamabo ad Deum Altissimum.* Commendat nobis Deum nostrum cum dicit Altissimum, quatinus exemplo suo nos excitet ad clamandum, scilicet quia Altissimus est. Quia potentissimus est, quia super omnes est. Clamor autem ad Deum est desiderium nostrum. Quantò plus quisque desiderat, tantò amplius clamat. Dicit altissimum, dicit & benignum, cum subdit: *Deum qui benefecit mihi.* Audi quanta beneficia, ut amplius diligas Deum, & deuotius clames. *Misit de celo, Id est de excelso vel de secreto suo. Et liberauit me, dedit in opprobrium conculcantes me.* Dispersi sunt per omnes gentes, nusquam habentes stabilitatem, nusquam certam sedem. Propterea autem adhuc Iudæi sunt, ut libros portent ad confusionem suam. In quali libro sunt, attende. Codicem portat

1. Pet. 2.
Ioan. 13.

Mat. 23.

Roma. 12.

Roma. 8.

Iaco. 1.

Roma. 9.
Ephe. 4.

Iudæus, vnde credat Christianus. Librarij nostri facti sunt. Deinde quid miserit de cælo Deus, aut à quibus eum liberavit euidenter insinuat, cum subiungit. *Misit Deus misericordiam suam & veritatem suam.* De hac missione dicit Paulus: Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus filiū suum in terris &c. Christus est ergo Dei misericordia, quia peccata dimittit. Christus est veritas, quia implet quod promissit. Attende misericordiam ad te missam, & conuertere à peccatis. Attende veritatem, & securus esto de promissis. *Et eripuit animam meam de medio catulorum leonum.* Qui sunt catuli leonum? Populus malè seductus à principibus sacerdotum. Illi leones, isti leonum catuli. Omnes fremuerunt. Omnes circumdederunt eum, de quorum medio anima erepta est, sed corpus occisum. Vnde & subdit: *Dormiui conturbatus:* Nolite (inquit dominus) timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Quid enim nocere possunt bonis, tantummodo corpus occidendo? Imo adiuuant, dum citius mittunt ad regnum. Apertè autem dicit, Dormiui. Mors enim ei somnus fuit: quia quàm facilè quisque potest excitari à somno, tam facile fuit domino nostro à morte resurgere. Vnde ipse ait: Potestatem habeo ponēdi animam meam, & iterum sumendi eam. Dormiui (inquit) prius in passione conturbatus. Turbauerunt illi, dormiuit ille. Magna humilitas turbati. Magna potestas dormientis. Nec poterant turbare illi, nisi quantum volebat ille. Qui fuerunt illi conturbatores? *Filij hominum.* Id est Iudæi qui debuerunt esse imitatores patriarcharum & prophetarum rationabiliter viuentium. Quomodo occiderunt, qui ferrum non habuerunt? *Dentes eorum arma & sagitta, & lingua eorum, gladius acutus.* Dentes significant mordentes locutiones, quibus tãquam armis & sagittis modò comminus, modò de longè, modò manifestè, modò occultè vulnerare moliti sunt. Noli attendere inermes manus, sed os armatum. Inde gladius processit vnde Christus occideretur, quomodo & de ore Christi vnde Iudæi occiderentur. Nam habet ille gladium bis acutum, & resurgens percussit eos, vt faceret fideles suos. Illi malum gladium, ille bonum: Illi sagittas malas, ille bonas, scilicet verba bona vnde sagittat cor fidele, vt ametur. Quando ergo percusserunt, nisi quando clamauerunt: Crucifige, crucifige? Et quid tibi fecerunt ò domine? Exultat hinc propheta. Vidit in spiritu dominum humiliatum, flagellatum, spinis coronatum, ligno suspensum. Illos sæuientes, illum verò tolerantem. Illos exultantes, illum quasi victum. Et post tantam humiliationem cognouit eum resurrecturum, & omnia illa quæ fecerunt Iudæi sæuientes, facti esse inania: elatus gaudio tanquam videret fieri, exclamat & dicit: *Exaltare super cælos Deus.* Homo in cruce, Deus super cælos. Remaneant in terra sæuientes: tu in cælo esto iudicans. *Et in omni terra gloria tua.* domino enim residente in cælo ad dexteram patris, vbique terrarum prædicata est gloria resurrectionis eius, & diuinitatis. Exaltatum in cælo dominum non videmus, sed credimus. In omni autem terra gloriam eius non tãtum credimus, sed etiam videmus. Deinde ad ver

ad verba passionis redit, atque in persona domini dicit: *Laqueum parauerunt pedibus meis.* Id est, deceptionem actibus mei prætenderunt: à similitudine auis, quæ in laqueo pedibus retinetur. *Et incuruauerunt animam meam.* Quantum ad opinionem suam. Ita enim putauerunt eam incuruasse, vt amplius non posset ad corpus redire & resurgere. Hoc autem quod de nostro redemptore dicitur, quotidie à malignis spiritibus contra nos agitur. Laqueum enim pedibus nostris parant, quia occulta tentamenta bonis nostris actibus prætendunt, vt impediunt. Anima verò incuruatur, cum de bono ad malum reflectitur. Anima incuruatur, quotiens terrenis desideriis implicatur. Hinc propheta de immundis spiritibus ait: Qui dixerunt animæ tuæ: Incuruare, vt transeamus. Recta quippe stat anima, cum superna desiderat, & nequaquam flectitur ad ima. Sed maligni spiritus, cum hanc in sua rectitudine stare conspiciunt, per eam transire non possunt. Transire namque eorum, est immunda illi desideria spargere. Dicunt ergo, Incuruare, vt transeamus: quia si ipsa se ad ima appetenda non deiicit, contra hanc illorum peruersitas nullatenus conualefcit, & transire per eam nequeunt, quam contra se rigidam in superna intentione pertimescunt. Nos ergo fratres charissimi, nos viam malignis in nobis spiritibus damus, cum terrena concupiscimus, cum ad temporalia appetenda curuamur. Pudeat ergo terrena concupiscere, & dorsa mentium ascendentibus aduersariis præbere. *Foderunt ante faciem meam foueam: & inciderunt in eam.* Parauerunt mihi mortem, sed seipsum interius occiderunt. Nemo prius peccat in alterum, quàm in seipsum. Fouea peccatoris est mala conscientia. Ibi necesse est omnes malos cadere. Putas eum in foueam non cecidisse, qui lucem Christi perdidit, & cæcitate percussus est? Si non caderet in foueam, videret ante se. Nescit quò eat. Quomodo qui ambulat in via, cum ceciderit in foueam, perdit viam. Affligit te malus? Parat tibi foueam, vt intercas. Tu in pressura es, ille gaudet. Lætitia iniqua facientis, ipsa est fouea. Illuc quicumque ceciderit, oculos perdit: perdit & vitam per malam cōscientiam. Et bene ait, Ante faciem meam: quia non eum latuit. Sciens est traditus, volēs occisus. Ex quibus verbis vera nobis insinuat dominus nostri patientia. Vnde & subditur: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Illi parauerunt mortem, & cor meum paratum est ad omnia libenti animo sustinenda. Ideo repetit vt perseverantiam notet in patientia. Posset enim ad horam sustinere, & postea deficere. Verbi itaque repetitio, confirmatio est. Bonorum autem patientia præparatione cordis excipit voluntatem Dei, & gloriatur in tribulationibus dicēs: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Illi parauerunt foueam ad opprimendum, ego autem parabo cor ad tolerandum. Propterea illi inciderunt in eam: Ego autē *Cantabo & psalmū dicam.* Cantus refertur ad animi iocunditatē. Psalmus ad bonā operationē. Ad omnipotentis Dei laudē cantus cum psalmo debet cōcordare, vt quod ore profertur cōmendetur & opere. Deinde expleta passione carnē suam denuntiat suscitandā, cum subiungit: *Exurge gloria mea, Exurge psalterium & cythara.* Imperando dicit, Exurge, tãquā habens potentiā ponendi animā suam, & iterum sumēdi eam. Gloriam

autem dicit carnem suam, propter immortalitatem & diuinitatem. Magna enim gloria fuit Christo exurgere atq; ad dexteram patris sedere. Declarat etiam suæ resurrectionis horam, cum subdit: *Exurgam diluculo*. Mane enim prima sabbati resurrexit dominus Iesus. Et vnde vna caro resurrexit, inde surrexerunt duo organa: Psalterium videlicet & Cythara. Psalterium sonat à superiori parte. Cythara ab inferiori. Per carnem suam dominus duo genera factorum operatus est, scilicet miracula & passiones. Miracula desuper fuerunt, passiones ab inferiori. Illa quæ fecit miracula diuina erant, sed per carnem fecit. Caro ergo diuina operans psalterium est. Caro humana patiens cythara est. illuminentur cæci, sanentur ægroti, resurgant mortui, sonus psalterij est. Esuriant, sitiatur, dormiat, flagelletur, occidatur, sepeliatur, sonus cytharæ est. Habes ergo in vna carne psalteriū & cytharam. Et ista duo genera factorum impleuerunt Euangelium, & prædicatur gentibus. Et hic fructus passionis & resurrectionis. *Confitebor tibi in populis*. Id est, acquiram tibi confessores in Iudæis, & *Psalmum dicam tibi in gentibus*. Id est, tales acquiram in gentibus, qui psalmum dicent, id est bene operabuntur. Vel tibi, id est, ad honorem tuum, confitebor & psalmum dicam, id est, laudem & bonam operationem prædicabo, non solum in Iudæis, sed etiam in gentibus. Attēde quod ipse filius Dei ex tanta iustitiæ actione non quærit gloriam suam, sed eius qui misit eum: vt non gloriatur in se omnis caro, sed qui gloriatur, in domino gloriatur. Et merito confitebor tibi & psallam: *Quoniam magnificata est usque ad cælos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua*. Per cælos in hoc loco intelligimus angelos, archangelos & cælestes alias virtutes. Per nubes autem prædicatores veritatis, homines portantes istam carnem caliginosam: Vnde Deus tonat præceptis, & coruscatur miraculis. In cælo angeli laudant Deum, vidētes ipsam speciem veritatis, sine vlla caligine visionis. Ibi veritas: & non est opus misericordia sursum, vbi nullus est miser. Hic autē in nostra miseria vtique misericordia necessaria est. Videretur ergo congruentius dici potuisse, Quoniam magnificata est vsq; ad cælos veritas tua, & vsque ad nubes misericordia tua. Sed si subtiliter attendatur, valde præstantius & mirabilius est quod dicitur, Et misericordia vsque ad cælos, & vsque ad nubes veritas exaltata. Omnipotens enim Deus per misericordiā suam peccatores homines leuauit vsque ad angelos. Vnde nunc dicitur: Quoniam magnificata est misericordia vsque ad cælos. Et quia veritas quæ in angelis pollet, venit ad homines: rectè subiungitur, Et veritas tua vsque ad nubes. Gloria Deo nostro, quia nec deseruit nos misericordia facere beatos, nec fraudauit veritatem: sed sanauit oculū cordis nostri, vt eum postea facie ad faciem videre valeamus. Pro tanto gaudio & vtilitate repetit Psalmista versum, quem iam dixit. *Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua*. Qui fortassis ideo repetitur, quia circa hunc versum maximè intentio & vtilitas psalmi versatur.

TITV

TITVLVS PSALMI LVII.

N finem ne disperdas, David in tituli inscriptione. Psalmus iste intendit in finem, id est, Christū. Nonens ne tu disperdas David, id est, de honores Christum in tituli inscriptione mutata à quibusdam, scilicet ne minuas regnum Christi, reipsum subtrahendo à regno eius: sed per regem Iudæorum confitearis Christum. Et hæc est intentio, sicut in alio psalmo: ne disperdas Christū. Materiam sunt Iudæi per oppositū, quia Christus debet esse principalis. Admonemur in hoc psalmo, ne subtrahamur à Christi regno, id est, à sanctorum consortio. Et hoc facit Christus, nobis proponendo Iudæorum cæcitatem, & eorum localem dispersionem, & futuram eorum damnationem: vt visa malorum facta damnatione terreamur ab eorum imitatione. Proponit etiam nobis lætitiā iustorum, quam habent spe futura gloria: vt visa eorum lætitiā, nos ad eorum imitationem alliciat. Vox propheta.

PSALMVS LVII.

I verè vtique iustitiam loquimini, rectè iudicate filij hominum. Ac si dicat: Vos Iudæi, qui estis filij hominum, qui debetis esse imitatores patrum vestrorum prophetarum rationabiliter viuentium. Si verè loquimini iustitiā in lege & prophetis (quod vtique facitis) rectè iudicate, id est, discernite & credite, quia Christus dominus noster ipse est Deus. Hunc enim vobis commendat & prophetat iustitia vestre legis. Vel, Rectè iudicate, id est, viuite, discernentes bonū à malo, secundum iustitiā quam loquimini. Nam bona loqui, & mala agere, iudiciū damnationis est. Vnde & ipsa Veritas Phariseis ait: Hypocritæ, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? *Etenim in corde iniquitates operamini, in terra*. Iniquitates in corde operari, est malā gerere voluntatē. Volūtas enim praua apud Deū pro facto reputatur. Et bene ait, In terra, id est terrenis inhærentes. Nam cum in terra cor figitur, inde iniquitas in corde generatur. *Iniustitias manus vestra concinnant*. Id est, prauis voluntatibus prauæ actiones vestra concordant. Vel iniustitias manus concinnare, est iniustas actiones iniustis aggregare. Iuxta quod alibi per psalmistam dicitur, Appone iniquitatē super iniquitatē eorum, & non intrent in iustitiā tuam. Et iuxta Ioannē: Qui sordidus est, sordescat adhuc. Deinde cōuertit se ad auditores, atq; eorum errorē & duritiā cordis ostēdit, vt auditor quisq; caueat ne similiter errans similiter pereat. Ait ergo: *Alienati sunt peccatores à veritate*. Id est, ab ipsa egressione errauerūt ab vtero. Hoc est ab ipsa cōceptione. *Locuti sunt falsa*. Relicta veritate. Nam hoc ita accipiendū est, vt eos in vtero matris suæ errasse intelligamus. Neq; enim tunc potest esse puer capax sensus aut intellectus. Sed ita sentiendū est, qd omnipotens Deus ab ipso vtero antequā nascantur præcognoscit qui peccaturi sunt, atq; in errore & falsitate permāsuri. Hinc est quod cum adhuc prægnans esset Rebecca, & geminos vtero portaret, dictum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Occultum ibi iudicium Dei, & ideo magis timendum. Aliter nascuntur inter viscera Ecclesiæ paruuli: Bonum est vt formati exeant, ne ab ortu labantur. Generet te mater, non abort

Ioan. 8.

2. Corint. 10.

Matth. 12.

Psalm. 68.

Apo. 22.

1. Corint. 13.

Genes. 25.

Mal. 1.

Rom. 9.

abortiat. Patiens esto, usquequo formeris. Teneant te materna viscera, usquequo certa sit in te doctrina veritatis. Si autem impatientia tu concusseris viscera matris, cum dolore quidem te excutit foras, sed tuo magis malo quam suo. Qui eruditus est in doctrina, & non credit, aut malè viuit, à vulua egreditur tanquam formatus, sed repellitur tanquam alienus. Qui incipit erudiri & nondum ad plenum edoctus à societate sanctorum egreditur: hic tanquam abortiuus ab utero matris Ecclesiæ eiicitur. Quia ergo Iudæi ex quo legem cognouerunt, à fide & iustitia ipsius maternæ legis recesserunt: rectè de eis nunc dicitur: Errauerunt peccatores à vulua. Quia verò minus capaces quidam ex eodem populo erudiri contempserunt: dictum est de illis, Errauerunt ab utero. Et quia alienati sunt & errauerunt, ideo locuti sunt falsa. Qui enim relinquit veritatem, necesse est vt loquatur falsitatem. Ecce ad quantam vesaniam deuenerunt errantes. *Furor illis secundum similitudinem serpentis.* Error eorum versus est in furorem, non humanum, sed serpentinum & venenosum. Erat enim inuidiæ venenum in furore eorum. Audi cuius serpentis furor in illis erat. *Sicut aspidis surda & obcurantis aures suas.* Ideo surdæ, quia obturat aures suas. *Quæ non exaudit vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Hic data est quædam similitudo de Marfo. Qui incætat vt educat aspidem de tenebrosa cauerna, vtique in lucem vult educere. Illa autem amando cauernas suas, quibus se inuolutam occultat. Dicitur quòd cum exire noluerit, recusans audire illas voces quibus se cogi sentit, allidit vnâ aurem terræ, & de cauda obturat alteram. Atque ita voces illas quantum potest euitans, non exit ad incantantem. Huic similes dixit spiritus Dei quosdam non audientes verbum Dei, & non solum non facientes, sed omnino nefaciant, audire nolentes. Ita isti cum prædicatores volunt eos de fouea, id est de profunditate vitiorum suorum extrahere, & hoc quod peccatores sunt, mastrare (vnde dictum est Petro: Mastra & manduca) & venenum, id est, peccata inde extrahere: ipsi nolentes veritatem obaudire, sed in fouea sua permanentes, ad veram lucem aspirare nolentes, alteram aurem cordis terræ, id est, præsentis delectationi apponunt: alteram verò cauda obturant, id est, memoria præteritarum delectationum. Non ideo dicit Sapienter, vt incantationem laudet, sed ad similitudinè valet. Factum est hoc & in primis temporibus fidei. Stephanus martyr prædicabat veritatem, & tanquam tenebrosis mentibus, vt eas in lucem educeret, incantabat. Vbi venit ad commemorationem Christi quem illi omnino audire nollent, quid de eis scriptura dicit? Clauerunt (inquit) aures suas. Quid autè postea fecerunt? Passio Stephani narrata declarat. Non erant surdi, sed surdos se fecerunt. Illi inquam locuti sunt falsa, sed quid faciet Deus? Audi sequentia. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum.* Id est, destruet mordaces quæstiones in responsione eorum: sicut scriptum est, de tributo Cæsaris. Quid est in ore ipsorum? Vt ore suo contra se pronuntiarent. Coëgit enim illos, ore suo sententiam dare, vnde dentes eorum contererentur. Cum enim dicerent in nummo esse imaginem Cæsaris, & dominus quæ Cæsaris sunt, Cæsari: & quæ

Math. 23.
Luc. 11.

Acto. 10.

Acto. 6.
& 7.

Acto. 7.

Math. 22.

Ibidem.

quæ Dei sunt, Deo persoluere præcepisset: non habuerunt quid responderent, vnde morderent, quia contriti erant dentes eorum in ore ipsorum. Sic & de Ioannis baptismate inquisiti, nescierunt quid responderent. Aspides ergo erant Iudæi, quando insidiabantur Christo, insibilare & venena immittere molientes: sed contriti sunt dentes eorum in ore ipsorum. Postea clamauerunt, Crucifige, crucifige. Iam non est lingua aspidis, sed fremitus leonis. Sed *molas leonum confringet dominus.* Sicut per dentes accipimus mordentes quæstiones: ita per molas intelligimus fortiores & acriores de morte Christi persuasiones. Prius occultè decipere tanquam aspides tentabant, postmodum cæperunt in mortem Christi aperte frendere vt leones. Crucifixus est, resurrexit, ascendit in cælum, glorificatus est, adoratus ab hominibus, à regibus. Molarum ergo leonum contractæ sunt, id est, accusationes & falsa testimonia, quæ iam aduersus Christum proferre non possunt. De quibus adhuc subditur: *Ad nihilum deuenient, tanquam aqua decurrens.* Omnes superbi & impij sonantes ad saxa superbiæ suæ tanquam aqua decurrunt, & ad nihilum deueniunt. Attende persecutores martyrum: sonauerunt ad tempus velut torrens: Cucurrerunt in riuis quantum potuerunt: ficcati sunt riui, vix eorum reperitur memoria. Et non solum ipsi, sed totum hoc seculum ad tempus perstrepat, currit tanquam aqua. Fluit in vitiis & concupiscentiis, quærens quem trahat. Non timeantur ergo mali, non possunt permanere. Necesse est decurrant ad locum suum, ad finem suum. Et tamen de isto torrente bibit Deus. Et quia bibit, propterea exaltauit caput: quia passus est, propterea resurrexit. Si nollet bibere in via de torrente, non moreretur, non resurgeret, non glorificaretur. Ergo de torrente in via bibit, propterea exaltauit caput. Exaltatum est iam caput nostrum: sequantur eum membra sua, bibendo de torrente. Non timeant aquas perstreptentes, populos minantes, persequentes: quia Deus *Intendit arcum suum donec infirmetur.* Arcus Dei sunt minæ Dei, quæ non cessant. Intenditur arcus, nondum ferit. Multi infirmati sunt, ipsius arcus intentione territi. Nam hinc infirmatus est ille qui dixit: Quid me iubes facere? Ego sum (inquit) Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Qui clamabat de cælo, arcum tendebat. Multi ergo qui fuerunt inimici, infirmati & conuersi sunt. Noluerunt diu erigere ceruices suas aduersus perseverantiam extenti arcus. Nam & infirmatus est ille qui dixit: Quando infirmor, tunc potens sum. Et cum oraret à se tolli stimulum carnis, ei responsum est: Virtus in infirmitate perficitur. Vel intendere arcum, est vindictam præparare, donec infirmetur, id est, penitus à suis viribus debilitentur, vt vterius non valeant nocere bonis. Tantum enim permittit Deus malos in bonis desauire, quantum hoc bonis nouit prodesse, vel ad correctionem morum, vel augmentum virtutum, sicut scriptum est: Fidelis Deus qui non permittit vos tentari supra quàm ferre possitis, sed facit etiam ex tentatione proventus. Vnde adhuc de reprobis subditur: *Sicut cera qua fluit, auferentur.* Non ait Conuertentur, sed Auferentur. Consumit enim eos astus vitiorum, sicut ignis ceram. Soluuntur ab omni constantia virtutis, euntes in libidines suas soluti & fluxi. De talibus dicit

Math. 21.

Ioan. 19.

Marc. 15.
& 16.
Math. 2.

Psal. 109.

Acto. 9.

2. Corin. 12.

1. Cor. 10.

Rom. 1. dicit Apostolus. Tradidit eos dominus in concupiscentias cordis eorum, in immunditiam, ut faciant quæ non conueniunt. Deinde enumerat multa mala in quæ defluunt dissoluti tanquam cera: & postea subdit. Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte. Vnde hoc sequitur & dicit: *Supercecidit ignis & non viderunt solem.* Alius ignis est avaritiæ, alius luxuriæ, alius superbiæ, alius inuidiæ, alius iracundiæ. Talis ignis fumosus est & tenebrosus: super quem ceciderit, non videbit solem. Non dico illum quem fecit dominus oriri super bonos & malos: sed illum dico, de quo illi dicturi sunt in iudicio: Et sol non ortus est nobis. Transferunt omnia illa tanquam umbra: errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis. Ergo fratres ignem concupiscentiæ timete, si non vultis liqueferi sicut cera à facie Dei. Et notandum est quia pœna impiorum duas species habet: vnam in præsentibus, alteram in futuro. Vna ignis concupiscentiæ, altera ignis æternus. Hanc pœnam concupiscentiæ commendat nobis spiritus Dei vsque in finem psalmi. Hanc caueamus, & in illam terribilem non incidemus. Delectatio quidem carnalis cum homine nascitur, sed qui bene eruditur citò videt hostem suum, & aggreditur, & luctatur & citò vincit. Qui autem illam concupiscentiam, cum qua de peccati propagine natus est, negligit vincere, & multas adhuc excitat, exeritque libidines: difficulter eas superat, & aduersus se ipse diuisus, igne proprio concrematur. Et ne illi intelligerent hoc tantum fieri in futuro, conuertens se ad eos ut attentiores reddat, determinat sic: Super vos cecidit ignis ô Iudæi, *Priusquam intelligerent spina vestra rhamnum.* Id est, priusquam intelligere vos facerent peccata vestra rhamno esse similia. Rhamnus est herba prius mollis, deinde quando maturefcit, acutissimos aculeos habet. Sic sunt peccata: prius quidem mollia & delectabilia sunt, sed deinde grauissimè pungunt. Temporalem enim delectationem dolores & compunctiones sequuntur tormentorum. Tunc erit & compunctio pœnitentiæ, sed seræ & infructuosæ, sicut spinarum sterilitas. Pœnitentia huius temporis dolor medicinalis est. Pœnitentia illius temporis dolor pœnalis est. Hoc non intelligunt, qui amant hanc transitoriam voluptatem: quia Supercecidit ignis, & non viderunt solem. Ignis iste *Sicut viuentes sicut in ira absorbet eos.* Id est, deglutiet & vastabit. Quare non dicit viuentes, sed sicut viuentes, nisi quia falsa est vita impiorum? Non enim verè viuit, qui à domino separatur. Et quare non in ira, sed sicut in ira: nisi quia tranquillius hoc facit Deus? Sicut scriptum est: Tu autem domine virtutum cum tranquillitate iudicas. Vel sicut in ira, & non dicenda verè ira ad comparationem eius quæ ventura est in iudicio. Vnde autem puniuntur mali, inde ad iustitiam proficiunt boni. Nam subditur. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam.* Non ideo lætabitur, ut prauorum vindicta sit iusto causa lætitiæ. Sed ideo lætabitur, quia ipse non erit particeps eorum pœnæ. Attende pœnam malorum etiam in hoc seculo, etiam inter suas voluptates. Ecce dum quidam desiderata possident, quædam alia desiderant, ad quæ peruenire non valent. Pro his quæ non habent cruciantur desiderio: pro his quæ habent, aut tædio cruciantur, aut timore. Ecce ille estuat avaritia, alius feruet luxuria,

luxuria, alius iracundia accenditur, alius inuidiæ facibus inflammatur. Sic se omnipotens Deus in præsentibus à malis vindicat, eosque ipsis suis desideriiis & vitiis flagellat. Hanc vindictam cum viderit iustus, lætabitur: quoniã adiutus per piam domini gratiam talibus non implicatur. Hoc quoque videndo, *Manus suas lauabit in sanguine peccatorum.* Id est, actiones suas mundabit ex consideratione vindictæ reprobatorum. Quando videt peccatoris pœnam proficit ipse, & mors alterius valet ad vitam ipsius. Attende ergo impium pereuntem, & purgate te à peccatis. Ita lauabis quodammodo manus tuas in sanguine peccatoris. *Et dicit homo, Si vtiq; est fructus iusto? vtiq; est Deus iudicans eos in terra.* Ille veraciter homo dicitur, qui sua vitur ratione. Hic dicit, *Vtiq; est fructus iusto.* Etiam in hac vita, antequam veniat æterna. In fide est fructus, in tentatione & tribulatione est fructus, in patientia est fructus, in charitate est fructus iusto. Quòd si ita est, vtiq; est Deus iudicans, id est, damnatione dignos reputans eos malos, nondum in extremo die, nondum in igne æterno, nondum apud inferos: sed hinc in terra. Probat ab opposito: ac si breuiter dicat: Si iusto est fructus salutis in hac terra in eo quòd iustus est, vtiq; & impio est iudicium dånationis similiter in hac terra, in eo quòd impius est. Contraria enim contrariis conueniunt. Attendat igitur homo discretus & iudicet. Sic enim admonet psalmus: Rectè iudicate filij hominum. Discernat bonos à malis & eorum exemplo fugiat eos, qui pereunt, ne & ipse simul pereat. Eos autem qui salui fiunt imitari studeat, ut & ipse auxiliante domino eandem salutem consequi valeat.

TITVLVS PSALMI LVIII.

SICVT solet scriptura psalmorum mysteria in titulis ponere, & frontem psalmi sublimitate sacramenti decorare: ut sciamus qui intraturi sumus, cum tanquam super postem quid intus agatur legerimus, vel cuius domus sit, vel quisnam sit illius prædij possessor. Ita & in hoc psalmo scriptus est titulus de titulo. Habet enim, *In finem, ne disperdas Dauid, id est, Christum in tituli inscriptione, quando misit Saul, & custodiuit domum eius, ut interficeret eum.* Psalmus iste tendit in finem, id est, in Christum. Admonens ne tu quicumque es, disperdas Dauid, id est, Christum in tituli inscriptione, hoc est quod dixi titulus de titulo. Quenam enim sit tituli huius inscriptio, quam corrupti vetat, euangelium indicat. Nam cum dominus crucifigeretur, titulus inscriptus est à Pilato, & positus, Rex Iudæorum, tribus linguis Hebræa, Græca, & Latina: quæ lingua toto orbe maxime excellunt. Igitur si Rex Iudæorum crucifixus est, & Iudæi regem suum crucifixerunt. Crucifigendo eum etiam regem gentium fecerunt magis quam occiderunt. Et quidem quantum in illis fuit, perdidit Christum: sed sibi non nobis. Et mortuus est ille pro nobis, & sanguine suo redemit nos, & non est corruptus titulus: quia ille est rex & non solum gentium, sed etiam ipsorum Iudæorum. Ergo ne corrupas optimè & propheticè: quandoquidem & illi Iudæi suggererunt tunc Pilato, & dixerunt: Noli scribere rex Iudæorum, sed scribe quia ipse dixit se regem esse Iudæorum. Nam iste (inquiunt) titulus confirmabit nobis illum regem. Et Pilatus, Quod scripsi, scripsi. Et impletum est, Ne corrupas. Tituli dico confirmati tunc, cum Saul, id est, Iudæicus populus misit custodes, & custodiuit domum id est, sepulchrum eius. Sed quid est quod subdit, *Ut interficeret eum? Nunquid non erat interfe-*

1. Reg. 18.
& 19.Matth. 27.
Marc. 15.
Ioan. 19.
Luc. 23.Apoc. 5.
Matth. 2.
& 21.
Zach. 9.
Ioan. 1.
Ioan. 19.Ibidem.
Matth. 27.

Etus Iesus, quando positus in sepulchro: Sed aliud erat quod querebant interficere in eo, videlicet nomen & famam eius. Ideo & sepulchrum custodierunt, ne discipuli corpus eius furarentur, & dicerent, Surrexit à mortuis. Custodiuit ergo Iudaicus populus sepulchrum Christi, ut interficeret eum, id est, ut extingueret famam eius. Hoc est verè Christum velle interficere, nomen resurrectionis eius extingueret, ut mendacium Euāgelio praeferretur. Sed quomodo illud non effecit Saul, ut interficeret Dauid, sic nec hoc potuit regnum Iudaeorum efficere, ut plus valeret testimonium custodum dormientium quàm Apostolorum vigilantium. Materia est Christus, de qua sic agit. In prima parte petit liberationem & exaltationem. In secunda ostendit conuersionem gentium, quae ex illa Christi exaltatione & liberatione procedit: & incipit ibi: Conuertentur ad vesperam. In tertia conuersionem Iudaeorum, quae incipit ibi, Et de execratione & mendacio. In quarta ponit laudem quam totus Christus de eo facit, pro sua scilicet liberatione & Iudaeorum & gentium conuersione, quae ibi incipit, Ego autē cantabo. Intentio est, ne disperdas Dauid sicut in ceteris. Ostendit Christus in hoc psalmo, passionem suam gentiles gratiam conuersionis assecuturos, & eorum exemplo Iudaeos in finem conuertendos. Eos verò qui in infidelitate perstiterint, sine misericordia puniendos: his videlicet exemplis nos admonere intendens, ut eorum perfidiam deuitantes, conuersorum verò fidem in nobis conformantes, nos à regno eius non subtrahamus: sed subici studeamus. Vox Christi.

P S A L M V S L V I I I.

RIPE me de inimicis meis Deus meus: & ab insurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem. & de viris sanguinum salua me.

In his duobus versibus quatuor persecutorum Christi genera designantur. Alij enim sic inimicabantur Christo, ut odium in corde tegerent. Alij sic, ut aduersus eum insurgerent, atque aperta voce veritati resisterent. Ideo in primo versu & ab inimicis eripi, & ab insurgentibus in eum postulat liberari. Quidam insuper & praua opera commiserunt, intantum ut saluatorem ipsum manibus raperent, traherent, & flagellaret: quidam intantum desequierunt, ut in cruce suspenderent, clauos in manibus & pedibus eius figerent, latus lancea perforarent, & fuso sanguine occiderent auctore vitam. Propterea orat in secundo versu, ut & ab operantibus iniquitatem eruat, & à viris sanguinum saluetur. Et necesse est ut eripias: Quia ecce, Id est, in manifesto ceperunt animam meam. Partem posuit pro toto. Neque enim animam Iesu sine corpore tenere potuissent. Ceperunt (inquit) animam meam: & hoc quodam auido & inordinato atque ruinoso impetu fecerunt. Vnde & subditur: Irruerunt in me fortes. Diligenter intuendum est qui sint isti fortes. Primo ipsum diabolū dominus forte dixit. Nemo, inquit, intrare potest in domū fortis, & vasa eius diripere, nisi prius alligauerit forte. Alligauit enim forte vinculis dānationis, & vasa eius, id est animas, diripuit, suaque fecit. Sunt & in hominibus quidam fortes reprehensibili fortitudine, qui presumunt de temporalī felicitate. Talē redarguit spiritus Dei in alio psalmo dicēs: Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Rursus fortes alij sunt, qui non de viriis, sed de iustitia sua praesumunt. Talis fortitudo impediuit Iudaeos. Cum enim iusti sibi & sani viderentur, medicinā recusauerunt, medicū occiderunt. Fortitudo ista non sanitas est, sed insania. Ad hoc ergo venit magist

magister humilitatis, factus particeps nostrae fragilitatis, ut nos doceret infirmari, & peccata nostra confiteri: ut fortes simus non in nobis, sed in Deo. Ostensa necessitate suae liberationis ostendit quia dignus sit, ut debeat liberari cum subiungit: Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Deus. Iniquitas quantum ad proximum, Peccatum quantum ad me. Vel iniquitas in grauioribus, peccatum in leuioribus. Intelligi potest fortes, id est, superbi in me irruerunt: sed culpam non inuenerunt, sed potius Sine iniquitate cucurri, Id est, bene operatus sum. & direxi alios ad bene operandum praedicatione & exemplo. Sine iniquitate currere & dirigere, est sine admixtione mali perfecte viuere, & bonum exemplum alijs demonstrare. Non enim bona Deo placere possunt, quae malis admixta sunt. Et notandum quod non ait, Ambulaui, sed Cucurri: quia non solum bene operandum est, sed & ipso gressu boni operis festinandum. Iuxta quod scriptum est: Quodcunque potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio sunt apud inferos, quod tu properas. Et Apostolus: Sic currite (inquit) ut comprehendatis. Vel currere redemptoris nostri, est obedientiam patris liberè & sine vilo impedimento peragere: sicut alibi scriptum est. Exultauit ut gigas ad currendam viam. Et iterum: Omnia quaecunque faciet prosperabuntur. Et ne hoc videretur suis viribus attribuere, ideo deprecans adiungit: Exurge in occursum meum. Ac si dicat: Adiuua me in profectu virtutum, dando mihi resurrectionem. & vide. Id est fac me videri aequalem tibi. Ex illa figura hoc dictum est, quae & illud ad Abraham: Nunc cognoui quia times Deum, hoc est nunc te feci cognoscere. Ignotus enim quisque est ante interrogationem tentationis. Exurge ergo & vide, id est, fac alios videre & cognoscere meam exaltationem: ut qui me viderunt depressum, videant excelsum. Et tu domine Deus virtutum, Deus Israël, intende ad visitandas omnes gentes. Ut quae infirmæ sunt, & peccatis oneratae: visitare eas digneris, dando gratiam sanitatis, & mittendo tuos praedicatores: ut sicut tu es Deus virtutum, id est, angelorum, & Deus Israël, id est Israëliti populi: Ita esse digneris & Deus gentium, quatinus eas consortes facias & angelorum & Israëliticorum fidelium. Sed valde tremendum est quod subditur: Non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem. Quis enim sine iniquitate? Sed hoc de his vult intelligi, qui in iniquitate perseuerant. Ergo puniamus peccata nostra, si Dei misericordiam quaerimus. Nam si nos non punimus, ille non miseretur, sed punit. Quia iniquitas omnis siue magna siue parua sit, necesse est puniatur vel ab ipso Deo iudicante, vel ab ipso homine poenitente. Et verè intendes ad visitandas omnes gentes: quia te aspirante conuertentur. Hoc est quod subdit: Conuertentur ad vesperam: & famem patientur ut canes, & circuibunt ciuitatem. Hoc iam factum est, & continuè fit. Relicta autem idolatria ad vesperam in hac vltima aetate ad cultum Dei conuertuntur, atque esuriendo & sitiendo iustitiam, famem patientur ut canes, sicut peccatores. Canum nomine merito designantur gentes propter immunditiam peccati. Ex his erat illa Chanaanæ, cui dominus ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Quod illa recognoscens, humi-

liter respōdit: Etiam domine. Sed quia famem patiebatur vt canis, protinus adiunxit: Sed & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Intendit ergo dominus ad visitandam eam, propter fidem & humilitatem eius, & ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Tales canes non cessant ciuitatem Dei circuire, sagaci mente inuestigando vitam & mores sanctorum patrum, ex quibus ciuitas Dei constructa est. Vel canes possunt accipi sancti prædicatores, qui in assertione veritatis contra fures & latrones, magnos (vt ita dicam) dedere latratus. Famem passi sunt, omnes sibi incorporari & vniri per fidem desiderantes, & circuiuerunt ciuitatem, id est mundum, vbique euangelizantes. Vnde & subdit: *Ecce loquentur*, Id est, manifestè prædicabunt *in ore suo*, id est, more sibi cōuenienti. Quia quod loquentur verbo, confirmabunt opere, & exemplo. Siue in ore suo, id est, liberè, aucter, cum auctoritate. *Et gladius in labiis eorum*. Gladius bis acutus, de quo dixit Apostolus: Et gladium spiritus, quod est verbū Dei. Quare bis acutus? Ex vtroque testamento feriens. Hoc gladio mactabatur, de quibus Petro dicebatur: Macta & manduca. Indignabuntur autem, quoniam multi erunt qui non audient aure audiendi. Et hoc est quod subditur: *Quoniam quis audiuit?* Hinc est quod propheta ait: Quis credidit auditui nostro, & brachium domini cui reuelatum est? Prædicamus (inquit Apostolus) sapientiam in mysterio absconditam, quam mūdus non cognouit. Tempore quoque martyriū rarò inueniebantur qui audirent verbū Dei. Dixi non miser aris omnibus qui operantur iniquitatē: & ita erit. Vnde & subiungit: *Et tu domine deridebis eos*, id est, dignos derisione ostēdes eos. Hoc in iudicio erit, cum dicet eis: Ite in ignem æternum. Ex hoc etiam apparet, quia gentes conuertentur: quoniam *ad nihilum deduces omnes gentes*. Omnis qui ad Deum conuertitur, necesse est prius ad nihilum deducatur. Hinc Veritas ait: Qui vult post me venire, abneget semetipsum. Semetipsum abnegat, qui se mutando in melius, desinit esse quod erat, & incipit esse quod non erat. Ad nihilum deductus erat Paulus, cum diceret: Viuo ego, iam non ego, viuit autem in me Christus. Hinc etiam ait: Qui se putat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Ad nihilum deductus erat Abraham, cum diceret: Loquar ad dominum meum, cum sim cinis & puluis. Sic quisque prius deficiens in seipso, incipit esse fortis in Deo. Talem se agnoscit, cum protinus addit: *Fortitudinem meam à te custodiam*. Illi enim fortes qui in me irruerunt, ideo ceciderunt: quia fortitudinem suam à te non custodierunt: sed de se præsumperunt. Ego autē fortitudinē meam à te custodiā: quia si recedo, cado: si accedo, fortior fio. Videte quid est in anima humana. Nō habet ex se lumen: non habet ex se vires: Totū autem quod pulchrū est in anima, virtus & sapientia est. Sed nec ipsa sibi lux est, nec ipsa sibi virtus est. Est quādā origo fontisque virtutis & sapientiæ Deus, à quo recedens anima tenebratur, accedens illuminatur. Ergo fortitudinem meam à te custodiam, non à te recedam, non de me præsumam: & merito, *Quia Deus susceptor meus es*. Suscepisti humanitatem meam, coniungens eam tuæ diuinitati. Suscepisti me ad san-

ad sanandum, quemadmodum medicus agrorum, Deus meus qui creasti me. *Misericordia eius præueniet me*. Vbi iacebam? Quò erectus sum? Ecce quare non debeo de me præsumere, quia non præcesserunt merita mea, sed præuenit me diuina misericordia, vt iustus essem. Non mouere nos debet, quòd frequenter personas mutat. Talis est enim vsus prophetiæ. Modò conuertit se ad familiarem domini locutionem, à quo accipit prophetiæ reuelationem: modò se ad auditores conuertit, vt eos ædificet ex his quæ domino reuelante agnouit: modò autem in persona sua loquitur: modò in persona membrorum: modò in persona Christi. Vnde nunc subditur: *Deus ostendit mihi super inimicos meos*. Quantam circa me habuit misericordiam, in illis mihi monstraui, in quibus non habuit. Nisi enim debitor suspendatur, minus agit gratias cui debitum relaxatur. De ipsis inimicis quid? *Ne occidas eos, nequando obliuiscantur populi mei*. Ipsos inimicos qui me occiderunt, noli tu occidere. Non sine causa Cain cum fratrem occidisset, posuit in eo Deus signum, ne quis eum occideret. Hoc est signum quod habent Iudæi. Tenent reliquias legis suæ: circunciduntur, sabbatum obseruant, azima comedunt. Sunt ergo Iudæi, non sunt occisi. Necessarij sunt credentibus, vt demonstraret nobis Deus super inimicos nostros misericordiam suam. In ramis superbiæ præcis infero misericordiam suam ostendit oleastro. Ecce vbi iacent qui superbi erant, ecce ibi infertus es, qui iacebas. Et tu noli superbire, ne præcidi merearis. Ergo ne obliuiscantur populi fideles gratiam Dei, viuunt ante oculos eorum excæcati Iudæi, vt ex eorum cæcitate semper recolligant quantas omnipotenti Deo de sua illuminatione gratias agere debeant. *Disperge illos in virtute tua*. Hoc impletum est à Tito & Vespasiano, qui populum Iudæorum captiuauerunt. Nec tamen hoc virtuti eorum adscribendum est: sed Dei qui præstitit eis, vt hoc facere potuissent. Omnis enim potestas à Deo. Propterea non dictum est, *Disperge illos in virtute hostium*, sed, *In virtute tua*: quia (vt dictum est) omnis virtus à Deo est. Et non solūm disperge, sed o domine qui me protegis & defendis, depone eos à timore superbiæ. Hoc est quod subiungit: *Et depone eos protector meus domine*. Deinde ostendit quid in eis deponi velit. *Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum*. Sermo labiorum & delictum oris fuit, quando de Christo dixerunt: *Demonium habet: Reus est mortis, & alia huiusmodi*. Hoc autem delictum, ideo dicit: *Sermonem labiorum*, quia talia impropria apertè dixerunt, palàm prædicauerunt. Tale delictum, talem sermonem depone & destrue, & de ore & labiis eorum tolle. In hoc volo deponas eos, non secundum naturam, sed secundum culpam. Illi me interimere tentauerunt. Tu autem resuscitando Christum, quem perdere vouerunt, occidisti delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum. Quippe quem perdendum clamauerunt, viuere expauerunt: & quem in terra contempserunt, in cælo adorari ab omnibus gentibus mirati sunt. Sic deleantur delicta: *Et comprehendantur in superbia sua*. Et verè comprehensum sunt. Ille enim quem superbiendo occiderunt, surrexit: &

factum eorum in irritum venit, peccatum remansit. Quia ergo factum euacuatum est, peccatum autem mansit super facientes: Comprehensum sunt in superbia sua, conuicti sunt male se & superbe egisse. Restabat ergo ut confiterentur peccatum, & ille ignosceret, qui venerat soluere peccata. Factum est hoc iam à quibusdam. Postmodum fiet in pluribus. Ideo subiunctum est: *Et de execratione & mendacio annuntiabuntur in consummatione*. De eo quòd dominum execrauerunt, & corpus eius furatum mentiti sunt, per pœnitentiam & confessionem inde educti, annuntiabuntur in consummatione id est prædicabuntur esse perfecti. De ipsa magnitudine peccati plus humiliabuntur, & maiori humilitate erigi merebuntur, & eo magis perfecti erunt, quia tam execrabile peccatum se commisisse dolebunt. Et hoc fiet *In ira consummationis & non erunt*. Omnis vindicta Dei ira dicitur. Sed plerumque ad hoc vindicat Deus, ut perficiat sicut scriptum est: Flagellat omnem filium quem recipit. Plerumque ad hoc vindicat, ut damnet, sicut dicitur est reprobis: *Ite in ignem æternum*. Ira igitur consummationis, est ira correctionis, quando paterna ira vindicat Deus culpas in hoc seculo, ut emendet & perficiat. Annuntiabuntur itaq; consummationes in ira consummationis, id est, in tali ira, quæ consummet eos & perficiat. Et non erunt (subaudis) tales quales antè extiterant: scilicet superbi, execrantes, mendaces. Tali modo dicitur alibi: *Verte impios, & non erunt. Et scient quia Dominus dominabitur Iacob*, id est, Iudaici populi, *Et finium terra*, id est, gētium per omnes terras. Tunc agnoscent eundem Deum & Iudeorum esse & gentium. Antè iusti sibi videbantur, quòd legem acceperant, quòd Dei præcepta seruauerant. Demonstratū est eis quòd non seruauerunt: quia in eis Christum non intellexerunt. Videbunt quòd gentes non debeant contemnere Omnes enim peccauerunt & egent gratia Dei. Deponunt superbiam, & saluti gentium non inuidebunt: quia parem suam & illorum cognoscent infirmitatem: & in angulari lapide copulati simul Deum adorabunt. Dicitur ergo de Iudæis quòd supra dictum est de gentibus. *Conuertentur ad vesperam*. Id est, in finem seculi. Reliquiæ enim salutæ fient. *Et famem verbi Dei patientur ut canes*. Id est, tanquam peccatores. *Et circuibunt ciuitatem*, id est, Ecclesiam sanctorum, vitam & mores inuestigando: vel ciuitatem, id est mundum circuibunt euangelizando. Vnde aperte subiungitur: *Ipsi dispergentur ad manducandum*. Id est, ad alios incorporandum sibi in fide domini Iesu Christi. *Si uerò non fuerint saturati*. Id est, si prædicatio ad votum eorum non fructificauerit, & ipsi sicut & gentes *murmurabunt*: quomodo superius dictum est: *Domine quis audiuit? Sed iam concludatur psalmus*. Videte angulum exultantem, iam de utroque pariete gaudentem. Superbiebant Iudæi, humiliati sunt. Desperabant gentes, erectæ sunt. Veniant ad angulum. Ibi cōueniant: illi de circumcisione, isti de præputio. In angulo autem teneat se. Et tota iam Ecclesia quid subiungat audiamus. *Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exultabo mane misericordiam tuam*. Sancta electorum Ecclesia fortitudinem, qua diabolus vicit, qua mortem superauit, qua infernum spoliavit: atque eius miser

Ioan. 3.

Matth. 28.

Luc. 18.

Prouer. 3.

Hebr. 12.

Matth. 25.

Prouer. 12.

Rom. 3.

Ephes. 2.

Ibidem.

Gal. 5. & 6.

Ephes. 2.

miseri cordiam, qua humanū genus redemit, & peccata dimisit. Ista omnia Ecclesia cantabit & exultabit: & hoc manè, id est in resurrectione, quādo trāsactis huius seculi tenebris, apparebit sol iustitiæ, & iusti fulgebunt ut sol in regno patris eorū. Nō enim perfectè potest modò cātare canticū domini in terra aliena, quādiu sedet & flet super hos fluctus Babylonis, inter hos decursus præsentis vitæ. Sed quādo trāsibit in locū tabernaculi admirabilis vsque ad domū Dei, tūc fiet cantus in voce exultationis & laudis. Vnde alibi dicitur: *beati qui habitāt in domo tua deus, in secula seculorū laudabūt te*. Et redit causam quare cātare & exultare debeat, cū subiungit: *Quia factus es susceptor meus, & refugium meum in die tribulationis meæ*. In præsentī vita, in qua tribulatur omnis qui iuste uiuit, factus es ab ipsa tribulatione meus susceptor, atque ab instantibus periculis tutum refugium. Nisi enim tu suscepisses & saluasses, nemo esset qui inter tot & tanta mala subsistere potuisset. Ideo adhuc subdit: *Adiutor meus tibi psallam*. Bona opera quæ te aspirante & auxiliante gessi, tibi ascribā. Et merito. *Quia Deus susceptor meus es*. Non susceptor homo, sed susceptor Deus, qui etiā susceptū deificat. *Deus meus* qui me creasti. *Miseri cordia mea*, qui me saluasti. Attendens omnia bona quæcunque habere possumus, siue in natura, siue in conuersione, in fide, in spe, in charitate, in bonis moribus, in iustitia, in timore domini totū non esse nisi ex illius bonis: ita cōclusit, *Deus meus, misericordia mea*. Non inuenit impletus bonis quid appellaret Deum suum, nisi misericordiā suam. O dulce nomen, sub quo nemi ni desperandū est, omnes consolans, omnes ad conuersionē inuitans! Si utique peccata nostra nobis tantū dimisisset, misericors rectè dici potuisset. Nunc quia & peccata dimisit, & insuper dona addidit, & (quod incredibile erat) etiam cælestem gloriā immeritis peccatoribus donauit, nō solū iam misericors dicitur, sed ipsa misericordia dignè appellatur. Dicat ergo voce & corde Ecclesia. Dicat uaqueq; fidelis anima, Deus meus, misericordia mea.

Mal. 4.

Sapient. 3.

Matth. 13.

Psal. 136.

Psal. 41.

Psal. 83.

T I T V L V S P S A L M I L I X.

DE VS repulisti. In finem, pro his qui commutabuntur in inscriptione tituli ipsi David in doctrinā, cum succendit Mesopotamiam Syria & Syriam Sobal & conuertit Iob, & percussit Edom in valle Salinarum duodecim milia. Mortuo Saule postquam David obtinuit regnum, succendit Mesopotamiam, scilicet partem Syria & Syriam Sobal aliam partem Syria, & conuertit ad se Iob ab inimicum suum, & percussit Edom, id est Idumæum populum, quia erat populus ille de terra Idumæa, quæ sic uocata fuit ab Esau habitatore, qui uocatus fuit Edom propterea quia dilexit terrena. Per has autem uictorias intellexit David uictorias Christi, quas facturus erat in Iudæos & in gentes. Titulus sic est: *Iste psalmus habitus est pro his, id est ad honorem illorum, qui commutabuntur in finem, id est in Christum, uel in perseuerantiam*. Ostendit duas commutationes iusti: unam in hac uita, quæ fit de peccato ad iustitiam: secundam in alia uita, quæ est de mortalitate ad immortalitatem. Quæ commutatio fiet in inscriptione tituli suscepta per fidem, scilicet quia credunt Christum regem Iudæorum. In inscriptione dico facta ipsi David, id est, Christo, eundo in doctrinam, id est, in præcepta eius, subiiciendo se legi ipsius Christi, ut secundum

2. Reg. 8. &

10.

1. Paral. 18.

Gene. 25.

Iaco 2. eam legem operentur. Quia fides sine operibus mortua est. Commutabuntur dico, cum succendit, id est per hoc quod succendit igne Dei Mesopotamiam Syria, id est, Iudaeos, quos vocando eleuauit in altam dignitatem, qui prius erant sublimes, id est singulariter superbi de cognitione Dei: Mesopotamia enim alta uocatio, Syria uero sublimis interpretatur. Et idem Christus succendit Syriam Sobal, id est ipsos Iudaeos sublimes & superbos de uana uetustate, id est de carnalibus obseruantis legis. Sobal namque uana uetustas interpretatur. Et conuertit ab Idolatria ad fidem suam Ioab, id est inimicum, scilicet gentilem populum qui nullam cognitionem de Deo habebat. Et percussit, id est commouit de infidelitate ad fidem Edom, id est gentilem populum terrenis deditum, uel in peccatis sanguineum. Edom namque terrenus uel sanguineus interpretatur. Percussit terrenitatem gentium, quod iam terrena non querebant. Per hoc conuertit Ioab, id est gentilem populum: & ita percussit eos, ut essent in ualle Salinarum. In ualle fuerunt, id est in humilitate quae est mater uirtutum & condimentum omnium, sicut sal ciborum. Quia qui sine humilitate uirtutes congregat, puluerem in uentum portat. Percussit dico duodecim millia, id est omnes in quatuor mundi partibus fidem sanctae trinitatis confitentis. Per mille perfectio intelligitur. Materiam sunt ipsi commutandi Iudaei & gentiles ad fidem conuersi per Christi percussiones. Notus: In prima parte ostendit per multas rationes & per auctoritatem ipsius Dei esse commutandos de peccato ad iustitiam. In secunda quae incipit, Saluum fac dextera tua. Ostendit eos per eandem commutationem peruenire ad aliam commutationem, scilicet de mortalitate ad immortalitatem. Intentio est ut nemo contemnat istas percussiones, sed patienter ferant aduersa huius mundi, quia per eas habebunt ueranque commutationem. Vox ad fidem conuersorum per uictorias Christi. Et quia dicturi erant se commutandos, ostenditur prius unde commutetur, cum dicitur.

PSALMV S LIX.

Psal. 39. **D**EVS repulisti nos, à paradisi gaudiis, à contemplatione intimae uisionis. Et destruxisti nos. Corruptione passibilitatis & mortalitatis. Iratus es propter peccata nostra: sed propter bonitatem tuam misertus es nobis. Hinc alibi dicitur: Cum iratus fueris, misericordiae recordaberis. Magnus accessus ad Deum est cognitio infelicitatis suae. Valde utile est animae pensare unde cecidit, videre ubi iacet: plangere destructionem suam ex amissione iustitiae: atque in his iram formidare iudicis. Qui hoc facit, misericordiam domini consequetur. Iratus es (inquit) & misertus es nobis. Ac si dicat: Ad hoc irasceris, ut miserearis: irasceris in praesenti, ut miserearis in futuro. Ipsa ira tua misericordia est. Et exponit quomodo sit misertus, ita: Commouisti terram, id est terrenos vomere praedicationis: Et conturbasti eam ad poenitentiam. Et sicut cepisti domine, ita perfice. Sana contritiones eius, id est, remoue ab ea miseras quas sustinet, uel peccata, pro quibus cor contritum habet. Et dignum est ut sanes: quia commota est. Et gratiae tuae commouenti per liberum consensit arbitrium. Talibus quidem gradibus peccatrix anima Deo aspirante ad sanitatem incipit accedere. Prius commouetur à timore domini. Deinde conturbatur à dolore peccati. Timet ne pereat, dolet quia deliquit. Sic inter timorem & dolorem

dolorem constituta, dum conscientia accusat, culpa terret, incipit poenitere, atque auxietate dura cor contere & cruciare: & sic per contritionem redit ad sanitatem. Praedictum est nobis, Agite poenitentiam: appropinquauit enim regnum caelorum. Ecce unde commota & conturbata est terra. Audiuit peccatrix anima, forte non mouetur, non est digna sanari. Audiuit alia, mouetur, stimulatur, pectus tundit, lachrymas fundit. Sana domine contritiones eius, quia commota est. Sic percusso terreno, succensa uetustate, mutato in melius homine, iam dura & aspera subsequuntur: unde & subditur: Ostendisti populo tuo dura. Non solum per uisionem, sed etiam per experientiam, unde scriptum est: Omnes qui uolunt pie uiuere in Christo, persecutionem patiuntur. Per multas enim tribulationes nos oportet intrare in regnum Dei. Hinc dominus discipulis ait: In mundo pressuram habebitis. Potasti nos uino compunctionis. Delectari nos fecisti poculo passionis. Quomodo enim delectat uinum, cum potatur: & hoc ipsum quod pungit, ad delectationem potantis est: sic passionis & tribulationes huius seculi ad delectationem sunt seruorum Dei. Hinc est quod Paulus gloriatur in tribulationibus. Et Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilij, quia digni sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Hunc potum propinabat dominus filiis Zebedaei, cum dicebat: Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Vel potasti nos uino compunctionis, id est suauitate lachrymarum & poenitentiae & confessionis. Primus ergo labor est, ut displiceat homo sibi, ut peccata expugnet, ut mutetur in melius. Secundus labor est, pro eo quod mutatus est, ferre tribulationes & tentationes huius seculi, atque inter illas perseuerare usque in finem. Et notandum quod non ait, Peremptionis: sed compunctionis. Iste enim passionis potus non perdens est, sed medicina urens. Unde adhuc subiungitur: Dedisti metuentibus te significationem. Ista uidelicet tribulationes indicantes & significantes, Ut fugiant à facie arcus. Id est à praesentia futuri & minantis iudicij: Per tribulationes (inquit) temporales significasti tuis fugere ab ira ignis sempiterni. Hinc unusquisque consideret quae peccantes postmodum maneat, si etiam iustos tam valida hic flagella castigant. Hinc Petrus ait: Tempus est ut incipiat iudicium de domo domini. Et si iustus uix saluabitur, impius & peccator ubi parebunt? Quomodo feriet eos quibus irascitur, si sic affligi patitur eos in quibus latatur? Rectè autem per arcum designatur iudicium: quia sicut ex arcu mittitur sagitta, sic ex iudicio producet sententia. Neruus retrò tenditur, quando illa mittenda est: & quanto plus est eius extensio retrorsum, tanto maiore impetu illa uolat in priora. Sic quanto magis differtur iudicium, tanto maiori impetu uenturum est. Ergo de temporalibus domino gratias agamus, quia dedit plebi suae significationem ut fugiant à facie arcus. Quare hoc? Ut liberentur dilecti tui. Ad hoc quippe significationes praesentium malorum datur, ut ab aeternis malis domini dilectores liberentur. Et ut hoc fiat suppliciter exorat, dicens: Saluum fac dextera tua. Id est, in potioribus bonis tuis, in beatitudine perpetua.

Ita

*Matth. 4.**Luc. 18.**2. Timo. 3.**Acto. 14.**Ioan. 16.**Roma. 5.**2. Cor. 12.**Acto. 5.**Matth. 20.**1. Per. 4.**Ibidem.*

Ita saluum me fac, vt ad dexteram stem. Non salutem temporalem peto, de hac fiat voluntas tua: æterna peto, quæ tu præcipis petere. *Et ideo Exaudi me.* Hinc conuertit se ad auditores suos, vt confirmet eos, dicens: *Deus locutus est in sancto suo.* Ex hoc scio quia saluabit dextera sua: quoniã Deus pater locutus est in sancto, id est in filio suo. Hinc Paulus ait: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Et iterum, Nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, in quo promissit hanc saluationem. De qua locutione ego fidelis populus *Latabor & partibor Sichimam, & conuallem tabernaculorum metibor.* Cùm Iacob rediret à Laban socero suo cum omnibus suis, abscondit Rachel idola in Sichima, quæ habuerat pater eius in Syria. Tabernacula autem fecit ibi Iacob propter oues suas & armenta, & appellauit locum illum Tabernacula. Et hæc metibor, inquit Ecclesia. Quid per Sichimam vbi idola absconduntur, nisi gentiles idolorum cultores designantur? Partibor Sichimam, id est, diuidam gentes. Non enim omnium est fides. Alij credunt, alij non credunt. Et eorum etiam qui credunt, alij bene viuunt, alij malè. Iptorum quoque bene viventium, alij sunt perseveraturi, alij caturi & perituri. Non ergo timeant qui credunt inter eos qui non credunt, & hi qui rectè viuunt inter eos qui prauis moribus resistunt. Diuiduntur nunc fide & moribus, diuidentur in iudicio oues ad dexteram, hædi ad sinistram. Sichima autem interpretatur humerus. Secundum nominis interpretationem diuiduntur humeri, vt alios grauent peccata sua, alij tollant sarcinam Christi: sicut ipse nos admonet, dicens: Tollite iugum meum super vos. Iugum enim meum suauis est & onus meum leue. Conuallem, inquit, tabernaculorum metibor. Forte propter oues Iacob, conuallem tabernaculorum intelligitur gens Iudæorum: & ipsa diuiditur. Nam transierunt inde qui crediderunt, foris reliquæ remanserunt. Hæc iam diuisio demonstratur, cùm subintertur: *Meus est Galaad, meus est Manasses, Ephraim fortitudo capitis mei.* Galaad interpretatur aceruus testimonij. Sic vocatus est cumulus lapidum, quem fecerunt Iacob & Laban, in signum fœderis. Per aceruum testimonij multitudo martyrum designatur. Martyres enim Græcè, testes dicti sunt Latine. Meus est Galaad, meus est aceruus testimonij, meus est numerus martyrum, id est meæ societatis est. Manasses interpretatur obliuio. Qui obliuiscitur prioris status, ille similiter est meus. Vnde alibi dicitur: Obluiscere populum tuum & domum patris tui, & sic concupiscet rex decorem tuum. Ephraim dicitur fructificatio. Hi qui bonos fructus faciunt, capitis, id est Christi sunt fortitudo. Per hos maximè intelliguntur doctores Ecclesiæ, qui in seipsis fructus faciunt & in alijs. Talibus dicit dominus in Euangelio: Ego vos elegi, vt eatis, & fructum afferatis. Isti sunt fortitudo capitis, quia Christi membra infirmiora sustentant. *Iuda Rex meus.* Peccata sua confitentes & seipsos spiritualiter regentes, mei sunt. Iudas enim interpretatur confessio. Vel Christus, qui est de tribu Iuda, nasciturus erit Rex meus. *Moab olla spei mea.* Moab interpretatur ex patre: quia fuit ex patre & filia. Per Moab intelligitur gentium populus natus de pec

de peccato, de filiabus Loth, quæ cum patre inebriato concubuerunt, male vtentes patre. In hoc illi significantur qui malè vtuntur lege. Porro Apostolus dicit: Bona est lex, si quis ea legitimè vtatur. Illæ autem filia Loth non legitimè vsæ sunt patre. Quomodo autem nascuntur opera bona, cùm quisque bene lege vtitur: sic nascuntur opera mala, cùm quisque malè lege vtitur. Proinde illæ malè vtentes patre, id est malè vtentes lege generauerunt Moabitas, per quos significantur opera mala. Inde tribulatio Ecclesiæ, inde olla bulliens. De hac olla dicitur alibi per prophetam, Olla succensa in Aquilone. Vnde nisi à parte diaboli qui dixit: Ponam sedem meam ad Aquilonem? Tribulationes ergo maximè non oriuntur aduersus Ecclesiam, nisi ab eis qui male lege vtuntur. Sicut autem in olla cibi, sic in tribulatione excocti sunt sancti. Apertè verò dicitur, Olla spei meæ: quia spes sanctorum venit à tribulatione, Apostolo testante, qui ait: Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem. Ardet olla iniquitatis, sed maior est flamma charitatis. Noli timere Moabitas, id est, opera mala eorum qui lege malè vtuntur. Iuda rex tuus præcessit. Nescis Iudæos malè vtentes lege, regem tuum occidisse? Ergo spera, & quæ rex tuus præcessit, sequere. In hac olla tribulationum constituta, quæ tam spem habeat Ecclesia audiamus. Sequitur enim: *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Idumæa interpretatur terrena, siue sanguinea. Per calceamentum intelligitur Euangelium. Vnde scriptum est: Quam speciosi pedes eorum qui annuntiant pacem, qui annuntiant bona. Et calceati pedes in præparatione Euangelij pacis. Bulliat olla quantum potest, sæuiat mundus quantum valet. Ego in Idumæam, id est, vsque ad terrenos & sanguineos extendam calceamentum meum, id est prædicationem meam. Vel vsque in Idumæam calceamentum extenditur, cùm Dei humanitas gentibus prædicatur. Carne enim nostra mortali calceata (vt ita dicam) diuinitas fuit. *Mihi alienigena subditi sunt.* Etiam illi qui non pertinent ad genus meum, ad hæreditatem meam, mihi sunt subditi. Multi enim veniunt ad fidem, qui non pertingunt ad hæreditatem, sicut scriptum est: Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Quam multi adorant Christum, qui non sunt regnaturi cum Christo. Et ne hoc videretur viribus suis attribuere, commendat gratiam Dei deducentem se cùm subiungit: *Quis deducet me in ciuitatem munitam sanctis,* id est, caelestem Ierusalem? *Quis deducet me vsque in Idumæam?* id est, in gentilitatem, vt multi ex gentibus mihi incorporentur, & societate membrorum ciuitas amplietur. Vel ciuitas hæc Iudæa intelligitur, quæ munita rectè dicitur, videlicet patriarchis & prophetis, legibus quoque, variisque institutionibus. Ad hanc primùm missus est Christus. Ad hanc primùm ducti sunt Apostoli. Ad hanc primùm prædicatum est Euangelium. Dicat ergo primitiua Ecclesia: dicat vox apostolica: *Quis deducet me in ciuitatem munitam,* id est, in Iudæam? *Quis deducet me vsq; in Idumæam,* id est, in vniuersam gentilitatem. *Nonne tu Deus qui repulisti nos?* Tu ipse qui repulisti, deduces. Tu ipse, qui iratus es, misereberis. Nō enim continebis in ira tua misericordias tuas. *Et non egredieris Deus in virtutibus nostris?* Seruiturus est mundus, futurus est aceruus testimonij effuso martyrum sanguine

Gene. 19.

1. Tim. 1.

Iere. 1.

Isa. 14.

Roma. 5.

Isa. 52.

Roma. 10.

Eph. 6.

Matth. 20.

Gal. 4.

Luc. 10.

Psal. 41. guine, dicturi sunt pagani: Vbi est Deus eorum? & tunc nō egredieris Deus in virtutibus nostris, non contra eos apparebis. Non ostendes potentiam tuam qualem ostēdisti in Moyse, in Iesu Naue, in Dauid, & in cæteris, quādo eorum fortitudini cesserunt gentes, & strage facta, in terram quam promisisti, plebem tuam induxisti. Certè quando cathenati martyres ducebantur, quando ferro occidebantur, igne cremabantur, diuersis tormentis cruciabantur, contemnebantur tanquam deserti, tanquam sine adiutore. Nunquid ergo quia non egrediebatur Deus in virtutibus eorum, ideo deserebat? Nonne magis non egrediendo, in virtutibus eorum deduxit Ecclesiam vsque in Idumæam? Si bellare enim vellet Ecclesia & gladio vti, videretur pro vita pugnare præsentis. Quia ergo contemnebat vitam præsentem, ideo factus est aceruus testimonij de vita futura. Tu ergo Deus qui non egredieris in virtutibus nostris, quia non dabis temporale auxilium, da sempiternum. Et hoc est quod subdit: *Da nobis auxilium sempiternum de tribulatione*, id est propter tribulationem, quam hīc sustinemus. Et ideo non petimus hanc salutem humanam, quia vana est & transitoria. Vnde protinus adiungit: *Et vana salus hominis*. Hinc Salomon ait: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Et iterum dixit: Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus. Meritò ergo subdit Ecclesia: *In Deo faciemus virtutem*. Non in gladio, non in equis, non in loriceis, non in potentatu exercitus: *Et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos*. Factum est hoc: conculcati sunt martyres patiēdo, perseverando, in Deo fecerūt virtutem. Et ipse fecit quod sequitur. Ad nihilum deduxit tribulantes nos. Vbi sunt persecutores? Vbi sunt qui fremebant, trahebant, occidebant? Quis eorum vel reminiscitur? Ad nihilata est sæuitia persecutorum: floret virtus & gloria sanctorum. Faciemus & nos virtutem in domino, vt ab omni tribulatione & tentatione liberi esse mereamur. Nam si Deus pro nobis, quis contra nos? Sit ergo in Deo fortitudo nostra: & nulla nocere præualebunt aduersa.

Eccles. 1.

Ibidem.

Roma. 8.

TITVLVS PSALMI LX.

SEQVENS Psalmus intitulatur hoc modo: *In finem, in hymnis Dauid.* Psalmus iste dirigit nos in finem, habitus in hymnis Dauid, id est in laudibus Christi. Ostenditur in hoc psalmo totus populus à cunctis partibus mundi per omnes successiones, ad Christū clamare. Ostenditur etiam quòd per Christum ad eandem hereditatem, quam ipse Christus habet, populus ille perueniet. Materia est fidelis populus, qui hīc loquitur. Et ostendit se in prima parte psalmi ad Christum, vt dictum est, clamare. In secunda parte, quæ incipit: *Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam.* Ostenditur Christi hereditatem possidere. Intentio est exhortari nos, vt suo exemplo orantes, & per adeptionem præsentium bonorum futura bona sperantes, perseueremus in laudibus vsque in finem. Et hæc intentio perpenditur in fine psalmi, vbi dicitur: *Sic psalmum dicam nomini tuo, &c.* Proponit autem nobis orandi formam, sic dicens.

Mat. 24

PSAL

PSALMVS LX.

EXAUDI Deus deprecationem meam: intende orationi meæ. Orationi nostræ intendit Deus, cum gratanter suscipit quod oramus. Nonnullos aliquando exaudit iratus, non tam ad salutē, quàm ad damnationem. Et ideo postquam dixit, Exaudi, protinus addidit, Intende: vt videlicet gratanter & vtiliter dignetur exaudire. Potest etiam ita distingui: Exaudi deprecationem meam, in cauendis malis: Intende orationi meæ, in appetendis bonis. Quidam enim hanc distinctionem faciunt inter deprecationem & orationem, vt hoc sit deprecari Deum, quando vt auertat à nobis mala quærimus. Et hoc sit orare, quando vt bona tribuat, postulamus. Et quia Ecclesia toto orbe terrarum diffusa est, vndique se clamare insinuat, cum subiungit: *A finibus terræ ad te clamauit*. Clamor noster ad Deum, est nostrum desiderium. Quantò quisque plus desiderat, tantò plus clamat. Et subdit causam quare. *Dum anxietur cor meum*. Ostendit se esse per omnes gentes in magna gloria, nec tamen sine magna tentatione. Omnes enim qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur. Proiectus autem noster per tentationem fit, nec sibi quisquam, nisi tentetur, innotescit: nec potest coronari, nisi vicerit: nec potest vincere, nisi certauerit: nec potest certare, nisi inimicum & tentationem habuerit. Anxiatur ergo iste à finibus terræ clamans, sed non relinquitur: quia subditur: *In petra exaltasti me*. Petra autem erat Christus. Hinc ipsa Veritas ait: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. In petra exaltatur, qui in fide domini nostri Iesu Christi fundatus est. Et bene ait, Exaltasti: quia iustus qui ex fide uiuit, cuncta temporalia transcendit: atque in cælis conuersatio eius est. Et quia ille qui donat fidem, promouet suos ad operationem & spem, atque in eo ipso confirmat, ne tentatus quisque deficiat, rectè subditur: *Deduxisti me*, de virtute in virtutem, de bono in melius: *quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici*. Ille si nostra spes factus non fuisset, non nos deduceret. Deducit tanquam dux, & in se ducit tanquam via, & ad se perducit tanquam patria. Vnde est spes nostra: Quia passus est, quia surrexit. Quid enim nos dicimus, quando hæc legimus? Non perdit nos Deus, pro quibus misit filium suum tentari, crucifigi, mori, resurgere. Non nos despicit Deus, propter quos & filio suo non pepercit: sed pro nobis tradidit illum. Sic ergo factus est spes nostra. In illo vides laborem tuum & mercedem tuam. Laborem in passione, mercedem in resurrectione. Habemus duas vitas, vnam in qua sumus, alteram quam speramus. In qua sumus, nobis nota est. Quam speramus, ignota nobis est. Tolerā in qua es, & habebis quam nondum habes. Quomodo toleras? Non vincaris à tentatore laboribus vllis, Tentationibus suis, morte sua demonstrauit tibi vitam in qua es: resurrectione sua demonstrauit vitam in qua eris. Ideo factus est dux tuus. Ipse creator tuus passus est, ne tu timeas pati. Mortuus est, ne tu timeas mori. Resurrexit in tua carne, vt & tu speres resurgere. Spe enim salui facti sumus. Ipse etiā qui est spes nostra, factus est nobis turris fortitudinis à facie, id est à præsentia inimici. Talis munitio est

2. Timo. 3.

2. Timo. 2.

1. Cor. 10. Matth. 16.

Roma. 1. Philip. 3.

Ioan. 14. Eph. 2. Luc. 24.

Ioan. 3. & 6. Roma. 8.

Ioan. 13.

1. Thess. 4. Roma. 8. Ephe. 2.

A

nobis Deus, in qua & ab inimico securi esse possimus, & in ipsum iaculari inimicum. Ante te est Christus. Recordare Christum, & intra in turrim. Quicquid pateris, cogita quia ille prior passus est: & cogita quo fine passus est, scilicet ut moreretur & resurgeret. Talem finem spera, qualis in illo præcessit: & intrasti in turrim, non consentiendo inimico. Si enim consenseris inimico, ad te peruenit oppugnatis iaculum. Tu potius in illum iaculare tela, quibus feriat & vincatur. Quæ sunt ista tela? Verba Dei, fides tua, spes tua, opera bona. Nunc dico sic, esto in ista turri ut vaces ibi, & sufficiat tibi, quia hostis tela ad te non perueniunt. Age ibi aliquid non cessent manus. Opera tua bona, gladij sunt interficientes inimicum. Tali ergo munitione confortatus, perseverare se promittit, cum subiungit: *Inhabitabo in tabernaculo tuo in secula.* Quia hinc erit Ecclesia usque in finem seculi Deo militatura, in concordia permanebo, in unitate fidei pugnabo usque in finem. Non enim qui ceperit, sed qui perseverauerit usque in finem, hic saluus erit. Sed unde perseverabis? Quæ sunt vires tuæ inter tot scandala, inter tantas pugnas? Sequitur & dicit: *Protegar in velamento alarum tuarum.* Id est in protectione virtutum. Unde beata Virgini ab angelo dicitur: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ecce quare securi sumus inter tantas tentationes, donec veniat finis seculi, & suscipiant nos secula æterna: quia protegimur in velamento alarum ipsius. Magnus est ætus vitiorum, sed magna est umbra sub alis Dei. Et ideo certus sum de protectione, *Quoniam tu Deus exaudisti orationem meam,* de percipiendis bonis. *Dedisti hereditatem timenibus nomen tuum.* Beneficia autem collata, argumentum sunt futurorum. Admonemur hinc non cessare orando, quandiu tempus est tentationum. Orate (inquit dominus) ut non intretis in tentationem. Oratio frequens diaboli iacula submovet. Hæc prima est virtus aduersus tentationum incursum. Nihil utilius potest facere seruus Dei in hoc seculo, quam orare Deum. Oratio serenat cor, abstrahit à terrenis, mundat à vitiis, subleuat ad cælestia, reddit capacius & dignius ad accipienda bona spiritualia. Perseueremus ergo in oratione & timore nominis Dei, quatinus cælestem promereri possimus hereditatem. Deinde exponit quam hereditatem daturus est Deus, dicens: *Dies super dies regis adicies: annos eius usque in diem generationis & generationis.* Tu adicies dies æternos super temporales regis nostri Christi, ut non solū diebus istis transeuntibus regnet Christus in Ecclesia sua, sed regnent cum illo sancti in diebus illis, qui non habent finem. Æternitas Dei & dies & anni nominatur: improprie tamen. Unde in alio psalmo dicitur: *Et anni tui non deficient.* Quomodo anni, sic dies, sic vnus dies. Quicquid vis dicas, de æternitate minus dicis. Sed ideo aliqua necesse est dicas, ut sit unde cogites, quod non potest dici. Et quia posset adicere duos vel tres dies, vel annos: adicies, inquit, usque in diem generationis præsentis, & generationis futuræ: vel generationis carneæ, & spiritualis: temporalis, & æternæ. Et ipse rex cum generatione sua *Permanet in æternum in conspectu Dei.* Hæc est autem merces sanctorum, gloria visionis Dei. Hinc Apostolus ait: *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Et quia tanta est Dei remuneratio, & tan

Math. 24.

Luc 1.

Math. 26.

Luc. 22.

Dan. 7.

Luc. 1.

Psal. 101.

1. Ioan. 3.

& tanta est beatitudo: *Misericordiam & Veritatem eius quis requireret?* Misericordia dicitur, quia non merita nostra attendit Deus, sed bonitatem suam: ut peccata nostra nobis dimitteret, & vitam æternam promitteret. Veritas autem quia non fallit reddere quod promissit. Agnoscamus hinc eam & nos, & faciamus: ut quomodo nobis exhibuit misericordiam, dimittendo peccata, veritatem dando promissa: sic & nos faciamus hinc misericordiam circa egen-tes, circa infirmos, circa etiam inimicos nostros: veritatem verò non peccando, nec adiuciendo peccatum super peccatum. Ideo autem sub interrogatio- ne quasi invitando dicit, *Quis requireret?* Quia quavis hoc ineffabile bonum sit, pauci sunt tamen qui requirant, aut requirentes perseverent. Tanta est humana miseria, in tantum abundavit iniquitas, ut in inquirenda vanitate & mendacio sint multi, in requirenda veritate sint pauci. Nos autem de pau- cis his esse studeamus, ut cum electis dicere possimus quod subditur: *Sic psalmum dicam nomini tuo in seculum seculi: ut reddam vota mea de die in diem.* Sub hac spe positus, quia spero te daturum mihi hereditatem in futuro, & mansurum in æternum in conspectu tuo. Sic psalmum dicam nomini tuo, id est, sic bene operabor ad honorem nominis tui, tendens in seculum subsequen- tium huius seculi, ut reddam vota mea, id est me ipsum quem deuoui, de die in diem, id est continuè: vel de die in diem, id est de virtute in virtutem. Vel sic psalmum dicam, ut vota reddam, id est, sic psallam voce, ut vox oris cum animi concordet deuotione. Psallentium enim Deo vox concordare debet cum corde, ut impleatur illud Apostoli: psallam spiritu, psallam & mente. Non enim placet Deo laus illorum, de quibus dicitur: *Hic populus labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Tunc est autem Deo acceptabilis nostra psalmodia, quando sic ore psallimus, ut corde accendamus: quando in laude Dei simul conueniunt lingua, vita, & conscientia. Talem laudem, talia vota studeamus domino Deo soluere in seculum seculi, de die in diem.

Math. 5.
Roma. 12.

Mat. 24.

1. Corin. 14
Ila. 26.
Math. 15.

TITVLVS PSALMI LXI.

N finē, pro Idithum, psalmus David. Psalmus conuenit David & ceteris iustis, habitus pro Idithum, id est pro transiitibus: dirigēs in finē, id est in Christi. Materiam sunt transientes, tales qui nulla tribulatione vel persuasionē possunt impediri, quin terrenis dimissis ad sola cælestia tendant. In prima parte ostendit se non posse impediri, quin saltu suo perficiat: increpando malos, qui volunt eum impedire, siue persuasionibus, siue tribulationibus. In secunda, quæ incipit: *Verū tamen Deo* admonet se ipsum & alios, ut Deo subiecti sint. In tertia, quæ incipit: *Verū tamen Deo* increpat malos de nequitia sua, & dicit non esse confidendum in terrenis. Intentio est nos admonere, ut nulla tribulatione impediamur, quin à terrenis ad cælestia transeamus. Unde nunc voce cuiuslibet perfecti contra inuidos dicitur.

1. Para. 25.

PSALMVS LXI.

NONE Deo subiecta erit anima mea: Nouerat enim quoniam qui se exaltat humiliabitur: & trepidus, ne transiliendo superbiret, non elatus ex his quæ infra essent: sed humilis ex Deo qui supra esset, tanquam minantibus ei ruinam inuidis, qui eum transiluisse do-

Mat. 23.
Luc. 18.

luerant, respondit: Nonne Deo erit anima subiecta, id est obediens & mandata eius obseruans? Anima dico mea, id est meae potestatis: quia licet corpus vestrae potestatis sit, tamen anima nunquam nisi mea erit. Quantumcunque accedam, quantumcunque ascendam, quantumcunque transiliam, sub Deo ero, non contra Deum. Securus ero transcendendo caetera, quando ille me sub se tenet, qui est super omnia. Et iustum est, ut ei subiiciar. *Ab ipso enim, id est à Deo patre est salutare meum, id est mea saluatio. Et hoc probatur: Nam & ipse Deus meus, qui me creauit & salutaris meus, qui me saluauit. Susceptor meus, qui me de morte ad vitam, de poena ad gloriam suscepit. Ideoque Non mouebo amplius. Licet aliquando motus fuerim, nunc susceptus & sanatus sum ab actore & redemptore meo. Iam ulterius non mouebo. Et notandum quod inter Salutaris & Salutare est differentia. Nomine enim salutaris Christus accipitur. Salutare autem quia per eum saluatio facta intelligitur. Et quando quidem tantum habeo saluatorem à quo amplius non mouebo: igitur ô stulti, Quousque irruitis, id est quando irrationabiliter impetum facitis in hominem? exteriorem. Quia licet corpus possitis affligere, usque ad animam pertingere non potestis. Nobis quidem nullum est detrimentum. Sed vos in eo quod agitis, vestrum cogitate interitum. Quia Interficitis uniuersi uos. Quicumque bonos à suo proposito nitimini remouere, siue dissuadendo, siue persequendo, vos ipsos in hoc intus occiditis. Animas vestras damnatis. irruitis autem tanquam parieti inclinato. Id est, sicut inclinatus paries pronus est ad ruinam, sic nos ad cadendum aestimatis faciles, tanquam omni destituamur auxilio. Et maceria depulsa? Id est sicut maceria sine cemento est fragilis, & si depellatur, facile ruit: sic nos putatis sine colligatione esse, & pronos ad ruinam: sed non est ita. Verumtamen non ideo cessant mali, sed Pretium meum cogitauerunt repellere à me. Id est Deum meum & gloriam, quam spero futuram, meritumque laboris auferre mihi. Ideo Cucurri in siti. Non ut piger & fastidiosus, sed tanquam sitiens, & pro iustitia mori desiderans. Ad passionem enim alacer fui. Beati enim qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Inter hunc cursum & sitim Ore suo benedicebant. Ut adulationis me verbis deciperent. Et corde suo maledicebant. Iniquitatem & mortem machinantes. Hoc faciunt iniqui & dolosi, quando aperte bonos non audent persequi. Ore doloso loquuntur bonum, sed intus in corde latet venenum. Sed quauis hoc faciant, hæc cogitent, quamuis impellant, insidiatur, persequantur, calumniantur: ego tamen fixus in Deo permanebo. Ideo animam suam inter tot pericula exhortans subdit: Verumtamen Deo subiecta esto anima mea. Sicut cepisti, recognosce te ab eo accepisse bona quæ habes. Humilia te illi quantum potes. Et re vera ita facies: Quoniam ab ipso patientia mea. Vel quia ipse Christus exemplum factus est patientiæ, sicut dicit Apostolus: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius. Vel quia ipse fortem & patientem facit in tribulationibus. Nemo enim tanta vel aperta bella, vel occultas insidias inter apertos hostes & falsos fratres tolerare posset, nisi omnipotens Deus vires patiendi tribueret. Iterum reddit aliam causam, quare anima Deo debeat esse subiecta, dicens*

Roma. 11.

Matt. 10.

Matt. 5.

1. Pet. 2.

cens: Quia ipse Deus meus, qui vocat me. Et saluator meus, qui redemit me. Adiuutor meus. Ad bene operandum: & ideo Non emigrabo. Versum hunc iam superius præmisit. Sed quia ibi in hoc auditores suos monuit, nunc eundem ad sui ipsius exhortationem repetiit. Est autem utile consilium, in omnibus Deum nostrum saluatorem atque adiutorem reminisci: quatinus ab eo nullis tentationibus valeamus emigrare. Vnde adhuc subdit: In Deo salutare meum. Id est per Deum habeo saluationem. Tota namque salus iustorum ad eum referenda est, qui iustificat impium. Et gloria mea: ut (secundum Apostolum) qui gloriatur, in domino gloriatur. Vel quia per ipsum gloria æternæ vitæ tribuitur, Interim nunc inter tentationes & scandala, inter apertas oppugnationes & subdolas locutiones, Deus auxilij mei. Dat enim auxilium certantibus. Et spes mea in Deo est. Spes quando nondum est quod promissum est, & creditur quod non videtur. Cum autem venerit, erit saluatio & glorificatio. Non tamen dum illa differuntur, deserimur. Deus enim auxilij mei, & spes mea in Deo est. Iam caeteros exemplo suo exhortatur, tanquam currens in siti, desiderans omnes saluos fieri. Iustum est enim, ut qui bene viuendo ad Deum currunt, secum ad eum trahere festinent quos possunt. Ait ergo: Sperate in eo omnis congregatio populi. Omnes qui congregati estis in vnitatem fidei. Et ut dignè in illo possitis sperare, Effundite coram illo corda vestra. Id est, euacuate ab omni sorde, ut sint coram illo, id est in bene placito ipsius: quia qui non habet cor vacuum à malo, si speret, non est spes, sed præsumptio. Nolite ergo corda vestra retinere intra corda vestra: coram illo effundite plangendo, confitendo, deprecando. Quia Deus adiuutor non ster in æternum. Non est talis adiuutor Deus, ut homo. Adiuuant enim homines temporaliter. Adiuuat Deus etiam ad æternitatem præstandam. Deus (inquam) adiuutor noster in æternum. Verumtamen vani filij hominum. Hæc non attendunt, sed sunt vani, id est dediti vanitatibus. Filios dicit hominum imitatores carnaliter viuentium. Sunt etiam mendaces filij hominum, in statèris. Id est in libra iustitiæ, in boni mali que deliberatione, dum bono malum præponderant. Dicitur hoc à simili eorum qui in statèris, in quibus videtur esse iustitia, emptores decipiunt. Vnde & subdit: Ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. hoc quod ait, In idipsum, significat quia etsi sunt diuersæ fraudes, diuersi errores, diuersa dogmata: omnia tendunt ad vnam vanitatem, ad vnum regnum destructionis & perditionis. Ab huiusmodi vanitate ergo nititur eos dehortari cum subiungit: Nolite sperare in iniquitate. Et hanc iniquitatem per partes exequitur, cum subinfertur: Et rapinas nolite concupiscere. Dicitur est pauperibus hoc, forassis aliquid de necessitate rapturis. Audiant & diuites. Diuitia si affluant, si exundent tanquam de fonte currant. Nolite cor apponere. Ne in diuitiis confidatis. Ne præsumatis: ne speretis. Ne dicatur: Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum: sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua. Beatus autem cuius est dominus Deus spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas. Ecce ille non habet, iste habet. Ille non quærat rapere quod non habet. Iste in eo quod habet, non apponat cor: non ibi figat, sed magis timeat. Præ-

Roma. 4.
2. Cor. 10.Math. 24
& 25.

Psal. 51.

Psal. 38.

1. Timo. 6. cipe (inquit Paulus) diuitibus huius seculi, non superbè sapere, nec sperare in incerto diuitiarum. Ergo non fraudem, non rapinam concupiscatis. Non in his quæ habetis, spem ponatis. Et ut magis eos à vanitate dissuadeat, proponit duo: quorum alterum deterret, alterum demulcet, dicens: *Semel locutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi domine misericordia: quia tu reddes unicuique iuxta opera sua.* Si vocem hominis contempnis, attende quia locutus est ipse Deus: & hoc semel, id est incōmutabiliter: vel semel, id est in vnicō verbo suo. Habet enim Deus pater vnum Verbum, vnigenitum Deum. In illo sunt omnia: quia per verbum facta sunt omnia. Ibi omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt. Vnum verbum habet: semel locutus est Deus. Duo hæc quæ vobis dicturus sum, ibi audiui. Non ex me loquor. Audiuit fortè alia multa, sed non opus est dici nobis. Ait enim ipse dominus: *Ioan. 16.* Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Transiliendo vniuersam creaturam, peruenit ad verbum vnigenitum Dei, quo reuelante duo hæc valde nobis necessaria audiuit, quia potestas Dei est. Omnis enim potestas à Deo: & tibi domine misericordia. His duobus continentur propè omnes scripturæ. Propter hæc duo Patriarchæ, propheta, lex, dominus noster Iesus Christus, Apostoli. Propter hæc annūtiatio omnis, & celebratio verbi in Ecclesia. Potestatem eius timete: Misericordiam eius amate. Nec sic de misericordia eius præsumatis, vt potestatem contempnatis. Nec sic potestatem timeatis, vt de misericordia desperetis. Ad eius potestatem pertinet, malos pro prauo opere punire. Ad eius misericordiam pertinet, iustos pro bono opere remunerare. Ideo ait, *Quia tu reddes unicuique iuxta opera sua: bonis videlicet bona, & malis mala.* Ergo antequàm hoc fiat, studeamus declinare à malo, & facere bonum. Studeamus transire de hoc mundo ad Deum, de vitio ad virtutem. Hic est fructus huius psalmi, & intentio transilientis.

T I T V L V S P S A L M I L X I I .

2. Reg. 22. **I**N finem, psalmus David, cum esset in deserto Idumææ. David historialiter fugiens Saulem, venit in deserto Idumææ. Intellexitq; in hac figura Ecclesiam positam in deserto huius vitæ: de quo significato cætat in hoc psalmo. Psalmus iste conuenit David propheta cum omnibus iustis, cū ipsa Ecclesia in deserto est Idumææ, id est huius vitæ, ubi nihil est, nisi terrenitas. Materia est Ecclesia posita in deserto huius vitæ. In prima parte ostendit se admonitam per desertum huius vitæ, ad Deum omni desiderio festinare. In parte secunda (quæ incipit, Si memor fui tui) ostendit se habere securitatem in hoc deserto, per ipsum Deum. Intentio est, admonere vt solum Deum eligant sibi: vel docere quomodo conuersentur in medio nationis prauæ. Vox totius Ecclesie.

P S A L M V S L X I I .

DEVS Deus meus ad te de luce vigilo. O Deus omnium creatione, Deus meus secundum præcipuam & singularem dilectionem, vigilo, id est, diligenter studens & curiosus sum ad te promouendum, atque ad voluntates tuas exequendas. Et hoc de luce, id est, per puritatem bonæ conscientiæ. De hac vigilatione dictum est in

est in Euangelio: Beatus ille seruus, quem cum venerit dominus, inuenit vigilantem. Puram conscientiam vocat lucem. Sice contra conscientiam malam dicimus tenebras iuxta Apostolum. Fuistis aliquando tenebræ: nunc autem lux in domino. Vel vigilo ad te de luce, id est, ex quo habui cognitionem tui, quæ est causa meæ vigiliæ. Somnus animæ, est obliuisci Deum. Talem excitat Paulus dicens: Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Christus illuminat animas, & facit eas vigilare. Vita ergo nostra & mores nostri debent per Christum vigilare ad Deum. Huius autem vigiliæ causam ostendit, cum subiungit: *Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* Omnis qui sibi vult aliquid præstari in ardore desiderij, ipsum desiderium sitis animæ est. Sunt autem diuersa desideria in cordibus hominum: Alius sitit aurum, alius argentum, alius possessionem, alius hæreditatem, alius hoc, alius illud. Vix inuenitur qui sitiat Deum. Sed anima quæ sancta est, omnia quæ mundi huius sunt, tanquam amara respuit: atque ad illam ineffabilem dulcedinem, quæ in Deo est, totis desideriis inardescit. Inebriari desiderat ab vbertate domus Dei, vbi est fons vitæ, & origo sapientiæ. Et caro mea, inquit, sitiuit tibi, vt videlicet in ea resurrectione atque immortalitate tibi appareat, quam promissisti. Et hoc quàm multipliciter, id est, multò amplioribus causis, quàm anima: subiacet enim amplioribus miseriis. Nam spiritus promptus est, caro autem infirma. Et quamuis anima multas tentationes, multas perturbationes sentiat: tamen non ita deficit vt caro. Modò enim ex corruptione carnis, si non manducemus, deficimus, & esurimus. Si non bibamus, deficimus & sitimus. Si diu manducemus & bibamus, ipsa diurna refectio defectio est. Si diu dormiamus deficimus, & ideo vigilamus. Si diu vigilemus, deficimus: & ideo dormimus. Si diu stemus, fatigamur: & ideo sedemus. Si diu sedeamus, & ibi fatigamur: & ideo surgimus. Nullus ergo nostræ carnis status est. Modò de infantia transit ad pueritiam, de pueritia ad adolescentiam, de adolescentia ad iuuentutem, de iuuentute ad senectutem, de senectute ad senium, de senio ad mortem. Non stat ætas nostra, vbi que fatigatio, vbi que corruptio. Caro ita que quàm multipliciter fatigatur, tam multipliciter sitit à Deo infatigabilem incorruptionem. Vbi sitit? *In terra deserta, inuia & in aquosa.* Id est, in hoc seculo, quod est terra deserta, quantum in se est, ab omni bono non habens viam veritatis, nec refrigerium veræ salutis. Misertus est autem dominus nostri in hoc deserto. Veritas de terra orta est, & terra nostra dedit fructum suum. Factus est via dominus noster Iesus Christus. Dedit nobis aquam in deserto, prædicatores suos implens Spiritu sancto, vt fiat in eis fons aquæ salientis in vitam æternam. Hæc habemus hîc. Sed non sunt de deserto. Ideo proprietatem deserti prius commendauit psalmus, vt & tu cum audisses in quo malo esses, si quas habere hîc posses consolationes, fructus vel viam vel aquam, non tribueres deserto: sed illi qui te visitare dignatus est in deserto. Nisi primò quis sitiat in isto malo in quo est, nunquam peruenit ad bonum quod Deus est. *Sic in sancto apparui tibi, Id est, talem me*

*Math. 24.
Luc. 12.
Ephes. 5.*

Ibidem.

*Ioan. 1.
Hebr. 1.
Ioan. 1.
Colos. 2.*

Roma. 13.

*Math. 16.
1. Corin. 3.
Galat. 6.*

Psal. 35.

Math. 26.

*Psal. 84.
Ioan. 14.
Exod. 17.
Ioan. 4.
Acto. 2.*

parau, quem tu deberes respicere: per hoc scilicet, quod sunt in sancto desiderio siue proposito. *ut viderem virtutem tuam & gloriam tuam.* Id est, ut intelligerem filium tuum in quo est omnipotentiae virtus (quia per ipsum facta sunt omnia) & gloria diuinitatis. Hanc virtutem & gloriam modò vident per fidem, hi qui habent sanctificatum cor: postmodum visuri sunt per speciem. Adhuc reddit aliam causam, quare vigilauerit & sitierit dicens: *Quoniam melior est misericordia tua super vitas.* Multae sunt vitae humanae, sed Deus vnā vitam promittit. Et non illam dat nobis propter merita nostra, sed propter misericordiam suam. Alius sibi eligit vitam negociandi, alius foenerandi, alius rusticandi, alius militandi, alius illam, alius illam. Diuersae sunt vitae, sed melior est misericordia tua super vitas nostras. Melius est quod das correctis, quàm quod diligunt peruersi. Vnam vitam donas, quae praepōnatur omnibus nostris, quascunque in mundo eligere potuerimus. Vel aliter: Multae sunt sanctorum vitae in hoc seculo. Alius Deo seruit in coniugio, alius per continentiam, alius per communem vitam, alius per solitariam, alius per actiuam, alius per contemplatiuam: diuersi diuerso modo, secundum mensuram gratiae quae vnicuique data est à Deo. Quantumcunque quisque perfecte viuat, quàm sanctè & purè Deo seruiat: tamè ad caeleste regnum non perducitur, nisi diuina misericordia cum bonis operibus adiungatur. Dicatur ergo rectè: *Quoniam melior est misericordia tua super vitas. ideo Labia mea laudabunt te.* Id est, laudabilem te aliis praedicabo. De tanta enim pij domini misericordia ne ingrati simus, laudes & gratias quas possumus referre debemus. Vnde adhuc subiungit: *Benedicā te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas.* Quid est sic? Ut misericordiae tuae tribuam vitam meam, in qua te laudo, non meritis meis. Vt sic laudabunt te labia mea, ut etiam benedicam te in vita mea, id est, per totam vitam meam. Sic enim dignè Deum quisque laudat, quando cum labiis vita concordat. Manus autem leuare, est respectu supernae patriae bona opera exercere. In nomine (inquit) tuo, id est, ad honorem & gloriam nominis tui. Iuxta quod alibi dicitur: *Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Et ut labiis dignè laudare, & rectè viuendo ac bene operando Deum benedicere valeat: impinguari dono suae gratiae postulat, cum subiungit: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum.* Adeps proprie vocatur pinguedo illa, quae est interius circa vitalia. Significat charitatem Dei diffusam in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Pinguedo quae est in membris exterioribus, designat alacritatem animae ipsius, quae facit corpus alacriter bene operari. Nō enim placet Deo macra anima, sicut nec dicebatur placere in sacrificio veteri macra hoitia. Ideo autem positū est, scilicet, ut intelligamus hoc significatiuè dictum, videlicet non carnalem pinguedinē postulare, sed spiritualem. Non eam quae in carne est, sed quae in anima. Sicut adipe ergo & pinguedine anima repletur, quādo & charitas est in mēte, & foris affectus: atq; hilaritas spiritualis apparet in actione. Hilarè enim dator è diligit Deus. Vnde & labiis exultationis laudare se Deū perhibet, quia in domini seruitute, atque

atque in ipsius laude non tristitia, sed gaudium haberi debet. Hinc nos alibi Spiritus sanctus admonet in psalmo: *Seruite domino in laetitia.* Nec solū laus Dei debet in ore esse, sed etiam in meditatione & opere, vnde & subditur: *Si memor fui tui super stratum meum in matutinis meditabor in te.* Stratum suum quietè dicit. Saepe quando quieti sunt homines, per quietem dissoluantur & obliuiscuntur Deum: Haec sancta anima in quiete sua Deum reminiscitur. Vnde constat quia & in actionibus suis in Deo meditabitur. Si memor fui tui super stratum meum, id est, quando quietus fui, meditabor in te, id est, in operibus lucis. Digna enim debemus operari, tãquã in luce: quia nō sumus noctis ac tenebrarū, sed filij diei ac lucis. Hinc nos Apostolus admonet, ut in die honestè ambulemus. Et dominus in Euāgelio: *Luceat (inquit) lux vestra corā hominibus, ut videntes opera vestra bona, glorificent patrē vestrū qui in caelis est.* Cōmendat autē gratiā Dei, cum subiungit: *Quia fuisti adiutor meus.* Etenim nisi dominus adiuuet bona opera nostra, impleri à nobis non possunt. Ecce iā ostendit Ecclesia se esse securā in deserto, per adiutoriū gratiae Dei. Vnde exultans dicit: *Et in velamento alarū tuarū exultabo.* Hilaresco in bonis operibus: quia supra me est velamē alarū tuarū, id est, refrigeriū & protectio virtutū. Nec solū exultabo, sed iam affectu & desiderio *Adhaesit anima mea post te.* Non ita ut praecedat, veluti Petrus, cum dixit domino: *Propitius tibi esto, ne fiat istud.* Propterea repulsus audiuit: *Vadè retrò sathana.* Non enim sapias quae Dei sunt, sed quae sunt hominum, Sed ita adhaesit, ut sit post te, id est, ut te sequatur assidue, & obediat tibi. Et quia sic adhaesit, *Ne suscipit dextera tua.* Id est, virtus & gratia tua in magnā dignitatē à deiectione in qua eram propter peccatū, me sustulit: vel suscepit me gratia tua ad dexterā tuā collocandū. Aut potest hoc specialiter accipi de nostro capite, qui post resurrectionem & ascensionem ad dexteram patris collocatus est. In persona cuius, adhuc subditur: *Ipsi verò in vanum quaesierunt animā meā.* Iudaei quaesierunt perdere animam Christi, sed in vanum: quia non potuerūt implere quod voluerunt. Vnde haec poena praedicitur eis ventura, quae subinfertur. *Introibunt in inferiora terrae: tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.* Ducti enim sunt in captiuitatē vsq; ad inferiores terras, expugnati sunt ab hostibus, & traditi in potestatem pugnatorum: diuisi scilicet per partes à regibus & principibus secularibus, qui propter calliditatē & astutiā dicti sunt vulpes. Hinc est quod Herodem regem ipse dominus appellat vulpem. *Ite, dicite (inquit) vulpi illi.* Sed his ita dispersis, de rege nostro quid subiungat, audiamus. *Rex verò latabitur in Deo.* Ille qui à salute rex dicendus est, qui est rex regum & dominus dominantium, qui nos regit secundum bonos mores & virtutes, cuius regni non erit finis. Talis rex latabitur, in illa verò incommutabilitate quae est in Deo, scilicet in diuinitate paterna *Laudabuntur etiā omnes qui iurāt in eo.* Id est, laudabiles apparebūt per ipsum omnes, qui fidem Dei promittunt, & seruant: quia animas suas illi vouent, & reddunt. Magna quidem laus erit sanctis, quando ab ipso domino audient in iudicio: *Esuriui, & dedistis mihi manducare. Sitiui, & dedistis mihi bibere, & alia huiusmodi.* Et iterum: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis*

Ioan. 1.
Hebr. 1.
1. Corint. 13.

Rom. 12.

Psal. 113.

Rom. 5.

Genes. 4.

2. Corint. 9.

Psal. 99.

1. Thessa. 5.
Rom. 13.
Matth. 5.

Ioan. 15.

Matth. 16.

Marc. 16.
Ephes. 1.
Ioan. 11.

Matth. 13.

Apoc. 11
& 19.
Matth. 2.
Luc. 1.

Matth. 25.

vobis paratum est ab origine mundi. Rege itaque cum militibus suis in magno gaudio constituto, pars aduersa confundetur, de qua & subditur. *Quia obstructum est os loquentium iniqua.* Quanta iniqua locuti sunt Iudæi! Quanta mala dixerunt Pagani, qui propter idola Christianos sunt persecuti! Cùm putant quod possunt finire Christiani, creuerunt, & ipsi finiti sunt. Obstructum est os eorum. Iam non audent loqui aduersus Christum. Quod tamen in iudicio perfectius adimplebitur, quando regem nostrum regnare videbunt. Et Deum negare non poterunt, quando aspicient sanctos stare in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt: quando eos quos aliquando habuerunt in derisum, computari videbunt inter filios Dei. Tunc quippe iniquorum os obstructum erit, quando iam quid dicere valeat, non habebit. Studeamus ergo de luce vigilare ad Deum, atq; in hoc arido deserto sitire fontem vitæ. Sit in sancto desiderio cor nostrum. Laudent & benedicant Deum labia nostra, vita nostra, opera nostra. Sit pinguedo charitatis in corde, hilaritas in actione. Memores simus Dei vespere & manè. Sit gaudium nostrum in ipso. Adhæreat illi anima nostra toto desiderio: caueamus exemplum prauorum, qui pereunt: quatinus cum rege nostro Iesu Christo in caelesti regno gaudere & regnare possimus. Hæc est utilitas psalmi.

Sapient. 5.

Luc. 21.

Sapient. 5.

TITVLVS PSALMI LXIII.

TITVLVS psalmi sequentis est: In fine psalmus David. Iste psalmus conuenit David, id est, Christo, qui hic loquitur, dirigens in finem. Christus est materia, passus & glorificatus. Breuiter enim de passione sua tangit & glorificatione. In prima parte describit malitiam Iudæorum, & orat liberari ab eis. Et affirmat quod liberabitur. In secunda (qua incipit, Sagittæ paruulorum) ponit irrisionem stultitiæ eorum. Ostendit in hoc psalmo constantiam suam in passione: nos videlicet suo exemplo intendens instruere, qualiter inter inimicos nos debeamus habere, & qualiter orantes debemus in tribulationibus perseuerare. Hoc videlicet attendentes, quia quanto fuerit asperior & iniquior tribulatio nostra, tanto in futuro maiorem habebimus profectum, illi vero maiorem defectum. Orat autem hic Christus, ne cedat inimicis in passione, quamuis certissime se sciret nunquam deficere: sed hoc facit ad instructionem fidelium, ut si ipse qui prescius erat futuri, orare voluit: multo magis qui incerti sunt, sedule dent operam orationi. Sic itaque incipit.

P S A L M V S L X I I I.

XA V D I Deus orationem meam cum deprecor. Nunc te pater deprecor. Nunc exaudi orationem meam. Quod autem se exaudiri Christus postulat, hoc non secundum diuinitatem, verum secundum humanitatem intelligi debet. Ea enim ex parte qua homo erat infirmus atq; mortalis & passibilis erat. Hac igitur ex parte misericordiam petebat, qua misericordia indigebat. Quæ autem ista sit oratio in sequentibus declaratur. Ait enim: *A timore inimici eripe animam meam.* Hoc orat in psalmo seruus, quod in Euangelio præcipit dominus. Nolite (inquit) timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Oretur ergo, ut præster quod iubet. Nec orat ut non occidatur, sed ut occidentem non timeat, ne fortè timendo

Matth. 10.

mendo succumbat. Nec hoc ideo postulat dominus Christus, ut timore aliquo frangi valeat, sed ut infirmantibus membris orandi formam atq; in passione constantiam tribuat. Et quod de exauditione securus sit, ex verbis sequentibus ostendit. Ait enim: *Protexisti me à conuentu malignantium,* Id est, à collectione malè de me cogitantium, & etiam à multitudine operantiu iniquitatem. Id est, à multis qui illam singularem iniquitatem, videlicet crucifixionem in me operati sunt. Protectus est enim protegente se Deo, protegente carne suam ipso filio. Quid enim potuerunt facere inimici? Occiderunt corpus, animam autem occidere non potuerunt. Parum erat domino martyres suos horari verbo, nisi firmaret exemplo. Exaudi, inquit, & necesse est, ut exaudias. Quare? *Quia exaceruerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram: ut scilicet uter in oculis immaculatum.* Sicut gladius acuitur, ut magis incidat: ita ipsi acerrime excogitabant quid in eum peius dicere potuissent. Ipsum fuit acumen Iudæorum. Hoc pro magno quæsierunt, ut si occiderent, ut interfectores non apparerent. Ideo arcum intenderunt, id est, insidias parauerunt. Simul pugnauerunt & gladio & arcu. Gladio linguæ, arcu deceptionis. Gladio comminus pugnatur. Qui sagittam mittit, fallit, ut feriat. Et bene hunc arcum, hanc fraudem dicit rem amaram. Quid enim tam amarum, quam occidere Christum? Ad hoc scilicet intenderunt ut sagittent immaculatum, id est, interficiant innocentem. Et hoc in occultis, id est, latenter. Ad hoc quæsierunt quomodo à discipulo traderetur, à iudice Romano dānaretur, ab ipsis Romanis crucifigeretur. Hoc fuit acumen linguæ, hoc arcus, hoc sagittæ. Sic per alios sagittauerunt Christum. Sic gladio propriæ linguæ occiderunt. Vnde & subditur: *Subito sagittabunt eum, & non timebunt: firmauerunt sibi sermonem nequam.* Subito dicit, quasi ex improviso. Tria autem ex hoc versu commendantur ex peruersitate Iudæorum. Primo crudelitas operis, ubi ait, Sagittabunt eum. Secundo peruersitas metis, ubi dicit: Et non timebunt. Tertio pertinacia insanæ locutionis, ubi subdit: Firmauerunt sibi sermonem nequam. Quæ nobis verba insinuant, quia in omnibus, id est, in verbo, opere, cogitatione corrupti erant. O cor durum & impœnitens! Traditus est ille iudici. Trepidat iudex, & non trepidant qui iudici tradiderunt. Cōtremiscit potestas, & non cōtremiscit immanitas. Vult ille lauare manus, & illi inquinant linguas suas. Sed quare? Firmauerunt sibi sermonem nequam, crucifige, crucifige. Verè utiq; nequā: quo nequior nullus esse potest. Repetitio cōfirmatio est sermonis maligni. Firmauerunt autem hoc, non domino, sed sibi, id est, ad damnationem suam. Quomodo enim non sibi, cum dicant: Sanguis eius super nos, & super filios nostros? Et quia qui peccat in abscondito, appetit peccare non in publico: rectè subditur: *Narrauerunt ut absconderent laqueos,* Id est, qualiter abscondere Christum caperent & occiderent, tradendo eum per discipulum, iudicando per principem Romanum, interficiendo per milites eius. Talis fuit absconditio laqueorum, de quibus etiā *Dixerunt, Quis videbit eos?* Neque enim hoc ab aliquo deprehendi posse putauerunt, sed non profuit illis. Nam sequitur. *Scrutati sunt iniquitates,* quibus Christum in sermonibus redarguere possent, siue quia falsos testes super eum constituerunt. Sed *defecerunt scrutantes scrutinia,* Id est, in ea subtili & frequenti inquisitione nihil potuerunt proficere. Quod patenter ostenditur, cum subinfertur:

Acced

Matth. 26.
Luc. 22.Ioan. 18.
& 19.
Matth. 27.
Luc. 22.

Matth. 27.

Matth. 26.

Ibidem.

Luc. 22.

Accedet homo ad cor altum: & exaltabitur Deus. Ad cor altum, id est, ad cor secretum, ad cor diuinum, non ostendens quid nosset, non ostendens quid esset. Illi putantes hoc totum esse quod videbatur, occidunt hominem in corde alto. Et exaltabitur Deus in corde diuino. Vnde humiliatur, inde amplius exaltatur. Mortuus est enim Christus, resurrexit à mortuis, ascendit in cælum, misit prædicatores suos in mundum. Creditus est Deus. Magnificatus est & exaltatur, non quòd quantum ad seipsum possit vnquam exaltari: sed quantum ad eum apud quem maior de Deo cognitio habetur. Audi quomodo exaltatus sit Deus, & hi qui persequebantur, humiliati. *Sagitta paruulorum facta sunt plagæ eorum: infirmata sunt contra eos lingua eorum. Conturbati sunt omnes qui videbant eos. Et timuit omnis homo.* Illi qui sagittabant & non timebant, iam sagittis paruulorum feriuntur, conturbatiq; pertimescunt. Et qui firmauerunt sibi sermonem nequam, iam contra eos linguæ eorum infirmatae sunt. Cessauerunt minæ atque blasphemias. Cognouerunt sua scrutinia non valere, atque à tanto verborum strepitu siluerunt. Talis est mutatio dexteræ excelsi. Non enim potentibus armis fortium pugnantium, sed humilibus sagittis simplicium puerorum, tantos, tam feroces omnipotens Deus prostrauit hostes. Infirma enim mundi elegit Deus vt confundat fortia. Nam qui sunt isti paruuli, nisi quibus dictum est in Euangelio: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cælorum? Conturbati sunt ergo ad pœnitentiam omnes, id est, ex omni genere homines. Et timuit omnis homo, id est, omnis vtens ratione, ad intelligenda quæ facta erant. Timori domini se subdidit: *Annuntiauerunt opera Dei.* Videlicet natiuitatem, passionem, resurrectionem, humanitatem & diuinitatem, virtutesq; & miracula. *Et facta eius intellexerunt.* Factam videlicet esse nostram per Deum redemptionem & salutem. Et ideo sequitur: *Latabitur iustus,* non in seipso, non in mundo, sed *in domino,* & *sperabit in eo,* vitam æternam. *Et laudabuntur omnes recti corde,* id est, laudabiles apparebunt omnes qui rectè credunt, & bene viuunt. Illi recti sunt corde qui propria voluntate relicta voluntati penitus se subiiciunt diuinæ. Nos ergo Deum oremus vt det nobis constantiam, ne conuentum malignantium timeamus, non linguarum gladios, non deceptionum arcus. Accedamus ad Deum in corde humili, & ideo alto: vt in ipso exaltari mereamur. Timeamus eum timore casto, annuntiemus opera eius, quatinus per eum iustificati, in ipso semper lætari valeamus. Hæc est psalmi utilitas.

T I T V L V S P S A L M I L X I I I I.

TITVLVS sequentis psalmi hic est: *In finem psalmus Dauid, Canticum Ieremia & Aggai de verbo peregrinationis, quando incipiunt proficisci. Captiuatus est populus Israël: Ex ciuitate Ierusalem ductus est in seruitutem Babylonia. Prophetavit autem sanctus Ieremias post septuaginta annos rediturum populum de captiuitate, & instauraturum ciuitatem ipsam Ierusalem, quam denictam ab hostibus planxerat. Aggæus vero non prophetavit captiuitatem, sed successit Ieremia*

Matth. 16.
Marth. 28.

Psal. 76.

1. Corint. 1.

Matth. 18.
Marc. 10.

Iere. 5. 50.
& 52.
Aggai 1.
& 2.

Ieremia qui mortuus fuit dum essent Iudei in captiuitate. Et ipse Aggæus prophetavit reditum, & fuit in reditu: quia mortuo Nabuchodonosor successit alius rex, qui timens Deum dimisit populum Dei. Sed quoniam (dicit Apostolus) hæc in figura contingebant illis, scripta autem sunt propter nos, in quos finis seculorum obuenit: debemus & nos nosse prius captiuitatem nostram, deinde liberationem nostram. Debemus nosse Babyloniã in qua captiu sumus, & Ierusalem ad cuius reditum suspiramus. Duas istas ciuitates faciunt duo amores. Ierusalem facit amor Dei: Babyloniã facit amor seculi. Interroget ergo vnusquisque quid amet, & inueniet unde sit ciuis. Si se inuenierit ciuem Babyloniæ, extirper cupiditatem, plantet charitatem. Si se inuenierit ciuem Ierusalem, toleret captiuitatem, speret liberationem. Quidam tituli loco Aggai ponunt Ezechiel, qui fuit in captiuitate Babylonia. Et ubi hic dicitur de verbo peregrinationis, quidam dicunt, Ex populo transmigratiõnis. Ubi et si verba discrepant, sententia non discordat. Sed iam expositionem tituli videamus. Psalmus iste conuenit Dauid propheta & aliis redeuntibus. Qui psalmus est canticum Ieremia & Aggai. Quia exponit nobis illud, unde exultauerunt Ieremias & Aggæus, siue Zacharias, siue Ezechiel, qui fuerunt ex populo transmigratiõnis. Canticum, dico, habitum de verbo peregrinationis, id est, de reuelatione qua facta est eis à Deo pro captiuorum peregrinatione: quando incipiebant proficisci, id est, reuerti de Babylonia in Ierusalem. Horum exultatio præfigurauit nostram, quam habemus cum spiritaliter proficisci de hac peregrinatione incipimus. Et huic Babylonia non intendentes, Deum amare intendimus. Est enim conceptio amoris initiu proficiscendi. Incipit exire, qui incipit amare. Ex euntium pedes sunt cordis affectus. Et si corpore adhuc permixti sunt cum filiis Babyloniæ, desiderio tamen sancto discernuntur. Materiam sunt ipsi reuertentes, qui hic loquuntur. In prima parte Deum laude dignum prædicant. Orant, vt de captiuitate redeant, miseriam suam denuntiant, Deum propitium esse, & beatum quem elegerit, narrant. Domum & habitationem & bona ipsius commendant. In secunda parte (ubi dicitur: Spes omnium finium terræ) agitur de potentia saluatoris, de virtute & gratia prædicatorum, de timore & mutatione conuersorum, de dono sancti spiritus, de multiplicatione fidelium, de fructu ipsorum. In tertia (ubi dicitur: Benedices coronæ anni) commendatur benedictio & beatitudo, quam sanctis suis, unicuique secundum merita sua, Deus per gratiam suam daturus est in futuro. Pro his omnibus in fine, sicut in capite, hymnum Deo canendum denuntiat. Vox Ecclesie ad Christum.

P S A I M V S L X I I I I.

DE decet hymnus Deus in Syon. O Deus qui noster redemptor es, Te decet hymnus, non in Babylone, non in confusione peccatorum: sed in Syon, id est, in speculatione virtutum. Non est enim speciosa laus in ore peccatoris, sed rectos decet laudatio. Cum cepit quisque innouari, & mente ad cælestia erigitur: tunc primùm decet vt Deum laudet. Et quia sic Deum laudare debemus, vt nos ipsos ei voeamus, incipientes hoc in nouitate vitæ, sed complentes in æterna pace: rectè subditur: *Et tibi reddetur votum in Ierusalem.* Id est, in visione pacis. Hic in ista Syon, vbi videmus per speculum & in ænigmate, nondum autem facie ad faciem, votum Deo incipimus agere: sed illud non possumus ex toto adimplere, quamdiu in nobis est quod Apostolus dicit: *Velle adiacet mihi,*

B

1. Corint. 10.

Eccles. 15.
Psal. 32.

Rom. 6.

1. Corint. 13.

Rom. 7.

perficere autē bonum nō inuenio. Bona quippe opera nostra tunc perficien-
 tur, quando ita spiritui caro consenserit, vt aduersus eum illa concupiscere
 non possit. Hoc volumus quotiens perfectionem iustitię desideramus. Ideo
 dictum est: Velle adiacet mihi. Sed quia hoc in ista corruptione nullatenus
 adimpletur, propterea mox subditur: Perficere autem bonum non in-
 uenio. Est enim perfectio boni, vbi nulla est concupiscentia mali: Tunc er-
 go reddetur in illa cęlesti pace, quando iam nullum malum erit, sed sum-
 mum bonum. Ibi erimus totum, id est, integri, non solū anima sed ca-
 ro ipsa in resurrectione iustorum. Vincet pax, & finietur bellum: de-
 struetur mors, & vita erit in perpetuum. Tunc nostrum desiderium ad-
 implebitur. Tunc fiet quod modō prophetatur. Et tibi reddetur vo-
 tum in Ierusalem. Ad hoc suspirat Ecclesia: vnde & suppliciter orat, di-
 cens: *Exaudi Deus orationem meam.* Vt in illa cęlesti Ierusalem votum
 meum persoluam. Scio enim quia non solum animę sed *ad te omnis caro*
veniet. Hic apertē propheta resurrectionem annuntiat. Vnde Aposto-
 lus: Omnes (inquit) siue boni, siue mali, astabimus ante tribunal
 Christi. Et alibi: Vivo ego dicit dominus, quoniam mihi curuabitur
 omne genu, & confitebitur omnis lingua. Et subdit causam, quare ne-
 cesse est vt exaudiatur, cū ait: *Verba iniquorum,* Id est, diaboli & Eux
 qui persuaserunt Adę, *præualuerunt super nos.* Quia nos in peccatum de-
 merferunt. Et tamen tu domine propitiaberis impietatibus nostris. Condonan-
 do eas. Primum peccatum per verbum factum est: & per verbum mala
 multa quotidie fiunt. Hinc Apostolus, malum linguę describens ait:
 Lingua inquietum malum, plena veneno mortifero. Et alibi dicitur:
 In manibus linguę vita & mors. Cauendum est igitur malum linguę,
 ne loquamur quod noceat, nec à verbis impiorum deprauemur. Et
 si in hoc delinquimus, corrigamur. Aduocatum enim habemus apud
 patrem Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio per peccatis no-
 stris. Cuius propitiatione hominem electum & saluatum commen-
 dat, cū subiungit: *Beatus quem elegisti,* Id est, de massa perditorum se-
 gregasti, conuertendo ad fidem. *Et assumpsisti ad dignitatem.* Ideo bea-
 tus, *quia habitabit in atriis tuis,* Id est, in cęlesti Ierusalem, quam dicit atria
 propter amplitudinem. In se Christus assumpsit quendam beatum, & cū
 multos assumpserit, non de pluribus dicitur, sed de vno. Commendat ergo
 vnitatem, quam assumpsit. Nam hęreses & scismata reprobauit. Qui autem
 manent in cōpage Christi, & mēbra sunt eius. Facit quodāmodo vnum virū,
 de quo dicit Apostolus. Donec occurramus omnes in agnitionē filij Dei, in
 virū perfectum, in mensurā ætatis plenitudinis Christi. Et quia iste vnus cō-
 sistit ex pluribus, rursus de singulari numero ad pluralem redit, causamque
 aliam beatitudinis ostendit, dicens: *Replebimur in bonis domus tuę.* Quę sunt
 bona domus Dei: Mira & ineffabilia. Nam quod oculus nō vidit, nec auris
 audiuit, nec in cor hominis ascēdit, præparauit Deus diligētibus se. Oportet
 igitur ea nunc esurire, & sitire, vt tantis postmodum bonis repleri merea-
 mur. Ecce magna sunt bona domus Dei, & beatū est bonis illius adimpleri.

Iam au

Iam audiamus quę sit hęc domus. *Sanctum est,* inquit, *templum tuum,* mira-
 bile in æquitate. Sancta electorum Ecclesia domus dicitur: quia à Deo inha-
 bitatur. Templum, quia sanctificatur per Deum. Hinc Apostolus ait: Tem-
 plum Dei sanctum est, quod estis vos. Hoc sanctum Dei templum dicitur
 mirabile, non in columnis, non in marmoribus, non in rectis deauratis, sed
 in æquitate. Quę est æquitas? Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Et quę
 vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. In his duobus præceptis
 est æquitas atque iustitia. Quando hęc obseruant iusti viri, qui sunt domus
 & templum Dei, mirabiles apparent in æquitate, in iustitia, in sanctitate, in
 moribus, in actionibus, in virtutibus. Ad hanc ergo impetrandam æquita-
 tem humiliter exorat dicens: *Exaudi nos Deus salutaris noster.* Cū dixit Deus,
 continuo adiunxit Salutaris, vt quem Deum diceret, apertius declararet. Sa-
 lutaris enim propriè dicitur Iesus Christus, per cuius incarnationem salua-
 ti sumus. Ipse mediator Dei & hominum interpellat pro nobis, vt homo,
 & exaudit nos, vt Deus. In Deo est salus nostra & spes nostra. Non vnus
 anguli, non solū Iudę, non Orientis tantummodo aut Occidentis: sed
 spes omnium finium terrę. In illo enim sperant etiam illi, qui in vltimis terrę
 partibus habitant. Nec tantum hi sperant in eo, qui in solida terra sunt: sed
 & illi qui in remotissimis insulis consistunt. Hoc est quod subdit: *Et in*
mari longè. Quomodo autem tam longè sit factus spes ostenditur, cū sub-
 infertur: *Præparans montes in virtute tua.* Montes dicit Apostolos & præ-
 dicatores altitudine vitę terrena omnia transcendentis. Quos Deus
 omnipotens præparauit, & præparat vocando, iustificando, gratia, doctrina
 & moribus informando. Et bene potes eos præparare, quia tu es accin-
 ctus potentia. Dominus ac redemptor noster secundum humanitatem
Accinctus potentia dicitur est. Vnde illi Psalmista alibi ait: Accingere gla-
 dio tuo super femur tuum, potentissimè. Et iterum: Indutus est domi-
 nus fortitudinem & præcinxit se. In eo autem quod Verbum est apud pa-
 trem, neque induitur fortitudine, neque accingitur potentia. Imo ipse
 est fortitudo & virtus & sapientia. Incarnatus ergo dominus quia diuini-
 tate sua vndique circundatur, vndique munitur, non immerito accin-
 ctus potentia perhibetur. Accinctus autem, tanquam paratus ad pu-
 gnam contra diabolū & mundum. Vnde protinus addit: *Qui conturbas*
profundum maris, sonum fluctuum eius. Fundus maris, est cor impiorum. Sicut
 enim à fundo vehementius omnia mouentur, & fundus continet omnia: sic
 quicquid processit per linguam, per manus ad persecutionem Ecclesię de
 profundo processit. Si enim non esset radix iniquitatis in corde, non illa
 omnia procederent aduersus Christum. Fundum conturbauit, fortè vt fun-
 dum exhauriret: Nam in malis quibusdam exhaurit mare à fundo, & posuit
 mare in desertum. Dicit illud alius psalmus: Qui conuertit mare in aridam.
 Omnes impij vt pagani qui crediderunt, mare erant: terra facti sunt: falsis
 fluctibus primo steriles, postea iustitię fructu fecundi. Conturbat sonum
 fluctuum, quando minas dissipat superborum. Vel sonum fluctuum contur-
 bat, quando tumultus cogitationum in cordibus impiorum Deus excitat.

B ij

Ascendunt in corde cogitationes, quando suas ad memoriam reducunt prauitates. Conturbatur mare, quia contremiscit amaritudo pœnitentiæ: & quod in imo est, ad summum reducitur, quando malum quod in corde iacebat, ore confessionis aperitur. Quis hoc agit in corde peccatoris, nisi pia potentia redemptoris? De qua adhuc subditur: *Turbabuntur gentes, & timebunt qui habitant terminos, à signis tuis.* Ideo enim dominus & discipuli eius tanta signa & prodigia faciebant, ut cum viderent gentes quæ fidem non habebant, turbarentur pro peccatis, & timerent Deum, & credentes salui fierent. Et quia in via Dei incipitur à timore, sed in charitate consummatur, rectè adhuc subiungitur: *Exitus matutini & vesperi delectabis.* Matutinum significat prosperitatem, vesperum tribulationem: quia mane lætum est, transacta velut tristitia noctis. Tristes autem sunt tenebræ, vespere veniente. Delectat ergo Deus, id est, seruos suos delectare facit, exitus matutini & vesperi, id est, ut exeant de prosperitate & aduersitate huius seculi. Non extolluntur prosperis, non franguntur aduersis. Cuncta forti mente pertranseunt, læti & alacres ad finem tendunt. Talis erat Paulus cum diceret: Cupio dissolui & esse cum Christo. Notandus est autem ordo verborum, Prius ponitur perturbatio timoris, deinde delectatio amoris. Timor excludit vitia: charitas contemnit terrena. Magnificè ergo posuit Delectabit exitus. Si enim non delectat te, non laboras exire. Delectare in domino, & fastidio erit tibi mundus. Ad hoc autem quod præmissum est, Præparans mōtes in virtute tua, respicere videtur versus iste, qui subiungitur. *Visitasti terram & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.* Misisti nubes tuas, ut plueret prædicationem veritatis. Inebriata est terra, id est, repleta sunt corda terrena cælesti imbre sapientiæ, ad proferendum multipliciter fructum vitæ. Omnipotens Deus terram visitat, quotiens peccatorem per suam gratiam aspirat. Inebriat verò, cum tanto eius amore repletur, ut vita & moribus ad meliora immutetur. Solet enim per ebrietatem sensus bibentium mutari. Hinc est quod de electis alibi dicitur: Inebriantur ab vbertate domus tuæ: quia tanto omnipotentis Dei amore repleti sunt, ut mente mutata sibimetipsis extranei esse videantur. Quædam enim quasi ebrietas videtur, contemptis diuitiis paupertatem amare, seipsum contemptui habere, tribulationibus gaudere, mortem magis quam vitam diligere, ad ea quæ non apparent, totis desideriis anhelare. Hoc modo inebriata terra non potest sterilis esse. Multipliciter locupletatur à Deo spiritualibus donis. Hinc Paulus ait: Alij datur sermo sapientiæ, alij sermo sciētīæ, alij genera linguarum, alij gratia curationū. Et quibusdā aliis enumeratis: Hæc (inquit) omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Et quia sic dicit Deus terram suam, dicatur rectè: Multiplicasti locupletare eam. Hunc autem multiformis gratiæ spiritum declarat, cum subiungit: *Flumen Dei repletum est aquis.* Quid per Dei flumen intelligi debeat, ipse dominus nobis insinuat, vbi ait: *Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aque viuæ.* Hoc (inquit Euangelista) dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Et sicut in vno flumine multæ aquæ conueniunt: ita in vno spiritu

ritu multæ gratiarum diuisiones consistunt. Ideo dicitur Spiritus sanctus flumen, quia cum impetu venit, atque à sordibus peccatorum mundat mentem quam infundit. Ideo aqua, quia mentem potat, eamque ab æstu desideriorum carnalium refrigerat. Sed quia de potu audiuius, nunc de cibo animæ quid subiungat, audiamus. *Parasti cibum illorum quoniam ita est præparatio eius.* Quem cibum? Vti que de quo ipse ait: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Quomodo hunc cibum parauit nobis? Quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Bene autem dicitur, Parasti, quia multo studio egit, & multo labore, quatinus electorum mentes de seipso posset reficere. Vnde conuenienter ait: Quoniam ita, id est, per te est præparatio eius. Neque enim tantum cibum præparare potuisset aut Apostolus, aut propheta, aut angelus, nisi solummodo mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Est etiam scriptura sacra cibus nobis paratus à domino, quo quotidie reficimur, ne deficiamus in huius peregrinationis deserto. Vnde scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Ecce paratus est cibus, ecce paratum est flumen: sed hæc fragilis homo non valet suscipere, nisi superna bonitas dignetur adiuuare. Ideo exorat dicens: *Riuos eius inebrians, multiplica genimina eius.* Riuos eius fluminis Apostolos & doctores dicit, per quos Spiritus sanctus ad audientium corda decurrit. Vnde scriptum est: Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus sanctus qui loquitur in vobis. Hunc spiritum à patre de cælo missum quando Apostoli receperunt, tanta eius plenitudine imbuti sunt, ut cum linguis variis Dei magnalia loquerentur, à quibusdam ebrij putarentur. Et re vera erant ebrij, sed spiritualiter, non carnaliter. Sed vnde prædicantes Deus inebriat, inde fideles multiplicat. Multiplica (inquit) genimina eius. Genimina dicuntur hi, qui ex aqua & Spiritu sancto regenerantur. Et non dicit Genimina eorum, sed eius: quia sicut quidam inebriatus riuus ait: Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus. Et quia intra sanctam Ecclesiam fructificat Deo non solum exuberans sapientia, sed ipsa etiam tenuis & parua doctrina, rectè subditur: *In stillidius eius lætatur germinans.* Paruulis & adhuc infirmis stillantur quædam de sacramentis, quia non possunt capere plenitudinem veritatis. Audi quomodo stillat Paulus quibusdam minus capacibus: Non potui (inquit) vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo. In stillidius ergo germinans lætatur, quando is qui in fide nouiter exhortatus est, magna adhuc capere non potest: sed tamen pauca quæ audit, gratanter suscipit: atque eos, quos præualet, fructus bonorum operum & virtutum proferre studet. In hoc præsentī hæc beneficia quæ dicta sunt, dabis in futuro quid se quitur & dicit: *Benedices corona anni benignitatis tuæ.* Id est, sanctos tuos remunerabis, qui ut corona palmæ atque victoriæ circa te stabunt, & tibi victoriæ signum erunt. Vel aliter: Coronam vbi audis, gloria victoriæ designatur. Vince diabolus, & habebis coronam. Annus verò quia perfectum tempus est, spatium vitæ significat æternæ.

Corona ergo anni est perfecta gloria, pertinens ad aeternam vitam, quam daturus est Deus sanctis suis post huius vitae certamina: non ex meritis eorum, sed ex benedictione & gratia sua. Vnde & dicitur: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Et ideo posuit benignitatis, ut gratia Dei commendetur, ut nemo de suis meritis gloriatur. Hanc autem benedictionem coronae, quam praemisit, exequitur per partes, cum subiungit: *Et campi tui replebuntur ubertate. Pinguescent speciosa deserti: & exultatione colles accingentur. Induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento.* Quid per campos, nisi fructificantes iustos? Quid per desertum, nisi steriles peccatores voluit designare? Quosdam iustos insinuat quasi campos esse Paulus, ubi ait: Dei agricultura estis. Attende quanta sunt viscera diuinæ misericordiae. Propter campos enim non deserit desertum. Propter iustos non respuit peccatores. Illos replebit ubertate, id est, aeterna refectio, sicut iam praemisit. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. Istos pinguescere faciet dulcedine gratiae suae, ut ubi abundavit peccatum, superabundet gratia. Et notandum quod non ait, Pinguescet desertum, sed speciosa deserti: quia non totam massam peccatricem saluabit Deus, sed eos tantum qui à sordibus exeunt vitiorum, & speciosi fiunt fide, morum honestate, & decore virtutum. Vel per speciosa deserti Ecclesiae gentium possunt figurari, quae tunc pinguescent, quando omnia perfecte habebunt. Erit enim Deus omnia in omnibus, nec sancti spiritus dona diuidentur. Per colles autem accipi possunt sancti martyres, qui campis, id est, iustis virtute praesistent passionis. Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione. Ideo merito accingentur, id est, ex omni parte, tam in anima quam in corpore circundabuntur exultatione. Quasi quoddam cingulum erit eis sempiternum gaudium, vndique circumdans eos, vndique continens, inseparabiliter adhærens. Hinc quibusdam dominus ait: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Tunc quoque accingentur exultatione, quando circumdati & repleti fuerint ipsa diuinitate. Tunc quoque induet dominus stola iocunditatis & veste immortalitatis arietes ouium, id est, duces animarum. Vel induti erunt exultatione, quia simul cum grege suo gaudebunt in aeterna pace. Quasi quoddam indumentum illis exultatio erit, quando iam nulla pars molestiae neque in anima neque in corpore remanebit. Absterget enim Dominus omnem lachrymam ab oculis sanctorum: & mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor: quoniam priora transferunt. Et valles abundabunt frumento quia obediētes & humiles animae caelesti reficientur alimento. Ipse dominus erit frumentum eorum. Ipse est enim verus cibus animarum. Et ibi omnes non tam voce, quam mente: non tam verborum strepitu, quam cordis affectu, in lætitia ineffabili *Clamabunt.* Et eorum clamor non nisi laus Dei erit. Ideo subdit: *Etenim hymnum dicent.* Vnde alibi dicitur: Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Ergo incipiamus hinc hymnum dicere domi

no no-

no nostro, quatinus perfecte illum laudare mereamur in futuro. Qui enim modò non incipit, nec postmodum laudabit.

T I T V L V S P S A L M I L X V.

HOC modo psalmus qui sequitur, intitularur: *In finem. Canticum psalmi resurrectionis. In hoc psalmo proponitur nobis canticum, ad exultandum de nostra resurrectione, quam Deus omnibus in finem, id est in Christum tendentibus operabitur. Quae resurrectio materia huius psalmi est. In prima parte admonet omnes gentes, ut cordes, voce & opere Deum terribilem laudent, praedicent, glorificent & adorent. In secunda parte (qua incipit, Venite & videre) commendat Dei opera esse terribilia: ubi vocationem gentium, & reprobationem Iudaeorum designat. In tertia parte (qua incipit, Benedicite gentes) admonet, ut benedicant gentes Deum suum pro tot & tantis sibi collatis beneficiis: tum quia animas à morte liberat, atque in bono perseverare facit. tum quia post tentationes & probationes multas, in aeternum refrigerium perducit, ubi semper gaudeant: & vota sua, quae hic inceperunt, Deo suo ibi perfecte soluant. In quarta parte (ubi dicitur, Venite, audite) proponit seipsum in exemplum, praedicans bona quae animae suae fecit dominus. Et quia ad illum ore & corde clamavit sine iniquitate, propterea exaudiuit Deus. In quo nos hortatur, ut similiter faciamus: quatinus ab ipso exaudiri atque eius misericordiam consequi mereamur. Haec est intentio & utilitas huius psalmi. Unde sub voce primitivae Ecclesiae, siue cuiuslibet perfecti nunc dicitur.*

Roma. 8.
Philip. 3.

P S A L M V S L X V.

IUBILATE Deo omnis terra. Id est de omni terra gentes cõuersae iubilare Deo mentis exultatione. Videte quæ admodum commendetur vniuersitas Ecclesiae toto orbe diffusa, cum dicitur, Omnis terra. Sed quid est iubilare? In voce erumpite gaudiorum si non potestis verborum. Nõ enim verbum iubilatur, sed solus gaudentiũ sonitus redditur, quasi parturiētis & parientis cordis. Iubilare inquit, id est in voce rei lætitiã concipite, quæ verbis explicari non possit. *Psalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius.* Psallere est organum etiam assumere, quod psalterium dicitur, & pulsu atque opere manuum vocibus concordare. Si ergo iubilatis quod Deus audiat, psallite etiam quod homines videant & audiant: sed non nomini vestro. Cauete enim facere iustitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis. Quid est psalmũ dicite? Exponit nobis Evangelium, ubi ait: Luceat lux vestra coram hominibus. Quod autem hinc subditur, *date gloriã laudi eius.* Hoc ibi manifestius declaratur, cum subinfertur: *Vt videntes opera vestra bona, glorificent patrem vestrum, qui in caelis est. Ille laudi Dei gloriam dat, cuius bona vita cum recta praedicatione concordat. Nomini domini psallit, cum in bono opere quod agit, non suam, sed domini laudem requirit. Psallite ergo nomini eius, non vestro. Vos psallite, ille laudetur. Vos bene viuite, ille glorificetur. Totam intentionem nostram in laudem Dei mittit. Nihil nobis vnde laudetur, reliquit. Non vult Deus ut gloriemur in nobis, ne sit gloria vana: sed vult ut gloriemur in nobis, ut sit gloria sana.* Vnde & subdi-

Mat. 6.

Mat. 5.

Ibidem.

Ier. 9.
2. Cor. 10.

B iij

tur: *Dicite Deo, Quam terribilia sunt opera tua domine!* Vnde terribilia? Quia cæcitas ex parte in Israel facta est, vt plenitudo gentium intraret. Magis ergo terreamini, quia videtis ramos naturales amputari. Iudæi enim qui per Patriarchas venerunt, de carne Abraham nati sunt. Et quid ait Apostolus? Sed dicis, Fracti sunt rami, vt ego inserar. Bene. Propter incredulitatem fracti sunt: tu autem (inquit) fides. Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, neque tibi parceret. Attendendo ergo ramos fractos & te insertum, noli extolli super ramos fractos, sed magis. Dicite Deo, Quam terribilia sunt opera tua domine. Time illum in terribilibus operibus suis, & noli superbire, quia te in altum vocauit: ne tibi non parcat, qui ramos naturales abscidit. Quorum abscisio demonstratur, cum subditur: *In multitudine virtutis tuae.* Id est in multis virtutibus & miraculis. *Mentientur tibi inimici tui.* Id est Iudæi, qui prærogatiuè dicendi sunt inimici. Et ex hoc magis digni reprobatione fuerunt, quia inter tot virtutes & miracula cum credere debuissent, increduli remanserunt. Mentiti sunt autem, falsum testimonium de Christo dicentes: corpus eius de sepulchro furatum affirmantes: resurrectionem negantes. Et valde notandum est, quod cum diceret, Mentientur, continuo addidit Tibi, id est ad profectum tuum. Mendacium enim Iudæorum ad commendandam multam potentiam tuam valebat. Quare solent inimici nostri mentiri? Vt potentiam cuiusque minuant, de quo mentiuntur. Tibi inquit, contra accidit. Nam minus appareret potentia tua, si tibi illi non mentirentur. Mentiti sunt illi, & occisus est Christus: resurrexit à mortuis, & vbique est prædicatus. Creuit potètia eius in terra, & impletum est quod subditur: *Omnis terra adoret te Deus, & psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo.* Id est omnis generis homo habitans in terra, te qui verus Deus es, adorando colat. Adorare enim ad diuinam propriè pertinet culturam: in quo etiam fides commendatur. Sed quia eadem fides sine operibus mortua est, rectè subditur: Et psallat tibi, id est bene operetur ad honorem tuum. Psalmum dicat, id est bonam operationem prædicet: & hoc non sibi, sed nomini tuo, hoc est ad laudem & gloriam nominis tui. Tunc quippe vtiliter Deum adoramus, quando culturæ fidei bonum opus, in quo Deus honoretur, adiungimus, atque alios nobiscum quos possumus, ad seruitutem Dei verbo & exemplo trahimus. Quod videtur hic facere, cum protinus adiungit: *Venite & videte opera Dei.* O gentes, o vltimæ nationes, relinquitè Iudæos mentientes. Venite confitentes: accedite passibus mentis, affectibus amoris. Venite ad dominum, properate ad fidem, currite ad Ecclesiam. Videte, id est credite & intelligite opera quæ fecit dominus, qui est *Terribilis in consiliis super filios hominum.* Machinati sunt filij hominum consilium ad crucifigendum Christum. Crucifixus excæcavit concifigentes. Vos machinati estis consilia perdendi, ille excæcandi & saluandi: excæcandi superbos saluandi humiles. Ad hoc autem superbos ipsos excæcavit, vt cæcati humiliarentur, humiliari confiterentur, confessi illuminarentur. Terribilis ergo in consiliis super filios hominum. Et verè terribilis. Ecce enim cæci

cæcitas ex parte in Israel facta est. Ecce Iudæi ex quibus natus est Christus, foris sunt. Ecce gentes, quæ contra Iudæam erant, in Christo intus sunt. Propterea quid fecit terrore consilij sui? sequitur & dicit: *Qui conuertit mare in aridam.* Mare erat mundus, Amarus salitate, turbulentus tempestate, sæuiens fluctibus persecutionum. Mare erat, in aridam conuersus est. Modò sitit aquam dulcem mundus, qui salsa plenus erat. Vnde dicit alibi. Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Illi ipsi qui in aridam sunt conuersi, cum essent antea amari, *In flumine pertransibunt pede.* Flumen est omnis mortalitas seculi. More enim fluminis alia venit & transit, alia transitura succedit. Quid in terra nascitur, & manet? Omnis qui natus est, cedat oportet nascituro. Ergo omnis iste ordo rerum labentium quasi fluuius est. In istum fluuium si se mittit anima cupida, perit. Quomodo ergo transiet delectationes rerum periturarum? Credat in Christum, & illo duce in flumine pertransibit pede. Quid est pede transire? Facile transire. Non quærit equum, vt transeat. Non erigitur superbia ad transeundum flumen. Humilis transit, & citius transit. Hoc etiam iuxta literam & in veteri populo dominus fecit: sed sicut Apostolus dicit, omnia in figura contingebant illis. Et notandum quod non ait Transibunt, sed Pertransibunt. In flumine enim pede transire, est in hac mortalitate humiliter & simpliciter viuendo ad cælestia festinare. Pertransire verò, est cursum rectè viuendi bene moriendo finire. Pertransibat quoque Paulus, cum diceret: Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui. De cætero reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Vnde nunc aptè subditur: *Ibi lætabor in ipso.* Hic enim super flumina Babyloniæ sedens & ploramus, & sunt nobis lachrymæ panis, dum dicitur quotidie, Vbi est Deus tuus? Ibi verò flumine iam transacto, finita mortalitate, recepta incorruptione: ibi lætabor in ipso, id est, in Deo nostro. Tunc erit vera & perfecta nostra lætitia, quando similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. *Qui dominatur omnibus: & hoc in virtute sua,* id est propria, *in æternum.* quod verè omnipotentia est, & ad solum pertinet Deum. Quia qui dominantur in hoc mundo, neque in virtute sua, sed Dei, neque in æternum, sed temporaliter dominantur. Si enim æterna esset virtus nostra, non lapsi essemus in peccatum, nec pœnalem meruissemus mortem. Per nos ergo infirmati, sed per eum fortes facti, qui dominatur in virtute sua in æternum: erimus participes virtutis eius per ipsum. Quod non nostris meritis, sed misericordia eius actû ostenditur, cum subinfertur: *Oculi eius super gentes respiciunt.* Quod enim gentilitas credidit, diuinæ misericordiæ respectus egit, quæ cum eligitur, Iudæa reprobatur. Vnde & subdit: *Qui exasperant non exaltentur in semetipsis.* Exasperitas Iudæorum fuit. ipsa infidelitas, fuit superbia, ira quoque & inuidia: fuerunt præui mores, & verba increpationis & blasphemie aduersus Christum & Ecclesiam. Qui quoniam in semetipsis elati fuerunt, non exaltari, sed duci à domino meruerunt. Quasi

Quasi maledixisse videtur, cum ait, Non exalcentur. Imo exalcentur, sed non in semetipsis, humiliantur in seipsis, exalcentur in Deo. Quoniam qui se humiliat, exaltabitur. & qui se exaltat, humiliabitur. Cognitis istis operibus atque acceptis tantis beneficiis admonet ad Deum benedicendum, & dicit: *Benedicite gentes Deum nostrum.* Iam venit semen Abraham, in quo benedicentur omnes gentes. Benedicite ergo in quo benedicimini. Nam qui ei benedixit, erit & ille benedictus. Neque enim ideo iubemur benedicere Deum, ut nostra benedictio quicquam conferat Deo, qui bonorum nostrorum non indiget: sed ideo benedicere precipimur, ut ex affectu benedicendi gratiam eius quem benedicimus, mereamur: & sic ipsa benedictio in nos retorqueatur. Pertinet quoque ad religionem nostram & fidei culturam toto corde, toto affectu Deum nostrum benedicere, predicare, laudare. Ideo adhuc subdit: *Et auditam facite vocem laudis eius.* Non solum apud vos ipsos ipsum laudate, sed etiam vocem laudis eius aliis auditam facite & predicare. Sic benedicite Deum in vobis, ut & aliis predicando annuntietis. Ipse est enim *qui posuit animam meam ad vitam.* Deus ad vitam animas nostras posuit, quia a morte redemptas per fidem viuificauit. Mors in nobis, vita in Deo. Quomodo quibusdam creditibus ait apostolus: Fuitis aliquando tenebrae, nunc autem lux in domino. Sed quid deinde opus est, nisi ut perseueremus usque in finem? & hoc ipse dedit, de quo consequenter ait: *Qui non dedit in commotionem pedes meos.* Qui posuit animam meam ad vitam, ipse regit pedes meos, ne nutent, ne a bono cepto boni moueantur affectus. Quare dicitis, Quia non dedit in motum pedes tuos? Multa enim (inquit) passus sumus. *Quoniam probasti nos Deus.* Id est nobis ipsis & aliis probatos ostendisti. *igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Vel materiali igne, sicut Laurentium: vel igne, id est quacunque tribulatione non cremasti nos, sicut caenum: sed purgasti, sicut argentum. Adhibendo nobis ignem, non in cinerem conuertisti: sed sordes abstulisti. Probat dominus sanctos suos, & tribulationum igne examinat: ut ab omni terrena sorde & carnis delectatione mundentur. Carnis autem oblectamina multum in aduersis deficiunt. Et exponit per partes ipsas examinationes, cum subiungit: *Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra.* Laqueum dicit vincula, carceres, siue quilibet tentationes. Non autem intelligendum est, ut inducat quenquam Deus in laqueum (quia ipse est intentator malorum) sed quasi inducit, cum induci permittit. Vnde in oratione dicimus: Et ne nos inducas in tentationem, id est ne nos induci permittas. Vtrum autem super sanctorum dorsum tribulationes imponantur, Paulum interroga. Non enim quinquies quadragenas unam minus se a Iudaeis accepisse celabit. Homines autem super eorum capita impositi erant, qui eis dominabantur, in tantum ut capitales possent dare sententias. Haec autem omnia passa est Ecclesia variis & diuersis persecutionibus. Hoc & singillatim etiam modo patitur. Non enim quisquam est, qui se in hac vita ab his tentationibus possit dicere immunem. Ergo imponuntur & homines super capita nostra. Toleramus quos nolumus. Patimur superiores aliquando, quos nouimus peiores. Erecti enim male

superbi

superbi eramus. Male erecti, curuati sumus, ut curuati bene erigeremur. Et bonum est ut consideremus nos peccatores esse, & sic toleremus impositos super capita nostra: ut & nos confiteamur Deo, quia digne patimur. Quid enim indignè pateris, quod fecit qui iustus est? Posuisti tribulationes in dorso nostro: Imposuisti homines super capita nostra. Sauius videtur Deus, cum ista facit. Ne metuas, pater est. Nunquam sic sauius, ut perdat. Quando male uiuis, si parcat, plus irascitur. Omnino istae tribulationes flagella sunt corrigentis, ne sit sententia punientis. Vnde & subditur: *Transiimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium.* Ignis & aqua utrumque periculosum in hac vita. Certè videtur aqua ignem extinguere, & ignis videtur aquam siccare. Ista ipsae tentationes sunt, quibus abundat haec vita. Ignis urit, aqua corrumpit. Vtrumque metuendum est, & vitio tribulationis, & aqua corruptionis. Quando sunt res angustae & aliqua quae infelicitas dicitur in hoc mundo, quasi ignis est. Quando res sunt prosperae & abundantia secularis circumfluit, quasi aqua est. Vide ne te ignis exurat, ne te aqua corrumpat. Firmus esto aduersus ignem, coqui te oportet: tanquam vas factum mitteris in fornacem, ut firmetur quod formatum est. Vas ergo igne firmatum aquam non timet. Vas ergo si solidatum igne non fuerit, tanquam lutum aqua soluetur. Prima igitur vice ignis. Postea ablato timore metuendum est ne felicitas corrumpat. Cum autem te ignis crepare non fecerit, & in aquam non mergaris, sed enataueris per disciplinam transiens ad requiem, & transiens per ignem & aquam, educeris in refrigerium sempiternum. Eduxisti (inquit) id est educes: praeteritum enim posuit pro futuro. Spiritus enim prophetiae sic nouit futura ut praeterita. Deinde transactis tribulationibus quid fiet? sequitur. *Introibo in domum tuam non manufactam, id est caelestem. In holocaustis.* Id est omni corruptibilitate consumpta. Tunc enim fiet perfecte holocaustum, quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induetur immortalitate. Tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Victoria quasi ignis diuinus est, cum absorbet mortem nostram. Totum meum consumat ignis tuus. Nihil mei remaneat mihi: totum sit tibi. Tale holocaustum offeret Christi corpus, id est Ecclesia quae hic loquitur. Holocaustum autem totum incensum dicitur, quando totum ardet atque igne diuino totum absumitur. Non remanebit aliquid mortale in carne, neque aliquid culpabile in spiritu. In illa domo *Reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea.* Id est, praeter omnibus aliis elegerunt, me ipsum scilicet, quod votum praefertur omnibus. Distinctio quoque in votis est, ut te accuses, & illum laudes. Te intelligas creaturam, illum creatorem: te tenebras, illum illuminatorem. Quicquid hic distinguimus labiis, in promissione, vel ordinatione, vel voto, quando in domum illam intrabimus, totum domino Deo nostro persoluemus. Vel vota labiis distinguere, est ea quae Deo offeruntur, mente & ratione discernere. Vnde scriptum est: Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti. Qui bonum opus offert Deo, rectè quidem offert, sed rectè non diuidit: si inde mundi gloriam, aut lucrum aliquod praeter Deum requirit. Sancta ergo Ecclesia interioribus labiis vota sua distinguit, quia

vota

vota quæ offert Deo, ab omni laude humana & terrenò commo-
disiungit. Nec solùm vota voui in prosperis: sed & confessionem tenui in aduersis.
Vnde & subdit: *Et locutum est os meum in tribulatione mea.* Sancti enim marty-
res confitebantur Christum in tormentis. Christi (inquiunt) serui sumus:
Rom. 10. Christi fidem tenemus: pro Christo mori desideramus. Hinc Paulus ait: Cor-
de creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Corde ergo te-
nenda est fides: ore propalanda est veritas. Deinde ostēdit quomodo in do-
mum Dei introeat in holocaustis: & ipsa holocausta exponit, dicens: *Holo-*
causta medullata offeram tibi cum incenso arietum. Quid est medullata? Pinguia,
suauia, plena charitate & dulcedine. Me ipsum tibi offeram, pingue sacrifi-
cium, cum incenso arietum, id est cum incensa & consumpta omni altitudi-
ne & rigore superbix. In medullis meis erit quod te diligo. Nihil enim inte-
rius medullis nostris. Ossa interiora sunt carne, medullę interiores sunt ipsis
ossibus. Quisquis ergo in superficie colit Deum, magis placere vult homini-
bus. Aliud autem intus sentiens non offert holocausta medullata. Cuius au-
tem medullam inspicit, ipsum totum accipit. Totum corpus Christi loqui-
tur hoc. Est quod offert Deo, scilicet incensum arietum. Arietes sunt duces
Acto. 8. Ecclesię. Incensum est oratio sanctorum. Maximè autem arietes orant pro
gregibus. Et bene per incensum oratio accipitur, quia ibi electorum cor di-
uino igne accenditur. Et sicut incensi fumus suauiter redolet hominibus, sic
orationis deuotio suauiter flagrat Deo. *Offeram tibi boues cum hircis.* Boues in-
uenimus triturantes, & ipsi offeruntur Deo. Apostolus de annūtiatoribus E-
uangelij dixit intelligendum quod scriptum est: Boui trituranti os non in-
1. Cor. 9. frangebis. Ergo magni illi arietes, magni illi boues. Quid illi qui fortè con-
Deut. 25. fecti sunt aliquorum peccatorum? Nunquid ipsi remanebunt, & ad holocau-
stum non pertinebunt? Ideo ne ipsi timeant, addidit & hircos. Hirci per se
Luc. 16. non saluantur, adiuncti bubus accipiuntur. Fecerunt sibi amicos de mam-
Matth. 25. mona iniquitatis, vt & ipsi recipiant eos in aterna tabernacula. Ergo tales
Dan. 4. hirci ad sinistram non erunt, quoniam eleemosynis peccata sua redemerūt.
Possunt ergo per boues figurari electorum virtutes, quibus duritia mentis
exaratur, vt habilis ad ferēdos fructus spirituales habeatur. Boues ergo Deo
offerunt, qui virtutes quas habent gratiæ ipsius humiliter ascribunt. Hircos
quoque offerre, est immundos & lasciuos motus animi domino suppliciter
confiteri. Hircos Deo offerimus, quando in nobis omnem luxuriam & pe-
tulantiam immolamus. Rursum ad alia beneficia intelligēda gentes inuitat,
dicens: *Venite,* passibus mentis: *audite,* auribus cordis, & *narrabo* (omnes qui
timetis Deum.) Si Deum non timetis, non narrabo. Non est quibus narretur,
vbi timor Dei non est. Dei timor aperiet aures, vt sit quæ intret quod narra-
turus sum. Scilicet *quanta* beneficia, præter illa quæ dicta sunt, *fecit anima mea,*
si vultis & vestra. Dedit enim vt ad eum clamarem, & clamando in corde
exultarem, &c. Et hoc est quod dicit: *Ad ipsum ore meo clamaui, & exultaui sub*
lingua mea. Hoc ipsum factum dicit animæ suæ, vt ad Deum ore suo clama-
ret. Prius enim Ecclesia de gentibus lapides adorabat atque ad simulachra
muta clamabat. Iam imago Dei conuersa est ad creatorem suum. Et qui di-
cebat

cebat lapidi: Pater meus es tu: nunc dicit Deo: Pater noster qui es in cælis. *Matth. 6.*
Ore meo (inquit) clamaui, non ore alieno. Nam quando ad lapides clama-
bant, ore alieno clamabant. Quando ad Deum clamaui, quod ipse inspira-
uit, ad ipsum ore meo clamaui. Sub lingua verò exultare, est ex clamore vo-
cis gaudium in corde concipere. Ipse est verus clamor ad Deum, scilicet af-
fectus cordis. Ipsum publicè prædicauit: ipsum in secreto confessus sum. Pa-
rum est exultare Deum lingua, sed & sub lingua: vt quod certus loqueris,
tacitus hoc cogites. Ille clamat exultanter sub lingua, quem non remordet
conscientia. Cuius autem conscientia peccatrix est, eius quoque oratio inu-
tilis est. Quod manifestè declaratur, cum subditur: *Iniquitatem si aspexi in cor-*
de meo, non exaudiet dominus. Quasi aspicitur in corde iniquitas, quādo ea men-
tis oculis placet, quando delectat, quando eam ipsa ratio approbat & amat.
Ea enim quæ diligimus, libenter aspicere solemus. Sed quia (sicut scriptum
Tit. 1. est) immundis & peccatoribus nihil est mundum: quicquid ab immundo
corde deriuatur, siue sit oratio, siue prædicatio, siue operatio, totū à Deo im-
mundum & infructuosum reputatur. Ergo non exaudiet Deus precem, cuius
ex iniquitate corruptam conspicit mentem. Noli igitur illam in corde
tuo aspicere, id est intra te diligere. Quicquid lætū promiserit, vt illiciat ad
peccandum: quicquid triste minata fuerit, vt impellat ad malefaciendum,
despici dignum est, vt calcetur: non conspici, vt acceptetur. *Propterea exaudi-*
uit Deus, & attendit voci deprecationis meæ. Quid est propterea? Quia iniquita-
tem non aspexi in corde meo. Hinc Apostolus ait: Si cor nostrum non re-
prehenderit nos, fiduciam habemus, quia quicquid postulauerimus, accipie-
1. Ioan. 3. mus. Et hoc non ex nostris meritis, sed ex gratia ipsius. Propterea hoc sub-
iunxit: *Benedictus Deus qui non amouit orationem meam, & misericordiā suam à me.*
Sic enim peruenit ad resurrectionem iste qui loquitur, vbi iam & nos spe su-
mus, & vox nostra ista est. Quādiu ergo hęc sumus, hoc oramus Deum, vt
non amoueat à nobis orationem nostram, & misericordiam suam, id est vt
perseueranter oremus nos, & perseueranter misereatur ipse. Multi tamē lan-
guescunt in orando, & cum in nouitate suæ cōuersionis feruentes sint, post-
ea frigide & negligenter securi fiunt. Pigrescit animus, interumpitur ora-
tio. Dormis tu, vigilat hostis, tentationes excrecunt. Propterea præcepit do-
minus, quia oportet semper orare, & nunquam deficere. Ergo non deficiamus
in orando, securi de promissione: quia si differt, non aufert. Et pio affe-
ctu dicamus: *Benedictus Deus qui non amouit orationem meam, & mise-*
ricordiam suam à me. Cum videris non à te amotam orationem tuam, securus
esto quia non à te amota misericordia ipsius. *Luc. 18.*

TITVLVS PSALMI LXVI.

TITVLVS sequentis psalmi est: *In finem, in hymnis psalmus cantici Dauid.*
Psalmus iste conuenit Dauid propheta, siue cuilibet fidei: qui ideo dici-
tur psalmus, quia admonet ad confessionem. Et dicitur canticum, quia no-
bis proposuit maximam exultationem de illuminatione vtriusque populi,
scilicet Iudæorum & gentium, quæ futura erat per Christū. Psalmus dico, habitus in hym-
C

nis, id est in laudibus Dei: vel in hymnis, id est inter illos qui per excellentiam vocantur hymni. Intellexit enim propheta Deum esse laudandum de illuminatione quam daturus erat mundo: de qua omnes debemus eum summo studio laudare. Hoc enim intendit admonere psalmus, qui nos dirigit in finem, id est Christum. Materiam est Christus illuminator. In prima parte precatur illuminationem. In secunda parte (qua incipit, Confiteantur tibi populi Deus) hortatur ad vtrunque confessionem, id est peccati & laudis. Et ponit causam Deum iudicem aequum. In tertia parte, qua repetit eundem versum, admonet ad eandem confessionem: sed alia de causa, scilicet quia terra prius sterilis, modo in aduentu filij dedit fructum suum. Et quia vidit esse omnia bona ex misericordia Dei, antequam dicat de illuminatione, misericordiam precatur dicens.

P S A L M V S L X V I.

DEVS misereatur nostri. Dimittendo peccata. Et benedicat nobis, id est multiplicet nos & numero & virtute: hoc videlicet ordine, ut illuminet vultum suum super nos. Id est, in superiori parte nostri, in mente nostra splendere faciat filium suum, sapientiam suam, qui est vultus & imago eius. Per filium enim representatur pater, sicut ipse ait: Qui videt me, videt & patrem. Deinde subiungit quod praemisit. Et misereatur nostri. Vtrunque est enim nobis necessarium, & vtrunque legimus scriptum. Et misericordia eius praeueniet me. Et misericordia eius subleuetur me. Prima ergo misericordia est de remissione peccatorum, de multitudine virtutum, de illuminatione sapientiae. Secunda misericordia est vel bona quae largitur Deus, ut iam in nobis conseruare dignetur. Vtrunque hortantur psalmi, ut nos benedicat Deus, & ut nos benedicamus Deum. Cum benedicit nos Deus, nos crescimus. Et cum benedicimus Deum, nos crescimus. Vtrunque nobis prodest. Prior est in nobis benedictio domini, & consequens est, ut & nos benedicamus dominum. Illa pluuia, iste fructus est: illuminet (inquit) vultum suum super nos: lumē suum nobis impressum, per nos obscuratum, & ferē extinctum est per peccatum. Ipse ergo peccatum tollat & illuminet. Mittat radium sapientiae suae. Tenebras nostras expellat, ut in nobis imago eius fulgeat. Quare conuertit se ad Dei familiarem locutionem, & dicit: Ut cognoscamus in terra viam tuam. In qua terra? In omnibus gentibus. Quam viam? Salutarem tuam, id est filium tuum, quo saluemur. Ipse enim ait: Ego sum via, veritas & vita. Ad hoc ergo miserere, ad hoc illumina, ut viam cognoscamus, per quam ad te pertingere valeamus. Attende quomodo factus est nobis Christus via. Euangelista dicat. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. In eo ergo quod Deus factus est homo, data est nobis fiducia, ut homo possit fieri Deus. Et quia nostram carnem fecit immortalem, dedit nobis certitudinem mortalem posse pertingere ad immortalitatem. Haec est via, quam ostendit nobis Deus in terra, qua gradiamur ad caelestia. Et haec est fides nostra. Confiteantur ergo tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes. Quia cognouerunt viam tuam. Confiteantur iam peccata sua. Confiteantur & laudem tuam. Et non vnus populus tantum, sed populi omnes.

Ioan. 14.

Psal. 58.

Psal. 12.

Ioan. 14.

Ioan. 1.

Phil. 3.

1. Thess. 4.

li omnes: quia ad gratiam inuitantur omnes. Prius se accusent: prius se condemnent, ut sic postmodum dignè te laudent. Quid times confiteri o homo, qui non confitendo esse non potes occultus? Damna beris tacitus, qui posses liberari confessus. Ad hoc exigit Deus confessionē, ut liberet humilem. Et quia ista confessio non ad supplicium ducit, sed ad gaudium: sequitur & dicit: Latentur & exultent gentes. Laetitia refertur ad animā: exultatio ad corpus. Cum ergo saluentur corpore & anima, latentur & exultent gentes. Et dicit quare: quia iudicas populos in aequitate. Reddendo singulis secundum merita sua. Et quia propter hoc non multum laudaretur (quia nisi misericorditer in hac vita etiam homines visitaret, omnes damnarentur) ideo adiecit: Et gentes in terra dirigit. subaudi, ut rectè viuendo ambulent. Distortae erant gentes: venit manus Dei: extenta est misericorditer. Direxit per iustitiam, quos tortuosos inuenit per culpam. Directae sunt gentes: ambulant in fide, gaudentes in Deo suo, pia opera facientes. Repetit ergo eundem versum in exhortatione, quam praemisit: sed aliam causam subdit. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Audi causam. Terra dedit fructum suum. Terra quae prius maledicta erat, & proferebat spinas & tribulos (in maledictione quae dixit Deus Adā: Maledicta terra in opere tuo) facta est fructificans dando fructum suum, id est conuenientia opera sua. Omnis terra erat spinis plena. Accessit eradicantis manus: accessit vocatio maiestatis eius & misericordiae. Cepit terra confiteri. Iam dat terra fructum suum. Fecit enim Deus quod subiunctū est. Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terrae. Etiam atque multipliciter benedicendo. Benedictio enim in multiplicatione solet maximè & propriè intelligi: quod in Genesi manifestum est. Nam quod fecit Deus lucem, & diuisit à tenebris: & fecit firmamentum, & discreuit mare ab arida: nusquam ibi dictū est: Benedixit Deus. Ventum est ad ea quae foecunditatis habitura erant semen: & benedixit, dicens eis: Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris: auesque multiplicentur super terram. Similiter & homini benedicens ait: Crescite & multiplicamini, & replete faciem terrae. Patet itaque quia in benedictione multiplicatio intelligitur. Et notandum quod cum tertio diceret Deus, non ait: Metuant eos, sed eum. In quo euidenter trinitas est declarata, quae trina in personis, & vna creditur in substantia. Et metuant (inquit) eum omnes fines terrae. Sic abundanter in nomine Christi benedicat nos Deus, ut filiis suis impleat vniuersam faciem terrae, adoptatis in regnum suum, cohæredibus vnigeniti filij sui. Bene autem ait: Et metuant eum, quia nulla in hoc mundo vera securitas. Beatus homo qui semper est pauidus. Nescit homo diem, neque horam, quando transeat. Nescit vtrum odio an amore dignus sit. Timeamus ergo Deum. Timeamus iudicium eius: ut postea securi esse valeamus.

Eccles. 17.

Mat. 16.

Gen. 3.

Gene. 1.

Genes. 1.

1. Ioan. 5.

Gal. 4.

Prou. 28.

Mat. 25.

Eccles. 9.

RUFFINI PRESB. IN
TITVLVS PSALMI LXVII.

EQVITVR titulus psalmi sequentis. In finem, psalmus cantici David. Psalmus iste qui est designatus canticum & maxima exultationis, attribuitur David propheta qui hic loquitur attendenti in finem, id est in Christum: vel consideranti ea quae in fine temporum erant ventura. Psalmus iste ideo est canticum, quia tale quid vnde nobis exultandum est, proponit: quia repraesentat mysterium nostrae reparationis. Est namque psalmus iste refertus Evangelicis sacramentis. Loquitur enim de passione, ubi dicitur: Domini domini exitus mortis. De resurrectione, ubi dicitur: Exurgat Deus. De ascensione, ubi dicitur: Ascendisti in altum. De emissionem spiritus sancti, ubi dicitur: Confirma Deus hoc quos operatus es in nobis. De incarnatione, ubi dicitur: Acceda Deus virtuti tuae. Quae omnia debent nobis esse cantica & exultatio. Materia est Christus exaltatus, & exaltans Ecclesiam. Intentio est nos admonere ad Christi exaltationem, ut cantemus Christo, & exaltemus eum. Haec quidem intentio notatur in psalmo in pluribus locis. Inuitat propheta omnes futuros filios Ecclesiae, ut attendentes beneficia, quae eis attribuentur per Christi passionem & resurrectionem, & c. ne in vacuum gratiam Dei recipiant, ne ingrati sint. Sed gratiam quae eis per haec mysteria data est, quam maxime celebrent voce & opere, & in eadem gratia sicut versus finem psalmi subinfertur: Regna terra cantate Deo omnimoda iocunditate in domino exultent. Et notandum quod, sicut saepe dictum est, ut magis affectum suum more prophético exprimat, loquitur in psalmi principio sub figura optantis: tamen iuxta sententiam enunciatiuae orationis, sic incipiens.

PSALMVS LXVII.

IRVIGAT Deus, & dissipantur inimici eius. Iam factum est. Surrexit Christus, & dissipati sunt inimici eius per omnes gentes. Iudaei in eo ipso loco, ubi inimicitias exercuerunt, debellati sunt, atque inde per cuncta dispersi. Et nunc oderunt, sed metuunt: & ipso metu faciunt quod sequitur. *Et fugiant qui oderunt eum à facie eius.* Fuga quippe animi est timor. Nam carnali fuga quò fugiunt à facie eius qui ubique est praesens? Quò ibo (inquit) à spiritu tuo? Et quò à facie tua fugiam? Animo ergo, non corpore fugiunt: timendo potius quam latendo. Nec ab ea facie quam non vident, sed ab ea quam coguntur ut videant. Facies quippe eius appellata est praesentia eius per Ecclesiam eius. Fugiant ergo à facie eius. Timeant à praesentia sanctorum & fidelium eius. Siue à facie eius fugiant, sicut scriptum est: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. De quibus adhuc subditur: *Sicut deficit fumus, deficiant.* Extulerunt enim se ab ignibus odiorum suorum, in superbia cumulum: & ponentes in caelum os suum, atque clamantes Crucifige crucifige eum, quasi victores tumuerunt: sed mox victi evanuerunt. Est autem proprium superbiorum, ut deficiant sicut fumus. Sicut enim fumus procedit ab igne: sic exaltatio eorum procedit ab ardore concupiscentiae. Et sicut fumus quò magis ascendit, tào magis evanescit. Sic superbus quo plus exaltatur in elatione, eo amplius deficit à veritate. Adhuc quoque poenam eorum exaggerat, cum subiungit: *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie domini.* Quòuis fortasse eos hoc loco significauerit, quorum durtia

PSALMVM LXVII. COMMENT. 153

durtia impoenitentiae lachrymis soluitur. Tamen etiam aliud intelligi potest, ut futurum iudicium comminetur. Nam quia in hoc seculo, sicut fumus se extollendo defecerunt: veniet illis in fine extrema damnatio, ut à Dei facie, id est praesentia pereant in aeternum, cum ipse praesentatus fuerit in sua claritate, velut ignis ad poenam malorum, lumenque bonorum. Peribunt quippe peccatores: non ut prorsus deficiant à substantia, sed sicut à facie ignis fluit cera, sic à terrore districti iudicis dissolventur in conscientia. Postquam ostendit de Christi exaltatione quid contingat malis, consequenter insinuat quid de eadem proveniat bonis, dicens: *Et iusti epulentur*, id est reficiantur ipso scilicet Deo, qui erit omnia in omnibus. *Et exultent in conspectu Dei.* Non enim erit exultationis huius tanquam coram hominibus vlla inanis iactantia, sed in conspectu eius qui sine errore inspicit quod donavit. Vel exultabunt iusti in conspectu Dei, quia ipsum facie ad faciem videbunt. Vnde ad huc rectè subditur: *Et delectentur in laetitia.* Tunc quidem laetitia delectabilis erit, quando timor & sollicitudo omnis exclusa fuerit, quando aeterna permanebit securitas & securus aeternitas. Deinde se ad ipsos conuertit, quibus tantam spem dedit. Et hic viuentes alloquitur & hortatur. *Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius.* Admonet ut ea quae dicuntur, opere compleantur. Discreuerunt quidam inter canticum & psalmum, ut quoniam canticum ore profertur, psalmus autè adhibito visibili organo, id est psalterio canitur: per canticum significari videantur intelligentiae mentis, per psalmum verò opera corporis. Ita ergo quidam discreuerunt, ut Cantate Deo dictum videatur, quia quae in seipsa mens agit, Deo nota sunt, sed ab hominibus non videntur. Opera verò bona quoniam ideo videnda sunt ab hominibus, ut glorificent patrem nostrum qui in caelis est: merito dictum sit: Psallite nomini, id est diffamationi eius, ut laudabiliter nominetur. Cantate Deo, qui viuit Deo. Psallite nomini eius, qui operatur in gloriam eius. Ita cantate Deo: ita psallite Deo, id est sic viuendo, sic operando. Et etiam iter facite ei. Id est corda auditorum praedicando ei aperite. *Qui*, id est ipse cui viam parare debetis, *Ascendit super occasum.* Vicit mortem, sicut per prophetam suum ait: Ero mors tua o mors. Iter facite Christo, ut per speciosos pedes euangelizantium, peruia sint ei corda credentium. Ipse enim ascendit super occasum, cum resurgendo vicit corporis casum. Illi etiam iter faciunt Christo, qui à prauis cogitationibus corda mudant, & ea fide & bonis moribus atque virtutibus ornant. Quod ubi factum fuit, domus pudici pectoris templum repente fit Dei. Et debetis ei iter facere, quia *dominus nomen est illi.* Hoc nomen quod est Dominus, specialiter ei congruit: quia ipse per se dominatur: & nemo potest dominari, nisi per ipsum. Et quia opus bonum & praedicatio Dei etiam cum alacritate debet fieri, rectè subiunctum est: *Exultate in conspectu eius.* Dum enim facitis iter ei, dum praeparatis quò veniat gètesque possideat, multam passuri estis in conspectu hominum tristitiam. Sed vos non solum nolite deficere, sed etiam exultate, non in conspectu hominum, sed in conspectu Dei: Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Illi autem qui vos modò turbant, postmodum turbabuntur à facie eius. Audituri enim sunt in iudicio: Ite in

ignem æternum. *Turbabuntur à facie eius.* Cuius eius? *Patris orphanorum, & iudicis viduarum.* A facie iusti & veri Dei, qui turbat impios, vt seuera potestas: colligit viduas & orphanos, vt pius pater. Beati orphani & viduæ, qui talem patrem habent & iudicem. Hi autem sunt illi orphani & viduæ, quibus diabolus pater & maritus mortuus est. Ipsi sunt qui dicunt: Quoniã pater meus & mater mea dereliquerunt me, dominus autem assumpsit me. De his orphanis & viduis, id est spei secularis societate destitutis, dominus sibi templum fabricat, de quo consequenter dicit: *Deus in loco sancto suo.* Quem locũ euiden-
Psal. 26. rius ostendit, cum subdit: *Deus qui inhabitare facit,* plures homines, *Unius moris in domo,* id est vnus voluntatis secundum fidem & charitatẽ in vna Ecclesia. Hi sunt, de quibus legitur. Erat eis cor vnum & anima vna. Vnius quidẽ moris sunt, quorum propositum non mutatur in diuersa. In talibus est Deus, tanquam in loco sancto suo. Nam sicut in magna hominis domo, non in quali-
Acto. 4. cunq; loco requiescit dominus eius, sed aliquo vtiq; secretiore & honoratiore loco: sic Deus non in omnibus habitat, sed in his tantũ qui vnus moris sunt, qui vnanimiter & concorditer viuunt. Nec hoc suis viribus debent ascribere, quia non sunt ipsi qui faciunt: sed Deus hoc per eos facit, qui inhabitare facit vnus moris in domo: cuius adhuc gratia magis commendatur, cum subinfertur: *Qui educit victos in fortitudine.* Victum enim tenebat hostis antiquus genus humanum, quod sua quidem fortitudine dominus liberauit. Victi in inferno & Patriarche & prophete detinebantur, quos magna
Acto. 12. secum virtute eduxit. Victus erat Petrus, quem ex Herodis carceribus extraxit. Soluit & graua vincula peccatorum, quibus impediabantur ne ambularent in via præceptorum. *Similiter eos qui exasperant,* id est ita fortiter & potenter educit alios, qui resistendo iustitiã Deum ad iram prouocant. *Qui habitant in sepulchris.* Id est consentiunt voluptatibus carnis: quæ caro est sepulchrum animæ, quia ibi anima carni consentiens putrescit, sicut caro in sepulchro. Illi compediti forsitan volunt, nec ambulare possunt: deumq; deprecantur, vt possint: eiq; dicunt: De necessitatibus meis erue me. A quo exauditi gratias agunt, dicentes: Dirupisti vincula mea. Illi autem exasperantes, qui habitant in sepulchris, in eo genere sunt, quod alio loco scriptura significat, dicens: *A mortuo veluti qui non sit, perit confessio.* Vnde est & illud: Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit. Aliud est enim desiderare, aliud oppugnare iustitiã, aliud à malo velle liberari, aliud mala sua defendere, potius quàm fateri: vtrosque tamen gratia Christi educit in fortitudine. Qua fortitudine, nisi vt aduersus peccatum vsque ad sanguinem certent? Ex vtroque enim genere fiunt idonei, quibus constituitur locus sanctus eius. Illi soluti, illi resuscitati. Et hoc quod modò spiritualiter adimpletur, prius figuratiter ostendebatur. Quomodo? sequitur, & dicit: *Deus cum egredereris in conspectu populi tui,* per columnam nubis in die, & per splendorem ignis in nocte. *Cum pertransires in deserto.* Ducendo populum tuum per desertum. *Terra mota est.* Moueri enim videbatur mons Sina.
Exod. 13. *Etenim celi distillauerunt manna.* *A facie Dei Sinai.* Id est, Dei habitantis in illo

illo monte. *A facie Dei Israel.* Id est, Dei cuius erat populus Israel. Tu qui tanta miracula tunc fecisti, facies quoque quod subiunctum est: *Pluuiam voluntariam segregabis, Deus, hereditati tuæ, & infirmata est. Tu vero perfecisti eam.* Sed iam mysteriorum secreta domino reuelante videamus. Egressus eius intelligitur, cum apparet in operibus suis. Apparet autem non omnibus, sed eis qui nouerunt opera eius intueri. Non enim ea opera nunc dico, quæ conspicua sunt omnibus, hoc est, cælum, terram, mare, & vniuersa quæ in eis sunt. Sed opera quibus educit in fortitudine compeditos: similiter exasperantes, qui habitant in sepulchris: & facit eos vnus moris in domo. Sic egredietur coram populo suo, id est, coram eis, qui istam gratiam eius intelligunt. Denique sequitur, Dum transires in deserto, terra mota est. Desertum erant gentes, quæ ignorabant Deum. Desertum erat, vbi lex nulla ab ipso Deo data erat, vbi nulli prophete habitauerant, qui dominum venturum esse prædixerant. *Cum ergo transires in deserto.* Cum prædicaretis in gentibus, terra mota est: terreni homines ad fidem excitati sunt. Sed vnde mota est? *Etenim celi distillauerunt à facie Dei Sinai.* Etenim vt terra mota esset ad fidem, cum in deserto gentium transiret Euangelium, celi distillauerunt à facie Dei. Hi sunt celi de quibus in alio psalmo cantatur: Celi enarrant gloriam Dei. De his quippe paulò post ibi dicitur: Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Non autem celi à seipsis distillauerunt: sed à facie Dei Sinai, id est, Dei inhabitantis eos, sicut habitat in monte Sina. Ipsi sunt montes de quibus dicitur: *Leuaui oculos meos in montes.* Et iterum: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Et ipse est Deus Israel, id est, populi videntis Deum. Et sicut celi distillauerunt manna: sic tu Deus pluuiam voluntariam, id est, gratuitam gratiam, segregabis hereditati tuæ, id est, segregatim dabis Ecclesiæ tuæ. Pluuiam voluntariam meritò gratia Dei intelligitur, quia nullis præcedentibus meritis gratis datur. Si enim gratia, iam nõ ex operibus: alioquin gratia iam nõ est gratia. Hæc pluuiam voluntaria genuit nos verbo veritatis. Hanc pluuiam segregauit Deus hereditati suæ, *Et infirmata est.* Agnoui enim non se esse aliquid per seipsam, non viribus suis, sed gratiæ Dei tribuendum esse quod est. Agnoui quod dictum est: *In infirmitatibus meis gloriabor.* Et iterum: *Noli altum sapere, sed time.* Ipsa infirmata est. *Tu vero perfecisti eam,* quia virtus in infirmitate perficitur. Infirmata est in se, vt perficiatur in te. *Animalia tua habitabunt in ea.* In hac hereditate animalia inhabitant, quia inter sanctam Ecclesiam mites & mansueti (quibus iugum Dei suaue est, & onus eius leue) humiliter viuendo perseverant. Siue animalia Dei doctores & prælati Ecclesiæ possunt intelligi, qui in hac hereditate inhabitant: atque super se aliorum onera compatiendo portant. Ibi scripturis sacris tanquam fœno quodam spirituali nutriuntur, & cælesti fonte sanctoque spiritu imbuntur. Et bene cum ait, *Animalia, subiunxit, Tua, id est, tibi subdita, non sibi libera.* Et hanc pluuiam *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.*
Psal. 18.
Psal. 120.
Psal. 75.
Exod. 16.
Rom. 11.
Iaco. 1.
2. Corin. 12.
Rom. 11.
2. Corin. 12.
Matth. 11.
Galat. 6.

Gratiam tuam humili contulisti, non ex suis meritis, sed ex sola dulcedine tuæ charitatis. Quia dilexisti pauperes, ideo eos tua gratia ditasti. Et aptè ait, In dulcedine tua. Quid enim dulcius charitate? Opus autem gratiæ non ex timore pœnæ perficitur, sed ex amore iustitiæ. Deinde ostēdit parationes quas pauperi suo Deus fecit. Ait enim: *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.* Ego (inquit) dabo vobis os & sapientiā, cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri. Et iterum: Aperi os tuum, & implebo illud. Hæc sunt cibaria quæ suis animalibus in sua hereditate largitur Deus. Quæ quantum dulcedinis habeāt, vnū ex his animalibus insinuat, vbi ait: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Euangelizantibus (inquit) virtute multa, hoc est in constantia magna. Occidi enim possunt, sed flecti nequeunt. Audi virtutem euangelizantium. Quis (inquiunt) nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Scimus quia neque mors, neque vita, neque creatura aliqua poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Quia dominus dabit verbum euangelizantibus. *Rex virtutum dilecti dilecti.* Id est, Deus pater, qui est rex virtutum. Quæ virtutes sunt dilecti dilecti, id est filij sui. Dilectus enim quando non ponitur quis dilectus antonomasticè filius vnicus intelligitur. Quòd autem dicit Dilecti dilecti, ipsum nomen replicat loco pronominis: ac si dicat dilecti sui. Talis locutio in scriptura diuina frequenter inuenitur, vt est illud: Fecit Moyses sicut præcepit dominus Moyli, id est, sibi: vel ita potest legi: Tu dicis virtutum dilecti: Cuius dilecti? omnino, inquit, & super omnia sempèrque dilecti. De quo dicit ipse pater: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Huius quidem dilecti sunt virtutes omnes. Et ipse est Dei virtus & sapientia. Et quisquis fortis est, per Christum est fortis. Sed quia filius nihil habet à se, nisi à patre, merito Deus pater rex dicitur virtutum dilecti filij sui. Cui dicit ipse dilectus: Omnia mea tua sunt. Et iterum: Ego à me facio nihil. Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Cum itaq; dixisset, Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa: quia ipsa virtus ab eo regitur, eiq; militat à quo datur. Ipse (inquit) dominus est rex virtutum dilecti, deinde sequitur: *Et speciei domus diuidere spolia.* Ac si diceretur: Dilecti etiam Christi, diuidendo illi spolia, speciosam quippe domū, id est, Ecclesiā Christus fecit, diuidēdo illi spolia, sicut speciosum est corpus distributione mēbrorum. Spolia porrò dicuntur, quæ victis hostibus detrahuntur. Hoc quid sit Euāgelium nos admonet, vbi legimus: Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma auferet in quibus cōfidebat, & spolia eius distribuet. Fortis armatus diabolus est, qui hunc mundum possidebat. Sed Christus eo fortior superueniens ipsum deuicit: arma abstulit, spolia distribuit. Hæc vasa Dominus mundans remissione peccatorum. Hæc spolia sanctificans hosti erepta prostrato atque alligato, diuisit ea speciei domus suæ, alios cōstituens Apostolos, alios prophetas, alios pastores & doctores, in opus ministerij, in ædificationē corporis Christi. Sicut enim corpus

corpus vnum est, & membra habet multa: omnia autem corporis membra cū sint multa, vnum corpus est. Sic & Christus. Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes prophetae? Nunquid omnes virtutes? Nūquid omnes dona habent curationum? Nunquid omnes linguis loquuntur? Nunquid omnes interpretantur? Omnia autem hæc operatur vnus atq; idē spiritus, diuidens propria vniciq; prout vult. Hæc est species domus, cui diuiduntur spolia: vt amator eius hac pulchritudine accensus, exclamet: Domine dilexi decorē domus tuæ. Iam in eo quod sequitur, se ad ipsa mēbra, de quibus fit species domus alloquendo cōuertit, dicens: *Si dormiatis inter medios cleros.* O vos qui tamquā spolia speciei domus diuidimini, si dormiatis, id est, si à strepitu seculi remoti quiescatis inter duo testamenta, quæ media, id est, cōmunia habetis vtriq; pareatis, scilicet vt hoc quod per figurā dictū est in priori, in secundo spiritualiter impletū esse intelligatis: eritis *Penna colūba de argentata.* Id est, ornamentū & exaltatio Ecclesiæ. Quia sicut colūba per pennas sublimatur, ita Ecclesiā per vestras prædicationes ad cælestia exaltabitur. Sancta Ecclesiā meritò dicitur colūba, quia fel amaritudinis nō habet: & quia virtute implicitatis pollet, de qua alibi dictū est: Vna est colūba mea. De argentata est autem, quia diuinis eloquiis erudita. Eloquia nanq; domini in alio loco deuntur argentū igne examinatū, terræ purgatū septuplū. Si ergo istis clenis duo testamenta significantur: quid aliud admonemur, nisi vt ea testamēta inter se consentire, non repugnare nouerimus, sed intelligendo acquiescamus? nosq; simus eorum concordia signū atque documentum, cū alterum aduersus alterum nihil dixisse sentimus, & cum pacifica admiratione quasi extasis sopore mōstramur. Per cleros ideo diuinam scripturam intelligimus, quia Cleros Græce interpretatur fors Latinè. Diuinam autem scripturam nullo humano habuimus arbitrio, sed sola sorte, id est, sola Dei electione. Alius hinc occurrit sensus fortè anteponēdus, vt cleros multo probabilius ipsas hereditates intelligamus: vt quoniā hereditas veteris testamenti est terrena fœlicitas, hereditas verò noui testamenti est terrena immortalitas: dormire sit inter medios cleros, nec illam quærere ardentè, & adhuc istā expectare patienter. Nam qui Deo propterea seruiunt, vel potius seruire nolunt: dum quærunt in hac vita fœlicitatē, ablati sunt somnus ab eis, & non dormiunt. Flammātibus enim cupiditatibus agitati in flagitia & facinora propelluntur: nec omnino quiescunt desiderando, vt acquirant: metuendo ne amittant. Qui autem me audit (ait Sapientia) habitabit in spe, & requiescet sine timore ab omni vanitate. Hoc est (quantum mihi videtur) dormire inter medios cleros, id est, inter medias hereditates, nondum in re, sed tamen in cælestis hereditatis spe habitare: & à terrenæ fœlicitatis iam cupiditate conuiescere. Cū autem venerit, quod speramus: non iam inter duas hereditates requiescimus, sed in noua & vera, cuius verus erat vmbra, regnabimus. Et quia tam bene dormierant Apostoli, eis velut pennis nunc volitat, & laudibus exaltatur Ecclesiā. Quorum exemplo dum sic etiam ceteri dormiunt, adduntur pennæ quibus vsq; in finem seculi sublimiter prædicetur: *Et posteriora dorsi eius in pallore auri erunt, id est, in nitore sapientiæ.* Per

1. Corin. 12.

Ibidem.
Psal. 25.Cant. 6.
Psal. 11.

Prover. 1.

Per quem nitorem intelligimus charitatē. Calor enim sapientiæ diuinæ est charitas. Sed quare à dorso, & non à pectore? An quia ibi sunt quodāmodo radices alarū? Charitas autē omnia suffert. Et scriptū est: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Vel aliter: Quid sunt iſæ alæ, niſi duo præcepta charitatis, in quibus tota lex pēdet & prophete? Quid ipſa farina leuis, niſi ipſa charitas, quæ in iſtis duobus præceptis impletur? Quicquid enim difficile est in præcepto, leue est amanti. Nec ob aliud intelligitur rectè dictū, Onus meū leue est: niſi quia dat ſpiritū ſanctum, per quē datur charitas in cordibus noſtris: vt amando liberaliter, faciamus quod imēdo qui facit, ſeruiler facit. Poſteriora ergo dorſi eius in pallore auri ſunt, quia quicquid portat Eccleſia, quicquid tolerat: totū in amore facit, totū in ſapientia, totū in hilaritate. Corde eſt ſimplex, verbo lucida, opere præclara. Quamdiu hoc facit, determinat tempus, dicens: *Dum diſcernit caeleſti reges ſuper eam.* Id eſt, quamdiu filius Dei ordinat & conſtituit ſanctos & prælitos, qui bene regant & ſe & alios ſuper eam, videlicet columbā. Quis eſt iſte celeſtis, niſi ille qui aſcēdit ſuper omnes cælos, vt impletet omnia? Et quicquid aliud reges diſcernere ſuper eam, niſi in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti præparare? Dicuntur etiam illi reges utiq; à regēdo & quid magis quā carnis concupiſcentias? ne regnet peccatū in eorū mortali corpore ad obediendum deſiderijs eius: nec exhibeant mēbra ſua arma iniquitatis peccato, ſed exhibeant ſe Deo tanquam ex mortuis viuentes: & mēbra ſua arma iuſtiæ Deo. Sic enim erunt reges primitus diſcreti ab alienigenis, quia non ſunt iugum ducentes cum infidelibus, Deinde diſcreti inter ſe cōcorditer muneribus proprijs: vt autē diſcernantur, *Niue dealbabuntur in Selmon.* Accipiet remiſſionē peccatorū ab illo, qui ait: Si fuerint peccata veſtra ſicut coccinū tanquā nix dealbabuntur. Bene ergo ait, In Selmon, quod interpretatur vmbra, id eſt, in Chriſto. Conſtat autē vmbra ex lumine & corpore. Illud lumē verū, quod verbū erat in principio apud Deū, vt quaſi vmbra fieret nobis, verbū caro factū eſt, & habitauit in nobis. Deo ſcilicet homo tanquā lumini corpus acceſſit, & in eum credētes vmbra protectionis operuit. Niue igitur in Selmon dealbantur, qui per gratiā quæ in Chriſto eſt, à peccatorum maculis mundantur. Selmon dico, *Mons Dei, mons pinguis.* Chriſtus enim prærogatiuē dicitur Mons Dei patris, per eminentiam Deitatis. Intantum autē pinguis, vt in eo corporaliter habitaret omnis plenitudo diuinitatis. Nec ſolum in ſe pinguis extitit, ſed & de ſe alios impinguauit. Vnde & ſubditur: *Mons coagulatus.* ſecundum illos, quos lacte nutrit. *Mons pinguis.* ſecundū maiores quos per vberiorē dulcedinē ſuæ ſapientiæ reficit. Nam & ipſum lac vnde fit caſeus, miro modo ſignificat gratiā. Manat quippe ex abundantia viſcerū maternorū, & miſericordia delectabili paruulis infunditur gratis. Et quia nonnulli de Chriſto dubitauerunt, & quosdam ſanctos illi coequales in gratia crediderunt: redarguit eos de errore, cū ſubiungit: *Ut quid ſuſpicamini motes coagulatos?* Nam & cæteri ſancti motes Dei dicti ſunt. Nec detuerunt qui eū dicerent, alij Ioannē baptiſtā, alij autē Heliā, alij verō Ieremiā, aut vnū ex prophetis. Ad quorū errorē cōpeſcendum aliā excellentiam

1. Corint. 13.
Galat. 6.

Ad Gal. 22.

Ad Gal. 11.
Rom. 5.

2. Corint. 9.

Ephes. 4.

3. Corint. 12

Rom. 6.

2. Corint. 6.

Eccl. 1.

Ioan. 1.

Ibidem.

Colof. 2.

2. Corint. 3.

1. Pet. 1.

Matth. 16.

lentiam adhuc inſinuat, in quo hunc ſanctū montē ab alijs montibus ſanctis differre probat. Ait ergo: *Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo.* Deo patri placuit habitare in iſto monte, qui paratus eſt in cacumine montium, cui dicit: Tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Nec habitat Deus in eo per particularem gratiam, ſicut in cæteris ſanctis, ſive ad tempus. Et hoc probat, cū ſubdit: *Etenim dominus habitabit in ſinem.* Id eſt, in perfectionem habitationis. Intantum habitabit in eo, vt plus habitare non poſſit: ſcilicet in vnitatem perſonæ, & æqualitate potentia. Non quia in alijs non habitat, ſed quia in alijs per ipſum. In ipſo quippe habitat omnis plenitudo diuinitatis: nō vmbraſiter, ſicut in tēplo à Salomone factō, ſed corporaliter & ſolidè atq; veraciter: quoniā Deus erat in Chriſto mundū reconciliās ſibi. Vel ideo dicit, Dominus habitabit in ſine: quia hoc melius manifeſtabitur in fine, quādo in ſua apparebit maiestate & æqualitate. Vel dominus Ieſus Chriſtus habitabit in ſanctis ſuis, perducēs in finē, hoc eſt in ſeipſum. Finis enim legis Chriſtus ad iuſtiā omni credenti. Poſtquā oſtēdit altitudinē Chriſti, cōſequenter inſinuat quid inde ſuæ Eccleſiæ proueniat. Ac ſi dicatur: Ecce mōs magnus atq; incōparabilis dominus Ieſus: quid erunt illi, qui putabatur motes coagulati? *Currus Dei,* inquit, erunt. Et ne pauci æſtimetur, adiungit, *Decē millibus multiplex millia lætantium.* Quis enim auriga? Dominus in eis, inquit. Vbi? in Sinai in ſancto. Ingentē itaq; multitudinē ſanctorū atque fidelium, qui portando Deū ſunt quodāmodo currus Dei, ſignificauit hoc nomine, ponens finitū pro infinito. Hæc inhabitatio & regēdo ſicut bonus auriga perducit in finē, tanquā currū ſuū, velut in locū aliquē deſtinatū. In eo autē quod multiplex in decē millibus dicitur, perfectio doctrinæ cōmendatur: quia decē propter decalogū ſignificat doctrinā, mille, quia perfectus eſt numerus, designat perfectionem. Currus ergo Dei multiplex in decem millibus exiſtit: quia numerus ſanctorum ſecundum decem præcepta legis multipliciter & perfectè viuunt. Mirificè autem cū dixiſſet, *Millia lætantium,* continuo ſubiicit: *Dominus in illis.* Ne miremur quod lætentur: dominus enim in illis. Ideo etſi ſunt quaſi tristes, ſemper tamen gaudentes. Nec iam ipſo fine, quō nondum venerunt: ſed ſpe ſunt gaudentes, in tribulatione patientes. Quoniam *Dominus in illis in Sinai in ſancto.* Id eſt, in mandato. Sinai enim interpretatur mandatum. Et Apoſtolus dicit: Quia lex quidem ſancta, & mandatum bonum & ſanctum. Sed quid prodeſſet mandatum, niſi Dominus ibi eſſet? de quo dicitur: Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. Itaque Dominus in eis, in mandato adiuuans eos, vt faciant mandatum. Quomodo in eis? Charitas enim Dei diſuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis: & hæc eſt qua mandatum impletur, & ideo millia lætantur. Quomodo hoc factū eſt? Cōuertit ad ipſum qui fecit, & quomodo ſit factū, nobis oſtendit, dicens: *Aſcendiſti in altum,* id eſt, in cælum reſurgendo. *Cepiſti captiuitatē.* Id eſt, genus humanū quod diabolus captiuauerat per peccatū, redemiſti. *Accepiſti dona in hominibus:* ſicut alibi dicitur: Et dabo tibi gentes hæreditatē tuā, & poſſeſſionē tuam terminos terræ. A domino Deo

Matth. 3.
& 17.
Luc. 3.

Ioan. 10.
& 14.
Colof. 2.
3. Reg. 9.
2 Paral. 7.

2 Corint. 5.

Matth. 25.
Rom. 10.

2. Corint. 6.
Rom. 12.

Rom. 7.

Philip. 1.

Rom. 5.

Marc. 16.
Ephes. 4.

Pſal. 2.

noſtro

nostro capta est nostra captiuitas, vt fieret libertas. Hinc Petro dictum est: Ex hoc iam homines eris capiens. Capti ergo sumus quia subiugati: subleue illud iugum missi, liberati à peccato, cuius serui eramus, & iustitię serui facti, cuius liberi fuimus. Vnde & ipse in illis est, qui dedit dona hominibus, & *Accepit dona in hominibus*: Ideo quę in ista captiuatione, in isto cursu, sub isto iugo non sunt millia plorantium, sed millia letantium. Dominus quippe in illis in Sinai, in sancto. Et verè erant captiuitas, quos tu accepisti: *Etenim non credetes, inhabitare dominũ Deũ*. Non credetes ipsi sũt captiuitas. Non credẽdo enim possidebantur à diabolo, qui operatur in filiis diffidentię. In quibus & vos (inquit) fuitis aliquando, cum viueretis in eis. Fides eos inde liberauit, vt iam credentes inhabitentur à Deo, facti domus Dei, & currus Dei millium letantium. Vnde qui hæc canebat, in spiritu ea præuidens, impletus & ipse lætitia eructauit hymnum, dicens: *Benedictus dominus die quotidie*. Id est, assidue vsque in finem. Et quoniam currum illum duci vidit in æternum. sequitur & dicit: *Prosperum iter faciet nobis, Deus salutarium nostrorum*. Omnia enim cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti: & non permittit eos tentari supra quàm ferre possunt, sed facit etiam ex tentatione prouentum. Propterea enim rectè dicitur salutarium Deus, quia iter nostrum dirigit ad salutem, atque intantum prosperum facit, vt de hoc mundo faciat transire ad patrem, & fiat quod ipse dominus ait: *Volo vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum*. Quis est iste Deus? Sequitur & dicit: *Deus noster Deus saluos facienti*. Multum gratia commendatur. Quis enim saluus esset, nisi ipse sanaret? Sed vt occurreret cogitationi: cur ergo morimur, si per eius gratiam salui facti sumus? continuo subiicit: *¶ domini domini exitus mortis*. Tanquam diceret: Quid indignaris humana conditio, te habere exitum mortis? & domini tui exitus non alius, quàm mortis fuit. Potius ergo consolare, quàm indigneris. Patienter ergo etiam ipsam mortem feramus, illius exemplo, qui licet peccato nullo esset debitor mortis & dominus esset, à quo nemo animam tolleret, sed eam ipse à temetipso poneret, etiam ipsius fuit exitus mortis. Sed quamuis humilis moreretur, tamen condemnabit superbos. Et hoc est quod subdit: *Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum*. Capita confringere, est superbas mentes humiliare. Iuxta quod scriptum est: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur*. Confringet etiam *Verticem capilli* id est, relationẽ cogitationis *perambulantium in delictis suis*. id est, perseuerantium in peccatis. Cõtracta sunt etiam inimicorum capita, id est, dominationes & imperium infidelium, & quotidie frangitur: vt vni capiti Christo totus mundus subiiciatur. Vel per capita possunt intelligi capitalia, id est, criminalia peccata. Per verticem verò capilli minuta & venialia valent designari. In quibus quisquis delectando ita perambulat, vt corrigendo dum viuit, non finiat: ipse Deus post mortem non minutus in deitate, confringet & destruet eum districti iudicij sui animaduersione. Per capillos ideo cogitationes accipimus, quia sicut capilli adhærent capiti, sic cogitationes menti. Bonæ autem cogitationes ornant mentem: malæ deturpant. Quosdam confringet, quosdam ad se cõuertet: ita quòd alios faciat marty

martyres, alios verò prædicatores. Et ad hoc confirmandum introducit dominum loquentem sic: *Dixit dominus*, Id est, firmiter disposuit: *Ex Basan conuertam in profundum maris*. Basan interpretatur confusio. Et ex confusione peccati fit conuersio ad Deum. Inde est quòd publicanus nec audebat oculos ad cælum leuare. Ita se considerans confundebatur, sed descendit iustificatus. Item Basan interpretatur siccitas. Talis erat anima quæ dicebat: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*. Et beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Deinde quid profundum maris, nisi profundam malitiam significat peccatoris? Vnde scriptum est: *Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit*. In profundum maris peccator conuertitur, quando ad propriam conscientiam domino impellente retruditur, vt mala quæ gessit, recogitet, atque ea pœnitendo deploret. Hinc est quòd Deo dicitur à quodam pœnitente: *Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ*. Tunc quippe est vera conuersio quando animæ fit amarum, hoc quod antè fuerat dulce peccatum. Conuertit ergo Deus in profundum ad eos quosque liberandos, qui erant desperatissimi peccatores. Quæ conuersio quàm perfecta sit, insinuat cum subiungit: *Ut intinguatur pes tuus in sanguine*. Vnusquisque prædicator dum deambulando verbum Dei annuntiat, in membris Christi pedis officium seruat. Vnde scriptum est: *Quàm speciosi pedes eorum qui annuntiant pacem, qui annuntiant bona!* Talis pes erat Paulus, cum diceret: *Non solũ aligari, sed & mori paratus sum pro nomine Iesu*. Pes ergo Dei in sanguine intingitur, quando prædicator Christi pro fide Euāgelica coloratur martyrio. Deinde adiungit: *Lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso*. Eos ipsos qui vsq; ad sanguinem fuerat certaturi, etiam canes vocat: non detestabiles, sed laudabiles: domino suo fidem seruantes, & pro eius domo contra inimicos latrantes. Non enim tantummodo canum dixit, sed *Canum tuorum*: nec eorũ dentes, sed lingua laudata est. Quos propheta ex inimicis futuros esse prædixit, per illã scilicet conuersione, de qua superius loquebatur. Ex inimicis ergo fecit misericors Deus amicos suos: vt qui erant blasphemantes, postmodum fierent prædicantes: & qui Christũ persequebatur, deinde pro Christo morerentur. Et veluti quæreretur vnde hoc illis tantum bonum? continuo responsum est: *Ab ipso, subaudis Deo*. Nam quando id possent à seipsis? Etenim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem ipsius. Vnde & subditur: *Viderunt ingressus tuos Deus*. Qualiter ingressus es in hunc mundum, qualiter incarnatus, qualiter humanatus, qualiter occisus, qualiter exaltatus & glorificatus. Viderunt, crediderunt, atq; eosdẽ ingressus prout potuerunt, imitando secuti sunt. Cuius ingressus? Non angeli, non patriarchæ, non prophetæ, non cuiuslibet iusti: sed *Ingressus Dei mei*. Quia ad utilitatem meam carnem assumes, qui es Deus genitus à patre Regis mei. Qui eris rex meus in humanitate. Hoc est, Tui ingressus non sunt vilipendẽdi, quia eris Deus & homo, reparans homines & regens. De quo rectè subditur: *Qui est in sancto*. Nõ enim habitat Deus in corpore subdito peccatis, sed in eo cuius cõscientia sancta est & pura. Ad hos ingressus insinuandos *Præueniunt prin-*

Matth. 16. & 18. Ioan. 20 & 21. *cipes*, id est, primitiui prædicatores Apostoli, quibus super Ecclesiã datus est principatus. Præuenerunt ergo ceteros sicut principes & magistri: & non soli, sed *coniuncti psallentibus*. De quorum bonis operibus, tãquam visibilibus organis, glorificaretur Deus. Qui principes tanquam ministri & præpositi, erunt *In medio iuuenularum*. Id est, Ecclesiarũ, quæ adhuc erãt nouellæ, sicut primitiua Ecclesiã. Ipsarũ dico, *tympanistrariũ*. id est, carne mortificata Deũ laudantiũ. Tympana enim siccatõ corio fiunt & exteso. Propter hæc omnia bona õ fideles, *In Ecclesiis benedicite Deo*. Vbi est locus benedicendi. Quia qui extra Ecclesiã sunt, Deum dignè laudare non possunt. Deo dico, *domino* qui nos creauit & regit. Illi (inquã) benedicite *de fontibus*, id est propter fontes: propter sanctos Apostolos, qui vos spiritali doctrina reficiũt. Fontibus dico, *Israël*. Id est procedẽtib; ex Iudæa. Inde quippe prius elegit, quos fontes faceret. Nã inde sunt electi Apostoli, & hi primitus audierunt: Qui biberit de aqua ista quã ego dabo, non sitiet vnquã: sed fiet in eo fons aque salientis in vitã æternã. *Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu*. Ibi Paulus nouissimus Apostolorũ qui dicit: Nam & ego Israëlitã sum, ex femine Abraham, de tribu Benjamin: qui factus est in excessu mentis, cũ vsq; ad terciũ cælũ raperetur, & audiret ineffabilia verba, quæ nõ liceret homini loqui. Siue (inquit) in corpore, siue extra corpus, ego nescio, Deus scit. Et vnde sunt principes qui præuenerunt: sequitur, & dicit: *Principes Iuda, duces eorum, principes Zabulon, principes Nephthali*. Hebræa sunt quippe ista nomina, quorũ Iuda cõfessio dicitur interpretari: Zabulon habitaculũ fortitudinis: Nephthali dilatatio mea. Quæ omnia verissimos nobis insinuant principes Ecclesiarũ, dignos ducatu, dignos imitatione, dignos honoribus: Martyres namq; in Ecclesiis locũ suũ tenẽt, atq; apice sanctæ dignitatis excellũt. Iam verò in martyrio prima cõfessio est: & pro illa quicquid acciderit, tolerãdi, sequẽs assumitur fortitudo. Deinde post omnia tolerata, finitis angustiis, latitudo sequitur in præmiis. Potest & sic intelligi: vt (quoniã tria hæc præcipuè cõmendat Apostolus, fidem, spem & charitatẽ) cõfessio sit in fide, fortitudo in spe, latitudo in charitate. Fidei quippe res est, vt corde credatur ad iustitiã: ore autẽ cõfessio fiat ad salutẽ. In passionibus autẽ tribulationũ tristis est: sed spes fortis est. Si enim quod non videmus, speramus: per paciẽtiã expectamus. Latitudinẽ verò præstat charitatis in corde diffusio. Nam cõsummata charitas foras mittit timorẽ. Qui timor tormentũ habet per animẽ angustias. Principes ergo Iuda duces eorum qui in Ecclesiis benedicũt dominũ. Principes Zabulon, Principes Nephtholim. Principes cõfessionis, fortitudinis, latitudinis: principes fidei, spei, charitatis. Tantis principibus adiũctis tibi, *Manda Deus*, præcipe *virtuti tuæ*, filio tuo, per quẽ virtuosè operaris. Ipse enim principũ imperator: ipse est virtus & sapientia tua, per quẽ facis quicquid facis. Iussio tua, voluntas tua. Manda virtuti tuæ. Tua voluntas impleatur: tua potentia declaratur. *Confirma, Deus, hoc quod operatus es in nobis*. Manda verbo, vt fiat. Manda, per verbum. Confirma, per Spiritum sanctum. Manda, dicendo: confirma, adiuuãdo. Iube quod vis, fac, quod iubes. Quod si feceris, fiet quod sequitur: *A templo tuo in Ierusalem*, quæ est libera mater nostra. Et ipsa est tẽplũ sanctũ tuum

tuum. Ab hoc templo tuo *Tibi offerent reges munera*. Scilicet seipfos, siue laudis sacrificia. Vel manda, sicut dictum est, a tẽplo tuo in Ierusalem. Ibi enim incepit Apostolorum prædicatio. Vnde cũ dominus Apostolis prædicare præciperet Euangelium omni creaturæ: Incipientes (inquit) ab Ierusalem. Quod alius propheta longè antè præuiderat, cũ dicebat: De Sion exhibit lex, & verbum domini de Ierusalem. Præuidens autem in Ecclesia Dei futuros hæreticos, adiunxit: *Increpa feras arundinis*. Fera non immeritò appellatur hæretici, quia ipsi dilaniant animas simplices, quemadmodũ fera oues. Et rectè dicũtur arundinis, quia mobilis & instabilis sunt sermonis. Eos dicit Apostolus Petrus indoctos & instabiles esse: atque ad suum proprium interitum pervertere scripturas. Qui quoniam duræ & indomitæ cervicis sunt, iugo disciplinæ pacifico leniq; non subditi, impatientes aratri atq; doctrinæ: ideo taurorum etiam nomine designantur, cũ subditur: *Cõgregatio taurorum in uaccis populorum*. Non enim vniuersos populos seducunt, in quibus sunt graues & stabiles. Vnde scriptum est: In populo graui laudabo te. Sed in his populis congregantur, quos inueniunt quasi vaccas, scilicet simplices & lasciuas animas, quæ faciliè audiendo sequuntur. Ad hoc autem fit ea cõgregatio: *Ut excludant eos qui probati sunt argento*. Hanc enim intentionẽ habent hæretici doctores, vt ab auribus animarum quas seducere moliantur, separent eos qui argento sunt probati, id est, diuino eloquio eruditi. Vnde Apostolus: Necessè est (inquit) vt veniant hæreses, vt qui probati sunt, manifesti fiant. De quibus hæreticis ne præualeant postulat, dicens: *Dissipa gentes qua bella volunt*. Non enim correptioni student, sed contentioni. Et contradicendo veritati, discordias inferre student catholicæ fidei. Ipsi ergo potius dispergantur, si corrigi recusant, qui gregẽ Christi dispergere affectant. Gẽtes autẽ appellauit, non propter generationes familiarum, sed propter generationes sectarum: vbi series successionis confirmat errorem. Et verè dissipabis. *Quia venient legati ex Aegypto: Aethiopia præueniet manus eius Deo*. Per hos legatos dissipabis hæreticos. Aegypti vel Aethiopiæ nomine omniũ gentiũ fidẽ significauit, à parte totũ. Legatos appellat recõciliationis prædicatores. Vnde Paulus: Pro Christo (inquit) legatione fungor, tanquã Deo exhortãte per nos, obsecramus pro Christo, recõciliamini Deo. Nõ ergo de solis Israëlitis, vnde Apostoli electi sunt, sed etiam de cæteris gentibus futuros prædicatores Christianæ pacis hoc modo mysticè prophetatum est. Aethiopia quoq; id est, anima peccatis denigrata præueniet manus eius, id est, antecedit vindictam eius, credens Deo, vt peccata dimittãtur: ne peccatrix remans puniatur. Vel quia vt bona opera sequãtur, præcedit fides: nec vlla sunt bona opera, nisi quæ sequuntur præcedentem fidem: nihil aliud videtur dictum, Aethiopia præueniet manus eius Deo, nisi Aethiopia credet Deo. Sic enim præueniet manus eius, id est, opera eius. Cuius eius, nisi ipsius Aethiopiæ? Hoc in Græco ambiguum non est: quia ibi, Eius, apertissimè fœmininõ genere positum est. Dicatur ergo Aethiopia præueniet manus eius Deo, id est, credendo in Deum præueniet opera sua. Existimõ enim (ait Apostolus) iustificari hominem per fidem, sine operibus legis. Hinc iam veluti de

curfis rebus omnibus, quas impletas esse iam cernimus : hortatur propheta ad laudē Christi, ac deinde futurum eius denuntiat aduentū, dicens: *Regna terra*, id est homines de omni genere terræ, *cantate Deo*, voce & corde: *psallite domino*, bona operatione. Non vnum regnum, non vnam gentem tantū inuitat ad laudem Dei. Neminē enim vult perire misericors Deus, sed omnes venire ad cognitionē nominis sui. Vnde & subdit: *Psallite Deo*. Et quasi quæreretur, Quis est iste Deus: sequitur & ait: *Qui ascendit super calum celi ad Orientem*. Ad hoc replicat, vt ad laudandū Deum excitet, & quantus sit ille qui laudatur, commendat. Hinc Apostolus dicit: Ipse est qui ascendit super omnes cælos. In hoc quod Orientem addidit, etiam ipsum locū expressit, quoniā in partibus orientis est, vbi resurrexit, & vnde ascendit. Et quoniam inde venturus ad iudicandos viuos & mortuos, ostēdit quod sequitur: *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis*. Ille qui fuit sine voce, sicut agnus coram ton-dente se: Ecce vocem dabit suam. Nec vocem infirmitatis tanquam iudi-candus, sed vocem virtutis tanquam iudicaturus. Non enim Deus occultus sicut prius, sed Deus manifestē veniet, Deus noster, & non silebit. Et ideo: *Date gloriam Deo super Israël*. Id est, voce & corde ostendite Deum esse glorio-sum, super eos qui sunt spiritualiter Israël. De quibus veraciter dici potest: *Ecce verē Israēlita*, in quo dolus nō est. Tunc erit *Magnificencia eius*, & *virtus eius in nubibus*. Quando videbitis filiū hominis venientē in nubibus cum po-estate magna & maiestate, & virtutes cælorū mouebuntur. *Mirabilis Deus in sanctis suis*, subaudis, erit. Quādo per sanctū suum mundū iudicabit, quādo iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorū, quando ipse Deus erit omnia in omnibus. Bene autē subditur *Deus Israël*. Quia tunc nomē ipsum verissimē ac plenissimē implebitur, Israël, quod interpretatur videns Deum, quoniā videbimus eū sicuti est. Non autē quilibet alius, sed *Ipse dabit virtutē*. quam in sua carne prius ostendit, scilicet immortalitatē & impalsibilitatē. *Et dabit fortitudinem*: quia inimica destuetur mors. *Plebi suæ*, id est sibi vsq; in finem famulātī. Vel dabit plebi suæ virtutē quantū ad animā, faciens eam diuinam & beatā. Et dabit fortitudinem quantū ad corpus, faciens illud incorruptum & æternum. Pro tantis ergo beneficiis suis *Benedictus sit Deus*. &c.

TITVLVS PSALMI LXVIII.

QUENS Psalmus intituletur hoc modo: *In finem, pro his qui commutabuntur, psalmus David*. Psalmus iste conuenit significato David, id est, Christo qui hic loquitur. *Et dirigit nos in finem, id est, in seipsum*. Psalmus dico, habitus pro his exhortandis, qui commutabuntur de infidelitate ad fidem, de vetustate ad nouitatem, de corruptione ad incorruptionem. Materia psalmi est Christus, passus secundum fragilitatem humana nature. Et exequitur suam passionem per multas partes psalmi, vsque ad consummationē. Vnde & dicit: *Dederunt in escam meā fel. &c.* Intentio Christi est in hoc opere nos ad suam patientiam inuitare. De passione autem sua sicut mos propheticus est, orando incipit dicere: *Et se patris auxilium manifestat in omnibus postulare: ut nos quibus viam demonstrauit, in tribulationibus, & quibus presertim necessarium est, exemplo doceat orare*. Dicit ergo.

PSALMV S LXVIII.

QUENS me fac Deus. Et dicit causam quare: *Quoniam intrauerunt aqua*, Id est Iudaici populi more aquæ cum sonitu & impetu extulerunt se, & magis mala inferendo, accesserunt vsque ad animam meam, tollendam. Quasi aquæ ad animam intrauerunt, quando insensata turbæ vsque ad occidendum Christum præualuerunt. Sed nunquid hoc possent, nisi ab illo permisi essent? Vnde ergo tanquam aliquid inuitus pariat, sic clamat, nisi quia caput membra sua præfigurat: Passus est quippe ille, quia voluit. Passi sunt martyres & si noluerunt. Vnde Petro dictum est: *Alius te cinget, & ducet quod nō vis*. Quamuis enim à malis ad bona transeamus, tamen ipse transitus aliquantum amarus est, & habet fel quod dederunt domino in passione Iudæi. Habet etiam quiddam tolerandum, quo ostenduntur qui cum aceto potauerunt. Hinc ergo vt liberemur, clamemus: ne fortē in pressuris iniquitati consentiamus, & inreparabiliter verē absorbeamur. Denique quantum eorum malitia in Christum defauit, ipse infinuat, cum subiungit: *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia*. Terreni homines dum vana appetunt, atque alios sibi ad consentiendum trahere cupiunt, limus sunt: inter quos sunt nonnulli sceleratissimi & desperati. Hi non solum limus sunt, sed etiam profundi. Tales erant illi, in quibus dominus noster infixus erat, id est, hæserat, vt ab illis teneretur & occideretur. Venit ergo filius Dei ad limum profundi, & nō erat substantia in qua infixus est: quia in iniquitate illorum infixus est. Vitia ex nobis & ex nostra voluntate habemus: & vitia non sunt substantia. In his infixus est dominus, quando persecutionem passus est, non in substantia hominum, quæ per ipsum facta est, sed in vitio Iudæorum quod per ipsos factum est. Nec ideo infixus sum, quin possem præcauere mihi. Sponte enim me ipsum obtuli. Et hoc est, *Veni in altitudine maris, & tempestas demersit me*. Mare dicit eos propter amaritudinē vitæ, altitudinē, elationem. Venit ergo Christus nulla coactione, sed spontanea voluntate inter superbos homines & amaros: & seditiosa commotio eorum, tanquam tempestas vehemens, demersit & extinxit eum. Et in hoc eos esse inexcusabiles ostendit, cum subdit: *Laborauī clamans: rauca facta sunt fauces meæ*. Quid clamat Christus? Væ vobis Scribæ & Pharisei. Væ mundo ab scandalis. Quotidie etiam erat docens in templo & synagogis: sed quia parum in eis fructificabat, propterea laborabat. Hinc est quod per prophetam ait: *Laborauī sustinens*. Ideo etiam rauca fauces eius dicuntur, non quantum ad se, sed quantum ad illos à quibus non intelligebatur, non credebatur. Tanta autem fuit eius persecutio, vt non solum isti non crederent, sed illi qui iam crediderant, dubitarent. Et hoc est quod subdit: *Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum*. Dum enim in passione perseuerat, atque in dominum suum tendens sperat vt à mortuis resurgat: oculi eius defecerunt, quia etiam ipsi Apostoli (qui tanquam lucernæ præminēbant in corpore) dubitauerunt. Et ne pauci viderentur illi qui persequebatur, subiunctū est: *Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui oderunt me gratis*. Ac si aperte dicat: Sine numero creuerunt, qui sine causa me odio

habuerunt. Eum qui nocet, odire quodammodo humanum est. Vnde dominus in lege tanquā carnalibus loquens atque eorum infirmitati condescendens, amicos diligere præcepit atq; inimicos odire permisit. Eum autē qui non nocet odio habere, non solum humanum non est, sed etiam diabolicū. Odium de inimico videtur quasi naturale, quod tamen ex corruptione contingit naturā. Odium verò de innocente contra naturā est. Multū ergo distat inter odiū & odium. Nam aliud est, quod facit infirmitas: aliud est, quod sola instigat malitia. In qua tantū exarserunt Iudæi, vt in odio Christi & numerū excessissent, & naturā, & modū. Quorū adhuc exaggeratur malitia, cū subinfertur: *Confortati sunt qui persequuntur me inimici mei iniuste.* Prius multiplicati sunt qui eum gratis, id est, sine causa oderūt. Et hi deinde confortati atq; animati, ad hoc vt odium quod conceperant in corde, etiam persequendo adimplerent in opere. Et hoc similiter iniuste fecerūt, quia videlicet causam qua me persequi aut inimici fieri debuissent, non inuenerunt. Sed inter tantam malitiam suam nobis insinuat innocentiam dominus noster, cū subdit: *Quæ non rapui, tunc exsoluebam.* Quis enim rapuit? Adam. Et quid rapuit? Pomum vetitum. Gustate (inquit) & eritis sicut Dij. Rapere voluerunt diuinitatem, & amiserunt felicitatem. Vsurpauerunt sibi quod suum non erat, & hæc est rapina. Ideo cōmissi sunt exactori diabolo, vt pœnā mortis exsoluerent pro peccato. Christus verò nihil rapuit, quia non peccauit: & tamen peccati debitū, id est, mortē exsoluit. Venit ad mortem sicut quilibet homo, sed non ea via quia quilibet homo. Nam omnes alij per culpā, ille solus ad mortē venit per iustitiam. Vterq; igitur exsoluit mortē, quæ est debitū peccati, Adam, & Christus. Sed quia peccauit Adam, mors eius fuit pœna peccati. Quia verò nō peccauit Christus, mors eius facta est hostia pro peccato. Sed hunc fructum mortis Christi mundus non intellexit: ideo hanc pro stultitia reputauit. Prædicamus (inquit Apostolus) Iesum Christum, & hunc crucifixum, Iudæis quidem scādalum, gentibus autem stultitiam. Sed quod non nouit mundus, agnouit Deus. Et hoc est quod dicit: *Deus tu scis insipientiam meam.* Vtilitas passionis meæ, quæ pro insipientia reputatur à quibusdam, à te Deo creatore est præstita, approbata, & ordinata. Tu scis quòd illi nescierunt. Si enim cognouissent, nunquā dominum gloriæ crucifixissent. Et quid tam simile insipientiæ, quā cū haberet in potestate persecutores suos vna voce prosternere, pateretur se teneri, flagellari, conspui, colaphizari, spinis coronari, ligno affigi? Sed quod stultum est Dei & infirmum, hoc sapientius & fortius est hominibus. Nam vnde Deus est humiliatus & passus, inde homo erectus est & sanatus. Simili modo, *Et delicta mea,* id est, opera quæ pro delictis sunt reputata (vt est illud: Nō est homo hic à Deo, qui sabbara non custodit, & alia huiusmodi) *à te non sunt abscondita.* Quod illi putauerunt insipientiam, vt ego paterer: Et delicta, vt lāguoribus mederer: hoc tu scisti sapientiam esse & virtutem. Et notandum quòd ex his verbis instruimur, vt in cunctis quæ agimus, semper plus Dei voluntatem quàm hominū attēdamus. Et ea sit nostra actio, quam Deus approbat: etiam si non approbet homo. Hinc est quòd Paulus nos admonet, vt stulti simus ante homi-

hōmines, vt ante Deum mereamur esse sapientes. Vel delicta eius non sunt abscondita, quia membra eius sua, quotidie non cessant cōfiteri peccata. Et quia futurum erat vt tanquā pro stultitia improperearetur Christianis, quia in hominē crederent mortuum & crucifixum, postulat pro eis dicens: *Non erubescant in me qui expectant te Domine: Domine virtutum.* Multi enim ignominiam crucis Christi audientes erubuerunt, atque à fide & spe, quam in Deo habere ceperant, recesserunt. Propter hoc Paulus ad confirmandas infirmorū mentes, non se erubescere Euangelium Dei perhibet. In tantū enim non erubuit, vt vinculus & cathenatus magis exultaret. Non erubescat ergo in hominem humilē & crucifixum, qui expectat Deū & dominū virtutum: quia qui despectus apparuit in carne, virtuosus & gloriosus apparebit in diuinitate. Ideo adhuc subditur: *Non confundantur super me qui querunt te, Deus Israel.* Super me occiso nō cōfundantur mēte, nec erubescat vultu, qui te vt venias expectat: & insuper bene viuendo & amando quærerē nō cessant. Et hoc debet eos à confusione & erubescencia defendere, quia tu qui me misisti, & humiliari voluisti, es dominus virtutum, & Deus Israel, id est idem dominus & Deus es angelorū & hominū. Virtutū enim nomine angelos designauit. Per Israel verò eos, qui per fidē & charitatē Deū spiritualiter vident, figura uit. Et ostēdit aliam causam quare nō debeant erubescere, cū subiungit: *Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam.* Opprobrium est quod obiicit inimicus. Non esset magnum quod ait Sustinui, nisi adiungeret Propter te. Si enim sustines, quia peccasti, propter te sustines, non propter Deum. Quæ autem gloria est (ait Petrus) si peccantes punimini & suffertis? Si autem sustines, quia mandatum Dei seruaisti, merces tibi manet in æternum: quoniam sustinuisti opprobria propter Deum. Quia ergo Christus in passione sua multa opprobria audiebat, & tacēs omnia propter Deū tolerabat: quasi verecundus in facie apparebat. Virtutem mansuetudinis pro signo habebant confusionis. Quid toleraret propter Deum, dixit. Nunc à quibus tolerauit, ostendit. *Extraneus inquit factus sum fratribus meis, & peregrinus filius matris meæ.* Quamuis idem de similibus verbis repetere videatur, tamen plus aliquid sonat peregrinus, quàm extraneus. Nam eum qui non est domesticus, aut facie notus, etsi de eadem terra sit, tamen extraneum dicimus. Hominem verò alterius patriæ peregrinum solemus appellare. Fratribus suis Christus extraneus fuerat, quia carnalibus parentibus suis vita & moribus dissimilis apparebat. Fuit etiam peregrinus, secundum quod ait: Regnum meum non est de hoc mundo. Possumus etiam per fratres, Apostolos intelligere: per filios matris suæ, filios synagogæ. Extraneus ergo fratribus suis erat, quando iam ab ipsis non credebatur Apostolis. Extraneus erat Petro, cū cepisset affirmare & iurare, quia non nouisset hominem. Fuit quoq; peregrinus filiis synagogæ, vnde & dicebat: Hunc autem nescimus vnde sit. Quare hæc illi contigerunt? *Quoniam zelus domus tuæ comedit me.* Zelo Dei comedebatur, id est interius vrebatur, cū vendentes & mentes de templo eiiceret, & nummulariorum effunderet æs. Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus

animarum. Ibi ignis Dei accenditur. Ibi mens munda zeli sancti ardore con-
 crematur. Hinc est quod sanctus spiritus in columba, & igne apparuit: quia
 eos quos repleuerit simplices pariter & ardentes facit. Et propter hunc ze-
 lum opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Quia enim corrigebat eos,
 inde magis indignati contra eum, machinati sunt ei mortem. Maiora autem
 opprobria Deo inferre non poterant, quam quod Christum filium eius de-
 negabant. Nemo autem exprobrauit Christo, nisi Deo exprobrans. Et ne-
 mo honorat patrem, nisi qui honorat & filium. Illa verò opprobria super
 Christum ceciderunt, quando hi qui exprobrabant, eum occiderunt. Sed in-
 ter hæc pius dominus mansuetudinem suam commendat cum subiungit: *Et
 operui in ieiunio animam meam.* Ieiunium Christi spiritualiter iam in alio psal-
 mo commendatum est. Ieiunium eius erat, quando defecerunt omnes qui
 in eum crediderunt. Et sitis eius erat, quando dixit mulieri: Sitio, da mihi bi-
 bere. Fidem quippe illius sitiebat, & de cruce, cum diceret Sitio, fidem illo-
 rum quærebat. Denique respuit fel quod illi obtulerunt. Elegit magis ieiu-
 nare, quam amaritudinem accipere. Non enim in corpus eius intrant ama-
 rificantes. Et in hoc ieiunio operui, id est humiliavi animam meam. Humili-
 tas erat Christi operimentum. Nam quia humiliabatur, non agnoscebatur.
 Et hoc ipsum factum est opprobrium illi. Quanto enim erat humilior, tanto apud
 reprobos despectior habebatur. *Et posui vestimentum meum cilicium.* Opposui
 illis in qua scirent, carnem meam. (Occultaui diuinitatem meam: Cilicio
 peccatores pœnitentes vestiuntur.) Et quodammodo facta est vestimentum
 peccati, quia de peccato damnauit peccatum in carne. Nō quod caro Chri-
 sti peccatrix fuerit, sed quia similitudinem carnis peccati habuit. *Ex hoc
 etiam factus sum illis in parabolam.* Parabola dicitur quæ datur similitudo de a-
 liquo, quando illi maledicunt. Sic ille (verbi gratia) pereat, quomodo ille.
 Hæc est parabola, id est comparatio & similitudo maledicti. *Aduersum me
 loquebantur qui sedebant in porta.* Hoc est in publico. Vbi otio tas, ibi loquaci-
 tas. Publicè de me loquebantur. Publicè aduersabantur. Corā omnibus dif-
 famabant, *Et in me psallebant qui bibebant vinum.* Etiam ipsi peccatores deri-
 debant me. Attende o homo, quid pro te sustinuit Deus. Attende in capite
 tuo regulam disciplinæ, formā virtutis. Discite (inquit) à me, quia mitis sum
 & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Inter tot scandala
 & opprobria, inter tantas persecutiones & tribulationes, quid tu agebas mi-
 tissime Iesu? *Ego verò orationem meam ad te Deus.* Illi deridebant, ille orabat. Il-
 li infestabant, ille amabat. Non reddentes (inquit) malum pro malo, vel ma-
 ledictum pro maledicto: sed e contrario benedicentes. Hæc est enim perfe-
 ctio charitatis, diligere inimicos, & orare pro illis. Quando maledixeris, &
 quid agas non habes: quando tibi iactantur opprobria, & corrigere non va-
 les: nihil tibi restat, nisi vt ores. Hæc iustorum arma sunt, vt orando vincat.
 Et quia nunc tempus est orandi & placandi Deum, ideo subdit: *Tempus
 beneplaciti Deus.* Ecce, inquit propheta, nunc tempus acceptabile: ecce nunc
 dies salutis. Venit enim plenitudo temporis, in quo misit Deus filium
 suum in terris, in quo beneplacitum est Deo, & per quem gratiam suam
 generi

generi dedit humano. Vnde & dicit: *In multitudine misericordie tue exaudi me,
 in veritate salutis tue.* Nam si non esset multitudo misericordie tuæ, quid nos
 faceremus de multitudine iniquitatis nostræ? Ergo quia direxi orationem
 meam ad te Deus: quia tempus complendi beneplacitum tuum, per me redi-
 mi hominem, quem formasti: propter hoc exaudi me, non in meritis homi-
 num, sed in multitudine misericordie tuæ, & etiam in veritate salutis tuæ:
 vt per hoc verax appareas, scilicet dādo salutem quam promisisti. Duo hinc
 posita sunt, veritas, & misericordia: in quibus se postulat exaudiri: in quibus
 sunt etiam vniuersæ viæ domini. Misericordia, dimittendo peccata. Veritas,
 reddendo promissa. Sed iam in quo velit exaudiri, audiamus. *Eripe me de lu-
 to, vt non infigar.* Hinc se postulat liberandum, vbi se antè dixit infixum. Et
 quos per lutum accipiat, exponit, cum subiungit: *Libera me ab his qui oderunt
 me, & de profundis aquarum.* Reprobi homines & lutum sunt, dum terram dili-
 gunt: & profundum aquarum, dum in voragine resoluuntur carnalium vo-
 luptatum. Ergo hæserat carne, sed non hæserat spiritu. Dicit hoc ex infirmi-
 tate membrorum suorum. Quando fortè caperis ab eo qui te premit ad ini-
 quitatem, tenetur quidem corpus tuum secundum corpus: infixus es in limo
 profundi. Sed quandiu non consentis, non hæstis. Si autem consentis, hæstis:
 Oratio ergo tua ibi sit, vt quoniam iam tenetur corpus tuum, nō teneatur ani-
 ma tua. Vnde adhuc subditur: *Non me demergat tēpestas aquæ.* Demersit secun-
 dum carnem. Non demergat secundum animam. *Neque absorbeat me profun-
 dum.* Id est, neque inuoluat me iniquitas. *Neque urgeat super me puteus os suum.*
 Tunc enim super hominem coartat puteus os suum, id est profunditas ini-
 quitatis, quando non solummersus in peccatis iacet, sed etiā perdit aditum
 confessionis. Vnde scriptum est: Peccator cum in profundum venerit ma-
 lorum, contemnit. Quando autem dicit homo, Peccator sum: radiatur ali-
 quo lumine etiam profunditas putei. Deinde ponit causam quare debeat
 exaudiri, cum subiungit: *Exaudi me Deus, quoniam benigna est misericordia tua.*
 Ea quæ tibi naturaliter inest misericordia, beniuolentiæ & gratiæ plena est.
 Nec secundum illam tantum postulo exaudiri, sed etiam secundum multitu-
 dinem miserationum tuarum, quam exhibuisti patribus antiquis: sicut Noe
 in diluuiio, sicut Danieli in lacu, & aliis multis: propter misericordiam
 tuam & miserationes tuas exaudi me: & respice in me. Quarum vna est natu-
 raliter in te, aliæ in beneficiorum exhibitione. Respice, inquam, *Et ne auer-
 tas,* tanquam iratus, *faciem tuam à puero tuo,* id est à paruo tuo. Ad commen-
 dandum hoc dicit. Talium est enim amator Deus. Sinite (inquit) paruulos
 venire ad me, quia talium est regnum cælorum. Dominus noster dictus
 est puer à puritate, à simplicitate, ab innocentia. Tales etiam vult nos esse.
 vnde & dicit: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruulus iste, non
 intrabitis in regnum cælorum. Ponit & aliam causam, dicens: *quoniam tribu-
 lor, velociter exaudi me.* Moueat te misericordia tua: moueat miseria mea. In-
 stant tribulatio. Propter hoc opus est vt velox veniat tua consolatio. Velo-
 citer ergo exaudi me. Quando dominus permittit aut facit vt in tribulatio-
 ne aliqua simus, etiam tunc misericors est. Non enim alimentum subtrahit,
 sed

sed desiderium mouet. Iam ergo vltra non est quod differas. Peruenit tribulatio mea ad mensuram certam calamitatis. Veniat misericordia tua ad faciendum opus bonitatis. Dixi ne auertas faciem tuam, sed potius *intende animam meam, & libera eam*. Id est intus diligenter inspicere, quæ sit in anima mea virtus mansuetudinis, quæ puritas intentionis: vt hoc sit meritum meæ liberationis. Et non propter metantem, sed etiam *propter inimicos meos eripe me*. Nā indignum valde esset, si tanquam victores de mea gauderent passione. Vel propter inimicorum meorum salutem eripe me, vt cum meā viderint liberationem & glorificationem, conuertantur ab errore & saluentur. Et debes eripere: tu enim nosti quanta pro tuo amore sustinui. *Tu scis improprium meum*. Id est quàm turpia verba mihi intulerunt. *Et confusionem meam*, quam mihi imputauerunt. *Et reuerentiam meam*. Quàm ignominiosè me tractauerunt. De falsi criminis obiectione erubescere, non est crimen. Aut etsi crimen est non est illius cui obiicitur. Sed tamen infirmitas humani animi plerunque verecundatur etiam, cum falsum obiicitur: non quia obiectum est, sed quia creditum. Omnia hæc sunt in corpore domini. Me vides afflictum, & eos etiam qui affligunt vides. *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me*. Illi tribulant: ego tribulor. Inter vtrunque tu inspector & arbiter. Attende in illis iniustitiam, in me innocentiam: & vnicuique iuxta merita sua retribue. Et ne videretur tribulari tanquam non præsciis & ignarus, continuè adiecit: *Improprium expectauit cor meum, & miseriam*. Cor meum expectauit, id est voluntas mea præuidit improprium in dictis, miseriam in factis. Nisi enim hoc ipse præuidisset & voluisset, non vtique nasceretur, non pateretur, non moreretur. Sed cuius miseriam præuidit dominus? Ipsorum profectò tribulantium atque crucifigentium. In ipsis miseria, in ipso misericordia. Vnde & pendens in cruce dixit: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Timeant igitur omnes qui alios tribulant, quoniam in cōspectu Dei sunt. Cuius vindictam euadere non possunt. Et ipsi qui mala ingerunt remanent miseri. Nam qui patiuntur propter iustitiam, beati. Dixisti nobis pie domine quid patereris foris: manifesta etiam quid intus anxietatis habueris. *Et sustinui* (inquit) *qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni*. Quid est hoc? Nonne Apostoli de domini morte sunt contristati? Nonne Maria ad monumentum sedet & plorat? Nonne duobus discipulis ipse dominus dicit in via: Quid est quod confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Sed contristati erant de morte carnis. Solus verò dominus contristatus est de morte animæ: ex hoc videlicet, quòd omnes permanebant in infidelitate. Ideo non ait, Qui contristaretur, sed qui simul (inquit) contristaretur, sustinui, id est, expectaui, & non fuit. Multi enim contristati sunt carnaliter: nullus autem spiritualiter, nisi ipse solus. Magna quoque illi esset consolatio, si quos in se credentes inueniret. Quod quia non inuenit, quasi conquerendo ingemiscit. Vnde & adhuc subiungit: *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto*. Non dederunt mihi alium cibum vel potum, nisi acetum cum felle mixtum. Et hoc figura fuit. Dominus sitiebat eorum salutem, & ipsi

& ipsi propinabant ei amaritudinem & vetustatem. Fel & acetum adhuc offerunt Christo, qui malè viuendo scandalum inferunt Ecclesiæ. Minus enim peccauerunt Iudæi crucifigentes in terra ambulantes, quàm qui contemnunt in cælo residentem. Obrulerunt potandum fel, gustauit dominus & noluit bibere. Si non eos pateremur, nec omnino gustaremus. Quia verò necesse est eos pati, necesse est eos gustare. Sed quia in membris Christi tales esse non possunt, gustari possunt, in corpus recipi non possunt. Et quia malam escam dederunt, merito in esca puniti sunt. Vnde & subditur: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*. Mescam eorum dicit scripturam sacram, quam ad animarum refectionem parauerat eis Deus. Hæc mensa facta est illis in laqueum, quia ex ipsa sua lege capiuntur à Christianis, & cōuincuntur errare. Quare coram ipsis? Sunt enim tales, qui iniquitatem suam intelligunt, & tamen in ea pertinacissimè perseuerant: & laqueum norunt, & tenenda colla subiiciunt. *Fiat & in retributionem eis, vt mala recipiant pro malis: & qui per legem peccauerunt, puniantur per legem. Fiat & in scandalum*. Quod enim maius scandalum Iudæis fieri potuit, quàm quòd Deum & saluatorem suum, quem lex & prophetæ prænuntiauerunt, postmodum cæcati malitia crucifixerunt? Hinc Paulus ait: Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scādalum. Hoc autem quod ait, *Fiat*, non optando dicit: sed prophetando: non vt fiat, sed quia fiet. Nec potest aliter nisi vt talibus ista eueniant. Cum audimus dici per spiritum Dei talia euentura malis, ad hoc in illis hæc intelligamus, vt nos talia deuitemus. Malitia inquam illos excæcauit: & ideo subiungit: *Obscurentur oculi eorum ne videant*. Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Primum peccatum, superbia. Prima pœna peccati, obscuritas cordis. Quia superbi erāt, cæci facti sunt. Vnde protinus subditur: *Et dorsum eorum semper incurua*. Hoc enim semper subsequens est, vt si oculus mētis à superno lumine priuetur, statim animus ad ea quæ retrò sunt appetenda, inclinatur. Et hoc est dorsum curuum habere, statum mentis in inferioribus flectere. Sequitur alia pœna. *Effunde super eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos*. Ira effunditur, quando super eos omnipotentis Dei vindicta multipliciter exercetur. Furor iræ Dei, est futuræ animaduersionis vindictæ. Ira autem ad præsentem percussione pertinet: furor ad futuram damnationem. Ideo furor, quia nullum ibi remedium, nulla ibi misericordia. Comprehendat inquit, eos tãquam fugitiuos. Iam enim non erit euadendi locus, quando eos æternus absorberit cruciatus. Nec tamen in Deo vlla æstimanda est iræ aut furoris commotio: sed humano vsu quasi iratus aut furens dicitur, quando ab ipso tam acriter ac distinctè peccatorum culpæ feriuntur. Vnde adhuc subiungitur: *Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet*. Habitationem dicit ipsam ciuitatem Ierusalem, in qua communiter habitabant. Tabernacula verò singulas cuiusque domos designant, vbi potuerunt aduersus dominum clamare. Ibi à domino non permittuntur habitare. Loca illa omnia & hominibus plena sunt, & Iudæis inania. Quare hoc? *Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt*. Nos percussimus

Mar. 15.
Matth. 15.

Roma. 2.

Matth. 27.
1. Cor. 1.

Sapient. 2.

1. Cor. 2.
Eccles. 10.

sumus à Deo, quia peccauimus: & vulnera sunt peccata nostra. Dolor vulnerum, afflictio contra peccatum. Percussio est mortalitas & corruptio. Hanc percussione[m] suscepit ipse filius Dei, quamuis non peccauerit. Verè (inquit propheta) languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Sed Iudæi addiderunt, quia quem Deus pater plagis mortalitatis & corruptionis vulnerauerat, ipsi insuper occiderunt. Mortales homines hinc cum pœna nascuntur, & hæc pœna percussio est domini. Et huic pœnæ addunt quicumque alios fuerint persecuti. Et quia ipsi apposuerunt dolorem super dolorem, vide apertam iustitiam quæ sequitur. *Appone inquit iniquitatem super iniquitatem eorum.* Ut sicut alibi dicitur: *Qui nocet, noceat adhuc: & qui in fordidibus est, sordescat adhuc. Et sic non intrent in iustitiam tuam.* Culpa enim excitat culpam: & cum vna nõ corrigitur, exinde altera generatur. Et quanto plus refrigescit charitas, tanto amplius abundat iniquitas. Vel super iniquitatem patrum appone iniquitatem filiorum, vt extendatur de progenie in progeniem iniquitas eorum, sicut ipsi dixerunt: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Quod autem dixit, Appone: non sic accipiendum est, vt Deus ponat vel addat iniquitatem in aliquo: sed quasi hoc agit, quando fieri permittit. Neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo: quia ad perditionem suam sufficit sibi dimissa. Hinc Salomon ait: *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quæ ille despexerit.* Propterea adhuc subditur: *Deleantur de libro viuentium.* Libri nomine prædestinatio Dei accipitur: quia sicut hoc quod in libro scriptum est, fixum manet: sic incommutabile est, quicquid à Deo prædestinatur. Quomodo ergo dicit Deleantur, si hi qui scripti sunt, deleri non possunt? Sed hoc dictum est secundum spem illorum, qui ibi se scriptos putabant. Quid est deleantur de libro vitæ? Et ipsis conttet non illos ibi esse. Illi qui se sperabant, tãquam merito iustitiæ suæ in libro scriptos Dei, quibus dicitur: *Scrutamini scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere: cum perducta fuerit damnatio eorum etiam ad cognitionem ipsorum, delebuntur de libro vitæ, id est non ibi se cognoscent. Dixi deleantur, secundum spem eorum. Quid secundum æquitatem tuam? Et cum iustis non scribantur.* Confirmat in fine versus, quod præmissum est in capite. Audiuius quid nobis cauendum sit in malis: audiamus nunc quid sit imitandum in Christo. Illi tales fuerunt, & sic perierunt. Tu benigne domine, quid dicis de teipso? *Ego sum pauper & dolens: salus tua Deus suscepit me.* Exemplo domini nostri discamus pauperes esse & dolentes. Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Et beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Hoc ipsum prius in se nobis ostendit, propterea dicit Ego sum. Totum corpus eius hoc dicit. Corpus Christi in hac terra pauper & dolens est. Sed sint diuites Christiani, prorsus si Christiani sunt, pauperes sunt. In comparatione namque cælestium diuitiarum quas sperant, quicquid hinc habent, pro nihilo reputant. Nec sunt deserti tales pauperes, quoniam salus Dei suscepit eos. Ad quam rem? Ut iam non sint pauperes & dolentes, sed potius lætantes & beati faciant quod subiunctum est. *Laudabo nomen Dei cum cantico.* Id est cum iocundi

cunditate: & exultans in meipso, *magnificabo eum in laude.* Hæ sunt diuitiæ meæ, vt scilicet cum gaudio & hilaritate non cessem Deum meum laudare & magnificare. *Et laus illa placebit Deo, super omne legale sacrificium.* Et hoc ostendit per partem, cum subiungit: *Super vitulum nouellum cornua producentem & vngulas.* Talis enim quærebatur vitulus in sacrificio, qui & nouellus esset, & tam magnus tamen, vt cornua mitteret, atque vngulas fortes haberet. Et hoc ex significatione factum est. Qui bene instructus est & ad laudem Dei opulentus, cornua debet habere, quibus aduersarium ventilet: & vngulas, quibus terram excitet: nouellus propter nouam vitam. Aliquis hæreticus fortè contradicit cornibus noui & veteris testamenti, ventiletur. Alius terrena sapit, vngulis discretionis & robore virtutis excitetur. Super hunc vitulum tibi placebit laudatio mea, in illa æternitate vbi perfectè laudabunt te sancti, sine vlla contradictione. *Videant pauperes & latentur.* Credat hæc, & spe gaudeat: & magis pauperes sint, vt ditari mereantur. Et conuertit se ad eos admonendos dicens: *Quærite Deum, & viuet anima vestra.* Deus est vita animæ. Quæritis panem, vt viuat caro vestra: Deum quærite, & viuet anima vestra. Vnde hoc probas? *Quoniam exaudiuit pauperes dominus.* Nec exaudiuit, nisi pauperes. Si vis exaudiri, pauper esto. Noli de te præsumere, nec aliquid quærere, præter Deum tuum. Si peccator es, non ideo desperes. *Et vinclos suos, in peccatis, per quæ videntur repudiari à Deo, Non despexit.* Illos vinclos non despicit Deus, qui sui sunt, id est, qui per penitentiam & satisfactionem eum requirunt. Quapropter *Laudent illum cali & terra, & mare, & omnia reptilia in eis.* Homo rationalis creatura laudet Deum, & per hominem omnis creatura: quoniam ipsæ species & materiæ rerum, sunt homini causa, vt ipse laudet actorem & saluatorem suum. Quare laudent? *Quonia[m] Deus saluam faciet Sion,* id est Ecclesiam Deum speculantem modò per fidem, deinde contèplantem per speciem. *Et edificabuntur ciuitates Iudæ,* id est animæ sua peccata confitentes. Initiu[m] bonorum est confessio peccatorum. Et iustus in principio accusator est sui. Primu[m] ergo debet homines mala sua confiteri, atque moribus in melius commutari: & sic ædificabuntur in ciuitate Dei vnde psalmus intitulatur pro his, scilicet qui commutabuntur. *Et inhabitabunt ibi,* id est in illa beata ciuitate, in illa excelsa Sion. *Et nõ ad horã, sed hereditate acquirat eam.* Vt possideat illam in æternu[m]: & nõ vna sola generatio iustorum, sed per omnes successiones. *Et semen seruatorum eius,* id est fidei imitatores, possidebit eam. Et quia fides sine dilectione nõ valet, continuo adiecit: *Et qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.* Qui nõ ex timore, sed ex amore seruiunt Deo. Ipsi sunt semet, & ipsi inhabitabunt in ea, tãquam in hereditate sua. Nullus ibi hereditabit, nisi per dilectionem. Deus est dilectio. Et qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in eo. Hic est finis, hæc est hereditas.

T I T V L V S P S A L M I L X I X.

SEQVITVR titulus in alio psalmo. In finem, Psalmus David, in rememoratione, eo quod saluum me fecit dominus. In finem, id est, in Christum nos mittit iste psalmus, qui attribuitur David, id est eidem Christo, siue cuiuslibet iusto in tribulatione posito, in rememoratione, id est in consideratione reme-

morationis, eo quod (inquit) saluum me fecit dominus. Memor enim saluationis & etiam beneficiorum, qua Deus contulit mundo (sicut in alio psalmo monstratum est) securus, perit liberari, licet multis malis urgeatur. Est ergo in hoc psalmo vox tribulatum inter passiones periclitantium sed de suo capite presumendum. Ipsi sunt materia psalmi. In prima parte postulant à Deo suam liberationem, deinde persequentium conversionem. In secunda exultant in domino, & magnificant eum. Ad ultimum paupertate & egestatem suam commendant, ad exemplum ceterorum: & exinde adiutos à Deo se insinuant, & liberatos. Incidunt autem exhortari quosque, ut conuertantur ad Deum, & securos reddere de aeterno bono, cessat urgeantur à malis, atque in his non diffidere, sed omnipotentis Dei adiutorium inuocare. Audiamus eos, atque affectu cordis vnusquisq; nostrum dicat quod sequitur.

PSALMVS LXXIX.

DEVS in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me, festina. Tu quies Deus & dominus meus, creator & gubernator meus in adiutorium meum intende misericorditer: adiua festinante. Primum inspicie instantem necessitatem: deinde accelera auxiliij consolationem. Cum dicit, In adiutorium meum, ostendit se aliquid operari per liberum arbitrium, & petit diuinum auxilium ad cooperandum.

Contra omnes aduersitates & tentationes dicendus est iste versiculus. Et cum tribulamur, & cum operamur, diuino adiutorio semper opus habemus. Deinde orat etiam pro persecutoribus, cum subiungit: Confundantur de peccatis, & reuertantur, id est timeant te iudicem, qui querunt animam meam, subaudis ad perdendum eam. Hæc vox proprie ad martyres pertinet, qui ad hoc querantur, ut occiderentur. Et cum orat pro suis inimicis, perfectionem nobis insinuant charitatis. Diligite (inquit dominus) inimicos vestros. Benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persecutoribus & calumniatoribus vos.

Math. 5.

Ideo adhuc subditur: Auertantur retrorsum & erubescant qui volunt mihi mala. Primum fuit impetus persequentium: modò remansit maliuolentia cogitantium. Tempora sunt in Ecclesia persecutione distincta. Factus est impetus in Ecclesiam, quando reges & principes persequerentur eam. Crediderunt illi: data est pax Ecclesie, sed non deest fremitus persecutorum: impetus tamè suos ad cogitationem verterunt. Dicitur est de his temporibus Ecclesie: Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fermet & tabescet. Pro his orat martyr, quomodo & pro illis, ut retrorsum auertantur, id est credant in Christum & sequantur. Erubescant etiam de commissis peccatis. Peccator enim & poenitens quo plus defert verecundie de recordatione delicti, eo vberiorè à domino meretur gratiam. Nonne hæc prætulit publicanus, qui nec audebat oculos ad cælum leuare? Ideo iustificatur magis domini iudicio, quam ille Phariseus quem deformauit præsumptio. Auertantur statim erubescantes, qui dicunt mihi, Euge, Euge. Id est, Bene bene. Similiter auertantur illi erubescantes de malis suis, qui adulantur mihi. Et hoc statim, ut eorum conuersio non moretur. Facile enim emendatur culpa, quæ citò corrigitur. His tribus versibus tria genera persecutorum commendantur, id est malefactores, maliuoli, adultores: quorum primum fit opere, alterum cogitatione, tertium

Psal. 111.

suos ad cogitationem verterunt. Dicitur est de his temporibus Ecclesie: Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fermet & tabescet. Pro his orat martyr, quomodo & pro illis, ut retrorsum auertantur, id est credant in Christum & sequantur. Erubescant etiam de commissis peccatis. Peccator enim & poenitens quo plus defert verecundie de recordatione delicti, eo vberiorè à domino meretur gratiam. Nonne hæc prætulit publicanus, qui nec audebat oculos ad cælum leuare? Ideo iustificatur magis domini iudicio, quam ille Phariseus quem deformauit præsumptio. Auertantur statim erubescantes, qui dicunt mihi, Euge, Euge. Id est, Bene bene. Similiter auertantur illi erubescantes de malis suis, qui adulantur mihi. Et hoc statim, ut eorum conuersio non moretur. Facile enim emendatur culpa, quæ citò corrigitur. His tribus versibus tria genera persecutorum commendantur, id est malefactores, maliuoli, adultores: quorum primum fit opere, alterum cogitatione, tertium

Luc. 18. Ibidem.

suos ad cogitationem verterunt. Dicitur est de his temporibus Ecclesie: Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fermet & tabescet. Pro his orat martyr, quomodo & pro illis, ut retrorsum auertantur, id est credant in Christum & sequantur. Erubescant etiam de commissis peccatis. Peccator enim & poenitens quo plus defert verecundie de recordatione delicti, eo vberiorè à domino meretur gratiam. Nonne hæc prætulit publicanus, qui nec audebat oculos ad cælum leuare? Ideo iustificatur magis domini iudicio, quam ille Phariseus quem deformauit præsumptio. Auertantur statim erubescantes, qui dicunt mihi, Euge, Euge. Id est, Bene bene. Similiter auertantur illi erubescantes de malis suis, qui adulantur mihi. Et hoc statim, ut eorum conuersio non moretur. Facile enim emendatur culpa, quæ citò corrigitur. His tribus versibus tria genera persecutorum commendantur, id est malefactores, maliuoli, adultores: quorum primum fit opere, alterum cogitatione, tertium

tium locutione. His tribus modis affligitur corpus Christi. Reprobi enim mala quæ possunt, bonis inferre non desistunt. Et cum non possunt malum quod volunt agere, non cessant illud cogitando tractare. Et cum nocere non valent, aut non audent, in aperto faciunt quod possunt, simulando, adulando, laudando, attrahendo. Isti sunt qui dicunt, Euge Euge: qui quos possunt, fallis laudibus seducunt. Pro his tamen orat Ecclesia, ut conuertantur, & fiat quod subiunctum est. Exultent, secundum corpus, Et latentur, secundum animam non in se gloriantes, sed in te, à quo habent lætari & exultare, omnes qui querunt te. Quia alij non habent in te lætari vel exultare. Et dicant semper, Magnificetur dominus. Peccator es? Magnificetur, ut vocet. Confiteris? magnificetur, ut ignoscat. Iam iuste viuis? Magnificetur, ut regat. Perseueras vsque in finem? Magnificetur, ut glorificet. Sæper ergo magnificetur dominus. Hoc dicant iusti: hoc dicant, qui querunt eum. Quisquis hoc non dicit, non querit eum. Dicant hoc, Qui diligunt salutare tuum, id est filium tuum. Ab illo est enim illis salus, non à se. Nec dignè possunt laudare Deum patrem, qui non diligunt Deum filium, per quæ saluati sunt. Dicant, Magnificus est dominus, qui nos tam potenter saluauit. De se autem dicat vnusquisq; quod subditur. Ego vero egenus, mendicans meam salutem, vel aliorum: & pauper sum, id est, insufficientis per me ad eam inquirendam. Nec tamen ideo diffido: nam Deus adiuuat me: ut possim quam desidero salutem possidere. Sic utique nos Deum laudare decet, ut cum illū prout possumus magnificamus, nosmetipsos infirmos & inutiles iudicemus. Ille enim abundans, nos egeni: ille diues, nos pauperes. Quando hæc recognoscimus, & de nobis diffidentes, in ipso solo confidimus: tunc nos tanquam pauperes & egenos adiuuat Deus. Vnde ad ipsum, cuius habet adiutorium, familiarem se conuertens locutionem subiungit. Adiutor meus, in bonis, & liberator meus, à malis, es tu: & non alius. Et hoc tantum mihi restat petere. Domine ne moreris, sed fac quod facturus es, ducendo me in gloriam tuam. Et hic aperte innuit se memorem beneficiorum Dei, sicut titulus prænotauit. Imploremus & nos domini Dei nostri adiutorium, & liberationem, & gloria: atque ex toto corde dicamus illi, Domine ne moreris.

Math. 1.

Luc. 17.

TITVLVS PSALMI LXX.

PSALMVS qui sequitur, hoc modo incitatur: In finem psalmus David, filiorum Ionadab, & priorum captiuorum. Hic titulus tægit historiam, quomodo filij Ionadab in prima captiuitate in Babylonia ducti sunt. Quibus pater Ionadab præcepit ut non biberent vinum, & in tabernaculis morarentur. Ionadab qui interpretatur spontaneus, dominum Christum figurauit: qui filius & imitatoribus suis præcepit, ut non bibant vinum, id est terrena voluptati non inhereant: & in tabernaculis, id est in militia domini habitare consuescant. Spontaneus domini fuit Christus, qui domino patri vsque ad mortem factus est obediens. Exponitur autem sic titulus: Psalmus iste attribuitur ipsi David, id est Christo, quia Christus loquitur in hoc psalmo. Psalmus dico, filiorum Ionadab, id est imitatorum Christi, quia ad utilitatem eorum agit: & priorum captiuorum, quia nunc filij Christi, prius filij Adam in captiuitate à diabolo

Iere. 35.

Luc. 21.

Philip. 2.

1. Cor. 15. captiui sunt ducti. Nam non fuit prius (ut ait Apostolus) quod spirituale est, sed quod animale. Animales quippe in Adam fuimus, in carne uiuentes: in Christo uero spirituales, id est spiritu uiuentes. Materiam est iustus omnis sperans in domino. Et describuntur multa beneficia Dei, circa sperantem in eum. In prima parte petit liberari à malis, ut possit Deum laudare. In secunda, quae incipit, Ne proicias me in tempore senectutis, petit, ut sicut Deus ei obtulit beneficia sua in iuuentute, sic faciat in senectute, ubi maximum opus est. In tertia (quae incipit, Quae fecisti magnalia Deus, quis similis tibi?) ponit gratiarum actionem de collatis beneficiis. Inuitat nos ueris Ionadab filios suos ad sui conformitatem, ut non bibamus vinum, & in tabernaculis moremur, sicut superius expositum est. Et ut, sicut ipse per obedientiae suae humilitatem sublimatus est, per eius humilitatis uestigia sublimari mereamur. Et haec est intentio. Per totum autem psalmum gratia Dei commendatur. Ait ergo.

P S A L M V S L X X.

Ne domine speraui, & si modò confundor: uel non confundar in aeternum. Recedendo à Deo cadit homo in peccatum, & confunditur. Accedendo ad dominum, corrigit se, & non confundetur in aeternum. Et ne confundi ualeat, petit, dicens: In iustitia tua libera me, & eripe me. Duo sunt quae in seruitutem nos redigunt: peccatum scilicet, & poena peccati. Vnde nunc postulat liberari à peccato per iustitiam, atque eripi à poena peccati, transeundo à morte ad gloriam. Et bene ait, In iustitia tua, hoc est à te data. Deus est enim qui per gratiam suam operatur iustitiam in homine, sine meritis. Ipse enim dat fidem suam, quae reputatur nobis ad iustitiam: quae operante gratia, facit hominem liberum, qui seruus fuerat per peccatum. Et quia merita mea digna non essent, ut ad tuam altitudinem peruenirent: ideo *Inclina ad me aurem tuam*, id est cõdescende mihi per tuam clementiam, & *salua me*. Et haec est confessio humilitatis. Qui enim dicit *Inclina ad me*, confitetur quia iacet, tãquam medico stanti eger prostratus. *Salua me*, inquit. Quomodo? *Esto mihi in Deum protectorem*. Ne ad me iacula perueniant inimici. Ego enim protegere me non possum. Et parum est in protectorem, ideo addidit: *Et in locum munitum, ut saluum me facias*. Et hoc erit in alia uita. Ibi enim in securitate erimus, ubi nos aggredi nullus ualebit inimicus. Prius ergo oportet ut hinc protegatur à Deo, ubi bellum est: quatinus deinde sit locus munitus in quo saluemur, ubi æterna requies est. Quid enim munitius, cum ad illum locum confugeris? Quos ibi aduersarios formidabimus? Et ideo saluum me debes facere, quoniam non habeo fortitudinem nisi à te. Et hoc est quod subdit. *Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu*. Ex te & per te sum firmus: & sicubi fuero infirmus in me, refugium ad te. Firmum & immobilem te facit gratia Christi, aduersus omnes tentationes inimici. Sed ibi est & humana fragilitas: ibi est adhuc prima captiuitas: ibi est lex in membris, repugnans legi mentis. Et adhuc corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Ideo quantumlibet & gratia Dei firmus sis, tamen adhuc formidandum est ex corruptione carnis. Ergo firmamentum meum es tu, ut sim firmus in isto seculo contra tẽtationes. Sed si multae sunt & turbant me: refugium meum es tu. Et quia superius dixit *Eripi me*: nunc de-

Rom. 7.
Sapient. 9.

Ioan. 5.

Rom. 4.
Ioan. 8.

terminat à quibus, cum subiungit: *Deus meus eripe me de manu peccatoris*, id est de potestate diaboli: qui specialiter dicendus peccator, quia ipse est persuasor omnis peccati. Et potes eripere me, quia Deus es. Et etiã debes, quia per gratiam meus fieri dignatus es. Et non solum de manu inuisibilis inimici eripe me, sed & de manu contra legem agentis & iniqui. Hic notatur omne genus peccatorum, scilicet aut legis transgressor, si accepit legem: aut tãtummodo iniquus sine lege, si legem non accepit. De utroque genere loquitur Apostolus dicens: Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Inter utrunque gemit corpus Christi, atque ab utroque affligitur. Nec se vindicat, sed patienter tolerat, & orat: unde adhuc subiungitur: *Quonia tu es patientia mea Deus, Deus spes mea à iuuentute mea*. Ideo me debes eripere, quia tu es causa, & fructus patientiae meae. Propter te grauius affligor: propter te æquanimiter patior. Nec solum patientia mea, sed & spes, id est certitudo mea. Bene autem post patientiam posuit spem, quia de patientiae uirtute certitudo spei generatur. Hinc Paulus ait: Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spes: spes autem non confundit. Quanto hic grauiora propter Deum sustinemus, tãto maiora in futuro praemia à domino speramus. Spes dico, à iuuentute mea, id est à tempore fortitudinis meae. Non enim dicit iuuentutem, quantum ad aetatem: sed quantum ad animi uirtutem. A iuuentute mea cepi in te sperare, ex quo me aduersus diabolum armasti: ut munitus fide, spe, & charitate, caeterisque spiritualibus armis, contra aduersarios tam uisibiles, quam inuisibiles dimicarem. Nec à iuuentute tantum sed etiam *In te confirmatus sum ex utero: de ventre matris meae tu es protector meus*. Uterum Ecclesiae parationem illam dicit, qua instruitur homo, cum credere incipit: & ante in eo utero formatur spiritualiter, ut deinde in lucem ueræ cognitionis pariat. Et tu etiam es protector meus de ventre matris meae Ecclesiae, id est ex quo fui renatus de baptisate. Totum est commendatio gratiae diuinæ, quae operatur in nobis & uelle & operari, pro bona uoluntate. Iustum est ergo ut gratiae suae beneficiis laudetur: unde & recte nunc subditur: *In te cantatio mea semper*. Id est omni tempore, & in prosperis & in aduersis laudabo te. Propter hoc tanquam prodigium factus sum multis. Multi enim amatores seculi putant me insanum & prodigiosum, cum uident me inuisibilia, quae ipsi contemnunt, laudare & appetere: uisibilia uero quae ipsi appetunt, contemnendo uitare. *Et tu contra omnia opprobria factus es mihi adiutor fortis*. Tu enim ministras spiritualem fortitudinem ad contemnendam hominum insultationem. Ideo *repleatur os meum laude*, antequam essem, quia fecisti: cum essem, quia saluasti: cum peccassem, quia ignouisti: cum conuersus essem, quia adiuuisti: cum perseuerassem, quia coronasti. Ita planè repleatur os meum laude, *Ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam*. Ut exultando annuntiem quàm gloriosus sis, & quàm magnus. Et hoc tota die, id est sine intermissione: tam in prosperis, quibus consolaris, quam in aduersis, quibus corrigis. Dico quia tu es spes mea à iuuentute mea. Et sicut in iuuentute non deseris, sic *ne proicias me in tempore senectutis*. Et quid per senectutem accipiat, determinat, dicens: *Cum deficiet uirtus mea, ne derelinquas me*. Defectum uirtutis nominat senectutem, sicut superius iuuentutis nomine defi-

Sapient. 2.

Roma. 2.

Roma. 5.

1. Cor. 3.

2. Cor. 10.

Ephes. 6.

Ioan. 3.

Philip. 2.

gnauit fortitudinem. Ac si dicat: Ne proicias me à te: non permittas me peccare ex infirmitate. Quòd si per fragilitatem peccare contigerit, ne derelinquas me ex toto, vt deficiens viribus perseuerem in peccato. Proiecit Deus Petrum, cum permisit peccare: sed non dereliquit, quia fecit poenitere. Non potest legi versus iste in persona Christi, vt à patre postulet ne illum deserat in tempore suæ passionis, quando visa est defecisse virtus eius in miraculis. Et opus est (inquit) vt non derelinquas, *Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui custodiebant animam meam.* Non vt imitentur, sed vt perderent eam. *Consilium fecerunt in unum.* Id est in vnã voluntatem nocendi. *Dicentes, Deus dereliquit eum.* Vnde est illud in Euangelio: Non est hic homo à Deo, & Dæmonium habet. Ideo *Persequimini & comprehendite eum.* Et securè potestis facere: *Quia non est qui eripiat.* Dicitur est hoc de Christo. Ille enim qui potentia diuinitatis resuscitauerat mortuos, subitò inter manus inimicorum infirmus factus est, & quasi nihil valens comprehensus. Quando autem apprehenderetur, nisi primò illi corde suo dicerent, Deus dereliquit eum? Quo contrà postulat, dicens: *Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum respice.* Ita fit. Non elongatus est à filio suo Deus pater: sed semper est ei coæternus. Non elongatur etiam ab eis, imò propè est qui tribulato sunt corde. Prope est, vt audiat. Prope est, vt misericorditer respiciat. Prope est, vt auxilietur. Oculi domini super iustos: vultus autem domini super facientes mala. Tamen pro talibus orat, cum subiungit: *Confundantur & deficiant detrahentes anima mea.* Hoc illis expedit, vt peccata sua recognoscant: vnde confundantur & deficiant in se, qui malè de se præsumebant. *Operiantur multa confusione, interius, & pudore, exterius: qui querunt mala mihi. Ego autem semper sperabo.* Quicquid illi facient, quantumcunque persequentur: ego non frangar vlla aduersitate, sed se mper firmam spem habebō in te. *Et aduiciam super omnem laudem tuam.* Quid est hoc? Quid potest aduicere homo super omnem laudem Dei? Sed laudatus erat Deus in omni creatura sua, in regimine seculorum, in ordinatione temporum, in eminentia cæli, in fœcunditate terræ, in circûfusione maris, in ipsis filiis hominum, in danda lege, & cæteris omnibus mirabilibus suis. Nondum erat laudatus in eo quòd suscitauit carnem in vitam æternam. Laus ergo Dei super omnem laudem antehabitam aduicitur, cum vnigeniti eius incarnatio, passio, resurrectio & ascensio in cælum prædicatur. Vnde adhuc subiungit: *Os meū annuntiabit iustitiam tuam.* Et subdit quid vocet iustitiam, scilicet *salutare tuum,* id est filium tuum, qui & saluat sperantes in se, & iustificat. Et hoc *tota die,* id est toto tempore. Hæc est laus, quæ superat omnem laudem Dei, scilicet iustitiam prædicare, qua iustificatur impius: & salutare, quo saluatur damnatus. Et propter hoc annūtiaui iustitiam tuam: *Quoniam non cognoui,* id est non approbavi *literaturam.* De qua Paulus dicit: *Litera occidit, Spiritus autem viuificat.* Quidam enim non de gratia, sed de litera gloriabantur, eo quòd legem accepissent. Lex autem sine gratia, sola litera est, & manet ad conuincendam iniquitatem, non ad dandã iustitiam. Si enim data esset lex quæ posset viuificare, omnino ex lege esset iustitia. Sed cõclusit scriptura omnia sub peccato

peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. In ipsa gratia glorians, literaturam non cognoui, id est, homines de litera præsumentes, & à gratia resiliētes toto corde reprobauī. Vnde meritò subdit: *Introibo in potentias domini.* Spiritus enim homo dum non adhæret literæ, meretur per intellectum ad interiora spiritus introire, vt potentias domini sciat, id est, gratiam & virtutes, quibus iam non infirmatus per carnē mandata diuina potenter impleat. In hoc etiam cõmendat gratiã Dei, non iustitiam suam, cum protinus addit: *Domine memorabor iustitiæ tuæ solius.* Quidam enim ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei nõ sunt subiecti. Nullam meam agnosco, solius tuæ memorabor iustitiæ. Iustitia tua sola me liberat: mea sola non est nisi peccata. Non gloriabor de viribus meis, ne in literatura maneam: sed de gratia tua per quam literam operando adimpleam. Nec solùm facere, sed & ipsum scire Deo attribuit, cum subiungit: *Deus docuisti me à iuuentute mea, & usque nunc.* Ex ipso initio fidei quomē innouasti, usque modò, docuisti me, quia tuæ solius iustitiæ memorari debeo. Considerans enim vitam præteritam meam, video quid mihi debebatur, & quid acceperim pro eo quod mihi debebatur. Debebat pœna, reddita est gratia. Debebat gehenna, data est vita æterna. Ex quo conuersus sum, didici merita mea nulla præcessisse, sed gratiam tuam mihi gratis venisse. Taliter eruditus *Pronuntiabo mirabilia tua,* Id est, ea quæ tu mirabiliter operatus es, aliis prædicabo. Quid mirabilius inter Dei mirabilia, quàm quòd ipse creator factus est creatura? Deus humanam naturam suscepit. Sanguine suo perditum hominem redemit, de morte ad vitam, de mundo ad gloriam reduxit. Hæc sunt, quæ pronuntiabo mirabilia, quæ me docuisti à iuuentute mea. Et sicut hucusque cepisti misericors domine, sic usque in finem non cesses agere. Et hoc est quod subdit: *Et usque in senectam & senium, Deus, ne derelinquas me.* Adiuuisti fortè, non deseras debilè. Tempore Apostolorum & martyrum erat iuuenis Ecclesia, fortis in virtute, patiens in tribulatione, perfecta in sapientia. Iam quia charitas refrigescit, minuitur sapiētia, virtus deficit: quasi in senectutē venire cepit. Tẽpore Antichristi cadet in senium, quando eius virtus adeo diminuta erit, vt si fieri possit, seducatur etiam electi. Postulat ergo Christi Ecclesia, vt sicut à iuuentute per omnipotētis Dei gratiã regitur: sic usque in finem per eandẽ gratiã gubernetur. Usque in senectã & senium meum, id est usque ad diem vltimũ meum, usque in finem seculi gratia tua perseueret mecum. *Donec annuntie brachium tuum,* Id est, filiũ tuũ, *generationi omni quæ uertura est.* Hinc alibi dicitur: *Et brachium domini cui reuelatũ est?* Ideo Christus brachium domini dicitur, quia ipse est virtus & fortitudo Dei per quẽ omnia facta sunt: & à quo diaboli virtus superatur. Omni generationi annuntiat hoc brachiũ, vt credẽdo in dominũ Iesum Christũ fortes permaneant, atque in tanta virtute confidendo, diabolus & vitia potenter vincant. Annuntiabo (inquit) non vires aut iustitias meas, sed *Potentiam tuam & iustitiã tuã, Deus,* quæ extenduntur usque in altissima quæ fecisti magnalia. id est, usque ad ipsas cælestes virtutes, quas tu longe mirabilius quàm cætera opera tua creasti. Dei magnalia sunt angeli, sedes, dominationes, principatus, potesta-

tes. Hæc ipsa magnalia tibi debent quòd sunt, quòd iuste viuunt, quòd beatè viuunt. Non solum homines gratia Dei gubernantur, sed & ipse altissimæ & æternæ potestates. Vnde admirando exclamat, dicens: *Deus quis similis tibi,* subaudis, in magnalibus faciendis? Voluit primus angelus tibi esse similis, & cecidit. Voluit primus homo, cui serpens dixit: Et eritis sicut dij, & dignitatem amisit. Et tamen ad similitudinem Dei factus legitur homo: & ipse dominus ad similitudinem suam nos inuitat, dicens in Euangelio: Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos, ut sitis filij patris vestri. Et

Isa. 14.
Genes. 3.
Genes. 2.
Matth. 5.
1. Ioan. 3.
Ioan. 8.
Hebr. 13.
Genes. 2.
Psal. 48.
Genes. 3.
Ibidem.
1. Corint. 15.
Ioan. 3.
Matth. 4.
Luc. 7.
1. Timot. 2.

Apostolus: Similes (inquit) ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. In quo ergo peccauit homo, si esse voluit quod Deus in illo fecit? Sed voluit hoc peruersè, ut quomodo Deus non habet à quo formatus est, non habet à quo regatur: sic ipse voluit in sua potestate esse sine domino, sine rectore, ut propria vteretur voluntate. Posset autem & hoc velle sine peccato, scilicet ut similis esset Deo. Quisquis enim vult ita esse similis Deo, ut ad illū stet, & ab illo fortitudinē suā custodiat, eiq; coherēdo signetur tanquā cera ex anulo: habet imaginē eius, faciens quod dictū est, Mihi autē adhærere Deo bonū est. Hic custodit similitudinē & imaginē ad quam factus est, & non peccat. Quod quia homo prius agere contēpsit, nunc captius clamat: Deus quis similis tibi? Peruersè volui esse tibi similis, & factus sum similis pecori. Sub tua dominatione, sub tuo præcepto verè similis eram. Sed homo in honore positus non intellexit, cōparatus est iumentis insipiētibus & similis factus est illis. Et quia tetigit vetitū, inuenit suppliciū. Vnde nunc gemens subdit: *Quantas offēdisti mihi tribulationes malas & multas!* Ostēsum est enim malū homini per experimentū: Vnde scriptū est: Et aperti sunt oculi eorū. Cognouerunt enim se peccasse. Clausi sunt oculi interiores quibus videbant spirituale bonum: & aperti sunt oculi exteriores ad experiendum malum. Quis autem potest dicere aut excogitare, quantas & quā multas tribulationes & anxietates videat & sentiat miser homo, in hac mortalitate & corruptione? Quæ ideo malæ sunt, quia sine culpa esse non possunt. Disciplina tamen fiunt, & admonitio est, non desertio. Nam protinus addit: *Et conuersus viuificasti me.* Quasi post iram conuersus ad misericordiam, viuificasti genus humanum in primo parente mortuum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. *Et de abyssis terræ,* Id est, de profunditate & submersione peccati, *iterum reduxisti me.* Quid est, quòd dicit iterum? Non enim semel reducit Deus à peccatis: sed modò per baptismum, modò per pœnitentiam, modò per conuersionē: & sic multis & diuersis modis reducimur ad salutem. Nos iteramus culpam, pius dominus iterat erga nos suam misericordiā. Vel de abyssis terræ, id est de peccatis quæ nos mergunt in interitum, reduxit Deus genus humanum. Primū per fidem, iterum per speciem: nunc rectè viuendo, iterum æterna beatitudine perfruendo. Surreximus mente, fide, spe, charitate. Restat ut surgamus & corpore. Et quia hoc iam spe tenemus, dicatur rectè, Et de abyssis terræ iterum reduxisti me. Mihi verò sic reducto, *Multiplicasti magnificentiā tuam,* id est, multis modis magna & multiplicia virtutum dona

contu

contulisti. *Et conuersus,* per mediatorem Christum, ab ira quam habebas de peccato contra genus humanum, *consolatus es me,* securum faciendo de æterna promissione. Et quia duas dixerat reductiones, vnam secundum spiritum in re, alteram secundum corpus in spe, eas duas commendat, cum subiungit: *Nam & ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam, Deus.* Hoc est secundum spiritum. A superiori enim sonat psalteriū quod est quasi vas quoddam spirituale, in quo psalmi continentur, in quo etiam domini veritas ad ipsius honorem prædicatur. Vasa psalmi, instrumenta sunt vbi psallamodia fit: & significant viuificationem spiritus. Quid de corpore? *Psallam tibi in cithara sanctus Israël.* Cithara enim ab inferiori parte sonitum reddit. *Psallam tibi in cithara,* id est, in mortificatione carnis. Tibi inquam, qui es sanctus Israël, id est, qui sanctificas eos qui sunt spiritualiter Israël, id est, videntes Deum. Et ideo *Exultabunt labia mea cum cantauero tibi, & anima mea quam redemisti.* Tam certus erat sanctus Dauid de redemptione animæ suæ, ut iam diceret factum, quod in spitu præuidebat futurum. Non ait: Et anima quam redēpturus es: sed Anima mea quam redemisti. Quapropter dum domino cantat, nō solum exterioribus labiis, sed intus in anima exultat. Sic enim Deum laudare decet, ut mens concordet cum voce, ut impleatur illud Apostoli: *Psallam spiritu, psallam & mente.* Nec solum labia mea decantabunt, *Sed & lingua mea meditabitur iustitiam tuam:* Id est, qualiter anima mea per te redempta sit & iustificata, nullis meis præcedentibus meritis, sed sola tua gratuita misericordia. Quando hoc meditabitur? In fine, *Cum confusi & reueriti fuerint qui quarunt mala mihi.* Duobus modis confundentur & erubescunt: aut cum credent in Christū, aut cum venerit Christus. Resurgēt enim omnes mortui, quisq; cum causa sua: separabuntur boni ad dexterā, mali vero ad sinistrā. Et tunc cōfundentur, qui antè exultabāt: erubescēt qui garriebant, cum dicetur eis: *Ite in ignē eternū.* Et notandū quòd non ait, Et lingua mea loquetur: sed meditabitur. Tunc enim linguæ cessabunt quoniā in illa beata vita omnium voluntates & cogitationes omnibus inuicem apparebunt.

T I T V L V S P S A L M I L X X I.

DSALMVVS David, in Salomonē. Tractatus iste tēdit in Christū, qui est verus Salomon id est, pacificus, qui pacē posuit inter Deum & genus humanū. In hoc psalmo Christus materia est secundum utrāque naturam, diuinam scilicet & humanā. In prima parte petit ei dari iudiciū, & affirmat quòd habebit. In secunda (quæ incipit, Orietur in diebus eius iustitia) loquitur de regno, ipsum regnum commendando multis modis. In tertia (quæ incipit, Sit nomen eius benedictum) cōmendatio est ipsius regis. Intendit nos admonere, ut subiiciamur ipsi Salomoni. Vox propheta præuidentis Christū futurum regem, qui orando prophetat, ut detur ei regnū dicens.

P S A L M V S L X X I.

DEVS iudicium tuum regi da: & iustitiam tuam filio regis. Hoc confirmat in se dominus, vbi ait in Euāgelio: Pater non iudicat quemquam, sed omne iudiciū dedit filio. Qui rex etiā filius regis est, quia & Deus pater utiq; rex est: & ipse filiū suum incarnatum constit

Psal. 2. constituit regem super populū suum, vt eum secundum iustitiā & iudiciū,
Matth. 2. secundū bonos mores & virtutes spiritualiter regeret, atq; in suo cælesti re-
Ioan. 1. gno perenniter collocaret. Ac si dicat: O Deus pater, da regi Christo super
Ioan. 5. homines iudiciū tuum, vt sicut tu habes iudicare, ita habeat & ille. Atq; eidē
Matth. 28. filio regis, id est, tui qui solus rex es, & in veritate tuos regis, da iustitiā tuam
 id est, iustum iudiciū: quia rex ille semper iusta iudicia iudicabit. Endiadis
 est, quia per diuersa idem dicit. Idem est enim in hoc loco iustitia & iudiciū.
 Nec aliud designant, nisi iudiciū iustum. Da ei *Iudicare populum tuum in*
iustitia, id est, vt iustē iudicet vniuersos: videlicet bonos & malos. Nec mo-
 uere debet, quod dicit, Tuum. Sui enim sunt etiam perversi, nec quicquam
Matth. 12. possunt facere, nisi permissu Dei. Similiter *& pauperes tuos in iudicio*, subaudi-
Matth. 25. da ei iudicare. Iudicat Christus in hac vita bonos & malos. Iudicabit etiam
 postmodum, quādo malos à bonis separabit. Et notandū quod cū diceret,
Matth. 5. *Pauperes* mox addidit, *Tuos*: vt per hoc designaret pauperes veros. Nō enim
 omnes pauperes, sunt pauperes Dei, sed diuites sui: quia non humiles sunt,
 sed superbi. Et sunt quidam diuites qui facilius omnia sua pauperibus tri-
 buant, quā ipsi pauperes faciant. Propterea ad designādos pauperes tuos,
Ibidem. dicit dominus in Euangelio: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est
Luc. 6. regnum cælorum. Non ait pauperes rebus, sed spiritu: quoniam hæc beata &
 Deo acceptabilis paupertas est, vbi præsumptio spiritus non est. Tales pau-
 peres in futuro iudicio iudicabit & saluabit Christus: quoniam sicut alibi di-
Psal. 9. citur: Patientia pauperum non peribit in finem. Nec solū da ei iudiciū,
Marc. 16. sed fac illum per prædicatores tuos diuulgari per totum mundum. Et hoc
Acto. 10. est quod subdit: *Suscipiant montes pacem populo, & colles iusticiam*. Eminentes
 excellenti sanctitate mōtes in Ecclesia sunt, qui idonei sunt & alios docere.
2. Corin. 3. Suscipiant isti montes pacem prædicandam populo, sicut illis præceptum
Luc. 10. est à domino. In quancunque domum intraueritis, primū dicitis, Pax huic
 domui. Colles sunt minores. Ipsi suscipiant iusticiam, id est obedientiā quæ
 est in hominibus, & in omni rationali creatura omnis iustitiæ origo atque
 perfectio. Vel per montes & colles possunt intelligi Euangelicę pacis vtriq;
 prædicatores, siue præcedentes, siue sublequentes. Ipsi suscipiant pacem &
Colos. 1. iusticiam, id est, Christum, qui nos pacificat Deo, & iustificat per fidem: cūm-
Rom. 4. que notificent populo. Primū postulat, deinde affirmat quod re vera iudi-
 cium habebit Christus. Vnde & dicit: *Iudicabit pauperes populi*, id est, veros &
 spirituales pauperes, segregando eos à populo, sicut dominus discipulis suis
Ioan. 15. ait: Ego vos elegi de hoc mundo. *Et saluos faciet filios pauperum*, id est, imita-
Apoc. 12. tores Apostolorum: *Et humiliabit calumniatorem*, id est, opprimeret diabolum,
 qui est iniustus accusator fratrum nostrorum. Humiliatus est enim, quia
 quem occiderat resurrexit, regnumque mortis abstulit. Cuius ille potesta-
1. Corin. 15. tem ita gerebat, vt per vnum hominem quem deceperat, omnes per mor-
Rom. 5. tem traheret ad damnationem. Sed humiliatus est: quoniam si per vnus deli-
Philip. 2. ctum mors intrauit in mundum, multo magis qui abundantiam gratiæ
Rom. 5. accipiunt in vita, regnabunt per Christum qui humiliavit calumniatorem.
Et permanebit cum sole, id est, cum deitate: quæ ideo dicitur sol, quia vera co-
 gnitione

gnitione iustitiæ illuminat animam humiliato calumniatore: cum sole per-
 manet, quia victo diabolo per resurrectionem ad dexteram patris sedet, *Sapien. 5.*
 vbi iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur. *Et hoc ante lunam.* *Marc. 16.*
 Tanquam primogenitus à mortuis præcedens Ecclesiam, quæ variando *Hebr. 1.*
 deficit & crescit *In generationem & generationem*. Aut generationem dicit, qua *Rom. 6.*
 generamur mortaliter. Deinde incarnationem diuinitatis annuntiat, cū *Apoc. 1.*
 subiungit: *descendet sicut pluuia in vellus*. Quid enim tam silenter & sine stre-
 pitu fit, quā cū imber in vellere descendit? Nullius aures sono verberat.
 Nullius corpus humore percussis roris aspergit: sed sine inquietudine om-
 nium totum imbrem per multiplices effusum partes, toto corpore vnus
 meatus, scissuram nesciens, solida mollicie meatus plures prabet: & quod
Iudicium 6. clausum videtur per densitatem, est patulum per tenuitatē. Rectē ergo Ma-
Luc. 1. riam velleri comparamus: quæ ita concepit dominum, vt toto eum hauri-
 ret corpore, nec eiusdem corporis scissuram pateretur: sed esset mollis ad
 obsequium, solida ad sanctimoniam. Rectē ergo Maria velleri compara-
 tur: de cuius fructu salutaria populis vestimenta texuntur. Vellus planē
Ibidem. Maria est. Si quidem de molli sinu eius Agnus egressus est, qui & ipse ma-
Ioan. 1. tris laniciem, id est, carnem gestans molli vellere, cunctorum operit vulne-
1. Pet. 4. ra populorum. Omne enim peccati vulnus Christi lana suffunditur, Christi
Ioan. 1. sanguine fouetur: & vt sanitatem recipiat, Christi indumento vestitur. Et
 quia de plenitudine eius nos omnes accepimus, aptē subiunctū est: *Et sicut*
stillicidia stillantia super terrā. Quoniam tota se diuinitas infudit in Mariam, de-
 scendit sicut pluuia in vellus: quoniam per diuisiones gratiarum perfudit
Iudicium 6. Ecclesiam, descendit sicut stillicidia stillantia super terram. Gedeon in præ-
 liū iturus, belli exitus signum à domino petiit. Posuit igitur super terrā vel-
 lus, quod prius madidum, postea verò siccū apparuit. Terra autē prius sicca,
 postea verò madida fuit. Pluuia Christus, vellus Iudæa, terra verò gentium
 multitudo intelligitur. Prius pluuia in vellus, primitus Christus in Iudæam
 descendit. Erat autem terra sicca, quoniam gentium populus indoctus ad-
 huc & imbaptizatus erat. Sed nunquid semper sicca erit? Non utique sem-
 per: vellere excusso in omnes terras Christi nomen diffunditur. De vellere
Psal. 18. ergo in terram, de Iudæa in gentes Christi nomen rorisque superni fluxit
Rom. 10. doctrina. Et quæ utilitas erit in aduentu Christi? *Orietur in diebus eius iustitia*
& abundantia pacis. Hoc etiam secundum literam impletum est. In tempore
 enim quo natus est dominus, sub vnus regionis imperio totus mūdus quie-
 scebat. Spiritualiter autem & pax & iustitia in diebus eius exorta sunt. Pec-
 catores facti iusti, & discordes pacifici. In diebus eius iustitia exorta est,
Luc. 2. id est, gratia fidei qua iustificantur electi. Bene autem dicitur, *Et abundan-*
Rom. 7. *tia pacis*: quoniam per totum mundum erit abundans reconciliatio, &
Luc. 2. de omni parte erunt homines reconciliati Deo. Hæc autem pax perse-
 uerabit in sanctis, *Donec auferatur luna*. Id est, donec fiat immortalis & im-
 passibilis: præsens Ecclesia. Quid est enim donec auferatur luna, nisi donec
 efficiatur, vt non sit? Videlicet vt pacis abundantia vsq; ad hoc perducatur,
 vt cōtradictio ac rebellatio penitus destruat, & fiat pax intantū crescēs, vt
 morte

1. Corint. 15. morte omnino deuicta inter carnem & spiritum, inter hominem & Deum inconcussa concordia atque vnitas indiuisa perpetuo habeatur. Deinde ostendit amplitudinem regni, cum subiungit: *Et dominabitur à mari orientali, usque ad mare occidentale: & à flumine Iordane, usque ad terminos orbis terrarum*, in circuitu totius orbis. Per flumen Iordanem in quo Christus baptizatus est, accepimus baptismum, per quem Christus dilatatur per totum mundum. *Coram illo procident Aethiopes: & inimici eius terram lingent*. Per Aethiopes, à parte totum significauit omnes gentes: eam eligens gentem quam potissimum nominaret, quæ in finibus terræ est. Procident (inquit) coram illo, id est, adorabunt illum: & inimici Dei terram lingent, si quando Iudæi, hæretici & pagani in Apostolorum doctrina delectatur. Sunt enim Apostoli sal terræ. Lingent etiam terram inimici Dei, quædo fallaciæ blandimentis verbisque adulatoriis sanctos decipere nituntur. *Reges Tharsis & insule munera offerent: reges Arabum & Saba dona adducent*. Hoc Magi stella duce etiam corporaliter impleuerunt, quos vniuersæ terræ reges & principes adhuc quotidie spiritualiter imitari non desistunt. Tharsis interpretatur exploratio gaudij, vel contemplatio. Aliqui enim venientes de exploratione gaudij, experta & despecta inani læticia huius mundi, seipso facientes reges, carnalitatem suam rationabiliter regendo, semetipso offerunt in munera regi domino. Per insulas (quæ sunt terra sicca & circumdata mari) accipimus eos qui sicci sunt à fluctibus huius mundi: cuius tempestatibus nequaquam demerguntur, licet procellis eius circumqua; tundantur. Tales insulæ munera offerunt, quia bona quæ operantur, domino ascribunt. Arabia interpretatur humilitas. Saba succensio. Humiles & illi qui in se vitia succendunt, nihilominus facti reges, semetipso, dona gratuita domino adducunt. Ea quippe adduci solent, quæ ambulare valent. Nunquid de immolandi victimis hoc dictum est? Absit vt talis oriatur in diebus eius iulteria. Sed per hæc dona quæ domino adducenda prædicantur, homines fideles designantur, quos in societatem Ecclesiæ Christi regum adducit auctoritas. *Et adorabunt eum omnes reges*, qui prius solebant adorari, id est, aliqui de omni genere regum: *& omnes gentes*, quæ prius solebant seruire terrenis regibus, *seruient ei*, nostro videlicet caelesti regi. Et merito, *Quia liberabit pauperem à potente*. Ille hic dicitur potens, qui superius calumniator est appellatus. Quem potentem ad homines sibi subiiciendos atque in seruitute retinendos, non virtus eius fecit, sed humana peccata. Sed qui humiliavit calumniatorem, & intrauit in domum fortis, vt eo alligato vasa eius eriperet, ipse liberavit pauperem à potente, & tam desolatum & miserum pauperem, cui non erat adiutor. Non enim hoc efficere potuit vel quisquam homo iustus, vel aliquis angelus. Non poterant etiam per liberum arbitrium liberari, nisi tantummodo per Christum. Et quomodo liberabit? *Parcet pauperi & inopi*. Pauper est, qui nihil habet. Inops qui alterius ope indiget. Hunc pauperem virtutibus & bonis operibus vacuum & desertum, non damnabit rex pius iuxta proprium meritum, sed parcet, relaxando pœnam, dimittendo culpam. Et sic: *Animas pauperum saluas faciet*. Diuitum animabus dæmoniis traditis.

Et quo

Et quomodo saluas faciet animas pauperum? *Ex-vsuris & iniquitate redimet animas eorum*. Quoniam neque vsuras neque iniquitates amplius exercebunt. Siue ex vsuris & iniquitate, diaboli. Hic enim pessimus scenerator aliis luxuriam, aliis auaritiam, aliis verò superbiam commodat: in quibus postquæ peccatores exercitati fuerunt, animam pro vsura diabolo reddunt. Pecunia diaboli est iniquitas, quam nos ab ipso suscepimus. Super hanc pecuniam exigit à nobis vsuras, id est, pœnas, quas non suscepimus & soluimus. Ab his vsuris & iniquitate redimuntur animæ pauperum, sanguine illo qui effusus est in remissionem peccatorum. *Et sic factum est honorabile nomen eorum coram illo*. Iam enim non memor est nominum eorum per labia sua, quibus antea vocabantur idolatræ, siue adulteri, siue homicidæ: quoniam relictis vitiis pro quibus signabantur talibus vocabulis, conuersi ad Christum suscepunt nouum vocabulum, vt à Christo diceretur Christiani. Quod utique nomen coram illo est honorabile, etsi coram inimicis habeatur despicabile. Audi & aliud honorabile nomen, atque omni iocunditate plenum, quod ipse pius dominus discipulis suis imponere dignatus est, dicens: Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos. Sequitur commendatio ipsius regis de quo ait: *Et viuet*. Non enim in morte remanebit, sicut Iudæi putauerunt: sed resurget à mortuis, et viuet in æternum, teste Apostolo qui ait: Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. *Et dabitur ei de auro Arabia*. Multi enim ex sapientibus gentium conuertentur ad ipsum. Vel aurum Arabiæ significat sapientiam in humilitate. Arabiam enim interpretari diximus humilitatem. Hoc thesauro nihil charius, nihil pretiosius aut haberi, aut offerri Deo potest, *Et adorabunt de ipso semper*. Id est, summa & singulari veneratione colent eum. Et hoc quod eum adorabunt, procedet de ipso, id est, de munere ipsius. Nos enim quomodo oremus nescimus, sed Spiritus sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. De ipso habent, si qui bene orant. Ab ipso trahunt quicquid boni possident. Merito ergo *rota die*, id est assiduè *benedicent ei*, gratias referendo, & bona sua non sibi, sed domino ascribendo. Ostenditur & alia causa vt benedici debeat, cum subditur: *Erit firmamentum in terra*. Omnes enim promissiones Dei in illo firmate sunt. Et quicquid prophetatum est pro salute nostra, totum in illo est, vel erit adimpletum. Fideles quoque animæ in hac terra positæ, non habent aliud firmamentum, nisi Christum. Firmamentum est timetibus eum. Ecce est firmamentum. Nunquid altum? Erit utique. Nam *In summis montium superextolletur*, id est, inter illos montes, qui sunt alii altiorem, cum Christus venerit, solus omnibus eminentior apparebit. Hinc alius propheta dicit: *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus domini in vertice montium*. Nam si alij montes extolluntur sanctitate, dominus noster superextollitur diuinitate. Ecce firmamentum est, & altum: nūquid fructuosum? Etiam *Super Libanum fructus eius*. Libanum solemus accipere veluti huius seculi dignitatem: quoniam mons est Libanus excelsas arbores habens, & nomen ipsum interpretatur Cædidatio. Et quid mirum si super huius seculi præclarum omne fastigium fructus superextolletur Christi, cuius fructus

F

dilectores omnia secularia cacumina contempserunt? Si autem in bono accipiamus Libanū, propter Cedros Libani quas plātauit: quis alius fructus intelligendus est, qui super Libanū extollitur, nisi de quo Apostolus de charitate locuturus dicit: Adhuc excellentiorem viā vobis demōstro? Hoc enim & in primo ponitur munerum diuinorum, vbi ait: Fructus autē spiritus est charitas. Atq; inde cetera consequenter cōtexuntur. Aptē autem adiunctū est, *Et florebant de civitate sicut fœnum terræ.* Civitas in hoc loco designatur seculi huius societas. Exaltatur itaq; fructus Christi super Libanū, id est, super arbores diurnas, & ligna imputribilia (quia ille fructus æternus est) omnis claritas hominis secundū temporalē seculi celsitudinē fœno cōparatur, quoniam à credentibus, & vitā æternam iam sperantibus, spernuntur fœlicitas tēporalis, vt impleatur quod scriptū est: Omnis caro fœnū, & omnis gloria eius vt flos fœni. Fœnū aruit, & flos decedit: verbum autē domini manet in æternū. Et propter hæc omnia beneficia *Sir nomen eius benedictum in secula.* Id est, fama & gloria nominis eius quātum ad homines, accipiat incrementū, & semper magis ac magis diuulgetur & magnificetur hīc & in æternū. Merito autem benedicendum est, quoniā etiam *Ante solem,* id est, ante omnia tēpora *permanet nomen eius.* Non dicit nomen, illā vocē quæ transit: sed substantia diuina hīc intelligitur, quæ per nomen significatur: & est consequens, vt qui Deum benedicit, benedicatur à Deo. Quod sanctus Isaac ostendit, quādo in figura Christi filio suo benedicens dixit: Qui benedixerit tibi, erit & ille benedictus. Hinc Abraham dicitur, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Vnde nunc rectē dicitur: *Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ.* Tribus dicuntur quasi curiæ, improprie tamen. Et dominus Deus populū suum per diuersas tribus diuidi præcepit: & sanctus Iacob secundū diuersas tribus filiis suis benedixit. Diuersæ tribus in Ecclesia Dei electas animas secundū diuersa merita designant, propter quod & in domo patris mansiones multæ sunt. Ac si dicat: Non solum ipse benedictus erit, sed omnes sui per eum. Vnde merito *Omnes gentes magnificabunt eum:* Non ipsi faciendo vt magnus sit, qui per se magnus est: sed laudando & magnum faciendū. Vnde ex parte sua Deum benedixit dicens: *Benedictus dominus Deus Israël qui facit mirabilia solus.* Quoniam quicumq; facit, non ipse per se, sed dominus per ipsum facit. *Et benedictū nomē maiestatis eius in æternū.* Nomine maiestatis intelligitur gloria diuinitatis. Quare autē cū diceret Deus Israël, nō potius dixit Deus omnium hominum, aut Deus totius creaturæ? Quia intendit ibi Deū cōmendare secundū gratiā. Nam secundū potentiā postmodum cōmendauit, vbi nomen suæ maiestatis apposuit: propter quod & protinus addidit: *Et replebitur maiestate eius omnis terra.* Qua in re notandum est, quia cū omnipotens Deus cuncta repleat per diuinitatis suæ potētiā, quædā tamen specialiter replet per suæ inhabitationis gratiā. Vnde sicut præmissus, ad commendandā gratiā suam dictus est Deus Israël, quoniā hanc gentē sibi specialiter elegit: de qua per prophetā alium dicit: Et inhabitabo & inambulabo in eis, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Quatuor ergo benedictiones in his quatuor versibus posuit. Primā de æternitate Dei. Secundā de benedictio

Isa. 40.

Genes. 27.

Genes. 22.

Nume. 34.

Iosue 13. &

14.

Genes. 50.

Ioan. 14.

Ierem. 23.

Ioan. 14.

Acto. 2.

Leuit. 26.

2. Corin. 6.

nedictione gētium in ipso. Tertiā de gratia spirituali Israël collata, in qua etiam solū Deum mirabilē prædicauit, quia in hoc solo opere gratiæ longe mirabilior quā in cæteris operibus extitit. Quartā gloriā suæ maiestatis, in qua consistit nostra beatitudo & finis. Hac enim maiestate replebitur omnis terra, replebitur tota Ecclesia. Et ex his omnibus benedictus sit Deus. *Fiat fiat.* Quia valde desiderat, ideo ingeminat.

T I T V L V S P S A L M I L X X I I.

SICUT per clauem vel ostium ingredimur in domū, ita per sensum titulum intelligentiam intramus psalmorum. Titulus huius psalmi est: *Defecerunt hymni David filij Iesse, Psalmus Asaph.* Hymni sunt cantus continententes laudem Dei. Si sit laus, & non sit Dei, non est hymnus. Si sit laus, & Dei, & non cantetur, non est hymnus. Oportet ergo vt si sit hymnus, habeat hæc tria: & laudē, & Dei, & canticum. Cū ergo dixit, *Defecerunt,* molestā rem videtur nuntiare. Nam qui cantat laudem, non solum laudat, sed etiam hilariter laudat. Qui cantat laudem, non solum laudat, sed etiam amat eum quem cantat. In laude confitentis est prædicatio, in cantico affectio. *Asaph interpretatur Synagoga sine cōgregatio.* Vox est in hoc psalmo Synagoga, deficientibus hymnis David, non filij Dei, sed filij Iesse. Ideo addidit filij Iesse, ne in hoc loco sicut in cæteris psalmis, per David intelligeretur Christus: sed per David acciperetur carnalis Iudaicus populus, cui præerat rex & propheta David. Huius David, id est carnalis populi laudes defecerunt, deficientibus temporalibus rebus, per quas solebat à carnali populo laudari Deus. Quare autē ille defecerunt, nisi vt alia quæreretur meliores, quæ deficere nō possunt? Materia est ipsa fidelis Synagoga. In prima parte iam tanquā confirmata Deū laudat, quæ antē dubitās pene errauerat. In secūda parte (qua dicitur, *Conuertetur populus meus hic*) cōuersio ab eo quod dubitauerat commendatur. In tertia (qua incipit, *Verū amen propter dolos*) ostendit hanc prosperitatem fallacem, atque amatores eius ad mortē trahentem. In quarta (qua incipit, *Quid enim mihi est in celo?*) ostendit se verum habere intellectum, nec iam temporalia quærere, sed solum Deum. Intentio est compescere simplices, ne de prosperitate bonorum aut aduersitate malorum murmurent aduersus Deum, quem constat in omnibus bonum esse & iustum. Ideo ait.

1. Para. 6.

2. Corin. 9.

P S A L M V S L X X I I.

QUAM bonus Israël Deus. Mirè quidē & ineffabiliter bonus est. Sed tamen summa eius bonitas non omnibus nota est, nisi tantummodo illis qui recto sunt corde, id est, qui nec extolluntur pro speris nec franguntur aduersis: & in vtroque bonum & rectum intelligunt Deum. Deinde incipit dubitationē suam quā prius habuit ad aliorū cōfirmationē declarare, cū subdit: *Mei autē penē moti sunt pedes.* Id est, animi affectiones penē motę sunt à Deo. *Penē effusi sunt gressus mei.* Id est, opera mea. Gressus nostri effunduntur, quādo pro diuersis & terrenis rebus appetendis operamur. Quādo autē pro solis æternis laboramus, iam nō effunduntur bonæ actionis gressus, sed ad vnū potius tendunt, scilicet ad Deum. Moti sunt pedes, ad errandum: fusi gressus, ad lapsum: nō omnino tamē, sed penē. Ac si apertius dicat: Penē recessi à Deo, & secundū voluntatē, & secundū actū. Ideo dicit: Penē, quia respuit. Nam si nō respuisset à Deo penitus recessisset. Sed quare hoc? *Quia zelauit super iniquos, pacē peccatorum videns.* Vidi

Matth. 19.
Marc. 10.

illos pacem habere, diuitiis florere, qui Deum contemnebant. Ego verò qui cultor Dei eram, iis omnibus carebam. Propterea zelabam super illos. Ideo indignabar, ideo inuidebam. Sed iam video quare hanc habeant pacem. Quare? *Quia non est respectus morti eorū.* Non est in eis respectus diuinæ misericordiae, vt liberentur ab æterna morte. Ideo hac tēporali pace hīc fruuntur, quatinus in futuro damnatione perpetua puniantur. *Et firmamentum in plaga eorum,* subaudis non est. Plagam eorum dicit culpam, in qua non est firmamentum, id est, aliquod pœnitentiæ vel salutis medicamentum. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Id est, non laborant sicut cæteri homines, neque affliguntur. Non sunt enim ex filiis Dei, quos flagellat misericors pater, vt recipiat. Nunquam autē hīc omnipotēs Deus magis irasci potest peccatori homini, quàm cum in hac vita permittat eum prosperari. *Ideo tenuit eos superbia.* Quia enim flagella non sentiunt, propterea elatē viuunt. Nam si flagellarentur, fortassis humiliarentur. Ergo superbia tenuit eos, alligauit, astrinxit, subdidit tanquā captiuos, tanquā seruos. Ex hac retentatione *Operi,* Id est, ex toto pleni *sunt iniquitate,* quantum ad proximum: *& impietate sua,* quantum ad Deum, O infelices illi, quos tanquā vinctos superbia tenet, tanquā submersos iniquitas operit. Quæ vnde processerit, ostenditur cū subiinfertur: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorū,* Id est, ex copia diuitiarum, ex tumore superbiæ, ex voluntate & delectatione. Ex quo notādum est, quia non ab vna semper origine procedit iniquitas. Nam aliquando ex necessitate deriuatur, aliquando ex abundantia. Sunt quidā mali quasi ex macie, quia exiles, exigui, pauperes & egētes, tabe quadā necessitatis affecti. Pauper furtum facit: ex macie processit iniquitas. Diues abundans aliena rapit: quasi ex adipe iniquitas prodiit. Cū dicas macro: Quare hoc fecisti? Humiliter afflictus, & abiectus respondet: Egestas cōpulis. Si dicas diuiti: Quare hoc facis? Vix dignatur audire, etiam contēnit te. Aliud est ergo ex necessitate peccare, aliud ex abundantia. Ecce hi à superbia incepterunt: quò peruenerunt? *Transferunt* (inquit) *in affectum cordis,* Id est, vīq; ad prauas voluntates suas adimplendas. Et hoc quòd ipsi transferunt, non impræmeditatē fecerunt, sed quasi ex mora & lima, quia *cogitauerunt* prius diu inter se: *& postea locuti sunt* ad alios docendos *nequitiam suam.* Et hoc non in abscondito, sed in manifesto. Vnde & subdit: *Iniquitatem in excelsis locuti sunt.* Non cum timore, sed cum audacia, clarè & apertè, audientibus omnibus. Nec solum cōtra homines tumidè & peruersè locuti sunt malū, sed etiā in Deum. *Posuerunt enim in calumias suam,* blasphemātes Deū, ipsi cælestibus detrahētes. *Et lingua eorum transiit in terra.* Prius in cælū, deinde in terrā linguā trāstulerunt: quia prius contra Christum, postea verò cōtra Ecclesiā locuti sunt. Vel linguā eorū in terra transire, est contēpto cælesti domino seipsos in hac vita laudare, magnificare, sicut alibi dixerunt: *Linguā nostrā magnificabimus,* labia nostra à nobis sunt. Quis noster dominus est? Et verè in hoc lingua eorum transiit in terra, quia loquacitas eorū metas humanitatis & modum excessit in natura, cū se intantum extollerent, vt Deum esse supra se contemnerent. Et quia intantum errauerunt, atque ad tantam malitiam ex

Prouer. 3.
Hebr. 12.
Apo. 3.

Psal. 115.

pace & prosperitate sua perueniunt, eorum damnatio, fuit aliis occasio conuersionis. Propterea subdit: *Ideo conuertetur populus meus hīc.* Hīc (inquit) in tanta eorum cæcitate, in tanta perditione, quam incurserunt qui diuitias amauerunt. Populus meus hoc ex ratione considerato, ex zelo & inuidia quam prius inde habuit, cōuertetur, ne simili damnatione cum amatoribus diuitiarum puniatur. Conuertetur (inquit) populus meus hīc, id est, considerata perditione prauorum. Vel hīc, id est, in hoc seculo, dum tempus est acceptabile conuertendi, & dies salutis. De quibus protinus addit: *Et dies pleni inueniuntur in eis,* scilicet pleni ad indulgentiam, ad misericordiam & ad gratiam. Venit enim plenitudo tēporis, in quo misit Deus filium suum in terris. Vel in his qui hīc ad Deum conuertentur, in futuro dies inueniuntur pleni beatitudine, pleni æternitate. Verè ibi dies pleni sunt, vbi lucet sol iustitiæ, vbi diuina splendet claritas & æterna. Deinde narrat qualiter primū errauerunt, & quomodo postmodum conuersi sunt. Ait enim: *Et dixerunt,* videlicet cogitando intra se ante conuersionem: *Quomodo scit Deus?* Id est, quomodo possumus scire quòd ipse sciat, quòd boni ita tribulantur & mali prosperantur? *& si est scientia in excelsis?* Si est quòd ipse sciat, quomodo patitur? Aposiopesis est, id est, defectio, vbi additur vt oratio plenè intelligatur. Talis erat error eorum. Putabant enim Deum res humanas aut nescire, aut non curare, cū tribularentur boni & florent mali. Vnde & subsequenter dicunt: *Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo, obrinuerunt diuitias.* Ego qui Deo serui, ego: ipsi peccatores sunt, & abundantes diuitias in seculo obtinuerunt. Et ideo ego quoque iunctus illis ante conuersionem, similiter dixi: *Ergo sine causa iustificauit cor meum,* vt mundus essem in cogitatione: *& laui inter innocentes manus meas,* id est, cū innocentibus actiones meas mundavi & hoc sine causa feci. Vbi est merces puræ conscientiae: vbi primum innocentis vitæ: Bene viuo, & ego: ille peccat, & abundat. *Et fui flagellatus tota die.* A me non recedunt flagella Dei. Bene serui, & flagellor: ille non seruit, & requiescit. Periculosa sunt hæc verba, & penè blasphema. Non dixit, Nesciuit Deus: sed quasi quærens hæsitat & nurat. Non dixit, Non est scientia in excelsis. Hoc est quòd ait paulò antè: Mei autem penè moti sunt pedes. Non confirmat, sed ipsa dubitatio periculosa est. Per periculum tamè trāsit ad sanitatē, vnde & subditur: *Et castigatio mea in matutinis,* Id est, sine dilatione. Castigatur autē cū ab errore sanatur. Impiorum differtur castigatio, mea non differtur. Illa sera, vel nulla est: mea in matutinis. Audi iam vocem castigati. Reprimit enim se ab eo quòd dixerat, atque errorem suum recognoscens ait: *Si dicebam, Narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.* Hoc vt planius intelligatur, opus est vt distinguatur sic: Dicebā cogitando intra me, si narrabo sic, sicut videlicet superius narraui: vel sicut narrauerūt illi qui dixerunt, Quomodo scit Deus? &c. Ecce manifestū est & certū quòd nationē filiorū, id est, iustorum tuorū reprobavi. Aliud dicturus sum, quàm dixit Abraham, quàm Isaac, quàm Jacob, quàm dixerunt prophete. Illi enim omnes dixerunt, quia curat Deus res humanas. Ego dicturus sum, quia non curat. An maior in me prudentia siue intellectus, quàm in illis? Saluberrima

2. Corin. 6.

Galat. 4.

Sapient. 5.
Mala. 4.

auctoritas reuocauit cogitationes ab impietate. Ne ergo iustos Dei reproba-
ret, imo vt vnū cum eis salubriter sentiret: iam errorē suum tenaciter nō def-
fendit: sed q̄ nesciat, humiliter dicit. Non enim paruus profectus scientiē est
vel suam ignorantia non ignorare. Vnde quidā ait: Hoc vnū scio quod ne-
scio. Et hoc est quod subdit: *Existimabā vt cognoscerē hoc, labor est ante me.* Puta-
bā me scire veritatē, quare floreat mali: quare doleat boni: & iam cōuersus,
iā castigatus recognoui, quia hoc labor est ante me. Quid est ante me? dum
apud me maneo, dum in sensu carnali persisto, dum sola visibilia attendo,
non possum facillē de terrenis rebus vera sentire. Quandiu erit iste labor?
Donec intrem in sanctuarium Dei. Donec mente transcam ad spiritualem intel-
ligentiam: *Et intelligam.* Id est, intellectum meum figam, *in nouissimis eorum.*
Ergo ad habendā rerum temporalium veram scientiam duo sunt nobis ne-
cessaria. Primū, vt æterna bono animo perpendamus. Deinde, vt eorum
quæ transeunt, finem sollicitē cogitemus. Quo vtroque perspecto facillē col-
ligitur quia vanitas est, quicquid temporaliter amatur. Nihil sanctuarium
Dei, nisi diuinum iudicium valet intelligi, quod qui ratione intrat, indubi-
tante intelligēdo considerat, quia omnipotens & iustus Deus ad hoc per-
mittit florere malos in hoc seculo, vt puniantur grauius in futuro. Ad hoc
bonos vult tribulari temporaliter, quatinus purgati postmodum gaudeant
æternaliter. Iam verò tanquā Dei sanctuariū ingressus, atq; ibi spiritualiter
eruditus, non solū de nouissimis quæ sentienda sunt, agnoscit: sed etiā pro-
pter quod data sunt malis bona, intelligens insinuat, cum subiungit: *Verum-*
tamen propter dolos posuisti eis, subaudis, diuitias, in quibus confidunt, quas
fallaciis dolisque adepti sunt. Non hoc ita accipiendum est, vt omnipotens
Deus (qui iustus est & bonus) hæc temporalia bona malis propter dolos po-
nat, vt ponendo hæc sic eos decipere intendas: sed in his bonis quæ bene
ipse qui bonus est, malis ponendo tribuit, ipsa eorum voluntas prona &
peruersus vsus seipso corrumpunt. Nam acceptis à bono Deo terrenis
bonis, vnde meliores bene dispensando & misericorditer largiendo esse
debuerūt, inde proprio vitio suæ cupiditatis & superbiæ corrupti, fallacias,
dolos, inuidias, & cætera mala exercuerunt. *Veruntamen* (inquit) *propter dolos*
posuisti eis. Quanquā dicam in nouissimis eorum, tamē hīc iam quodāmodo
punis eos occulto iudicio. Vnde & subdit: *Deiecisti eos dū alleuaretur.* Non di-
cit, Deiecisti eos, quia elati sunt: sed in eo ipso quo sunt elati, sunt deiecti. Sic
enim efferi, iam cadere est: & quāto magis exaltatur, & superbiūt exterior,
tāto magis excacatur interior. Quo plus ascēdunt, eo amplius quēadmodū
fumus euanesūt. Vnde & admirando adiūgit: *Quomodo facti sunt in desolationē?*
Vbi enim superbia, ibi desolatio. Nā dum mēs extollitur ab omni virtute, ab
omni fructu boni operis vacuatur. Magna quoq; desolatio est, vbi Deus nō
est. Propter quod & *Subitō defecerūt.* Subitō amittūtur honores: citō amittitur
potētia: subitō venit damnū, quicquid tēporaliter possidetur, subitō euacua-
tur. Inde de quodā inuenitur in Euāgelio: Stulte, hæc nocte anima tua tolle-
tur à te. Et postquā defecerūt, *Perierunt propter iniquitatē suam.* Hoc iā saepe cō-
tigit, & quotidie contingit. Talis est fructus diuitiarū. Hæc sunt nouissima,
quæ in

quæ intelligit, qui in Dei sanctuariū intravit. Propter iniquitatē suam per-
cūt, qui terrena cupierūt, qui in superbia euanuerūt, qui in voluptatibus suis
tanquā semper victuri, radicati sunt. Vbi gloria illorū? vbi potētia? vbi pax?
vbi diuitiarū abundātia? *Velut somniū surgentū.* Sic omnia defecerūt. Fac ho-
minem in somnis se inuenire thesauros. Pauper dormierat: in somnis diues
est, sed donec euigilet. Euigilauit, inuenit ærumnam suam quam dimiserat
dormiens. Et isti miserā suam quam sibi cōparauerāt, inuenient cum euigi-
lauerint. Quasi enim modō dormiūt in peccato, dū trāquillē viuūt, dū vete-
ram miserā nō attendunt. Cōpellentur post mortem euigilare, cū de seipsis
incipient rationē reddere. Et tunc veraciter deficiēt & peribūt, quando im-
plebitur quod subinfertur: *Domine in ciuitate tua imaginē ipsorū ad nihilū rediges.*
Nonne digni sunt hæc pati, vt Deus in ciuitate sua imagines ipsorum ad ni-
hilū redigat, quia & ipsi in ciuitate sua terrena imaginē Dei ad nihilū rede-
gerunt: Vel trāsitoria bona & terrenā gloriā dicit eorū imaginem, quia etsi
non dant, tamen promittunt beatitudinē. Quæ in ciuitate Dei ad nihilum
redigūtur, quia in sanctorum cordibus, qui sunt Dei ciuitas, tota hæc ter-
rena gloria & diuitiæ pro nihilo reputantur. Et quasi quis diceret: O tu Asaph,
vnde tibi quod ita loqueris? vnde tibi tantus rerum temporalium contem-
prus? ait: *Quia inflātarum est cor meū.* Nam quoniā igne sancti spiritus sancto-
rum corda accensa sunt, nihil nisi spiritualia desiderare possunt. Hinc Pau-
lus admonet, dicēs: Spiritu feruētes, domino seruiētes. Et quoniā Dei amor
carnalem consumit voluptatem, rectē subiungit: *Et renes mei cōmutati sunt,* id
est carnales delectationes commutata & ablata. *Et ego ad nihilum redactus sum,*
abnegans memetipsum: *Et nesciui,* id est, pro nesciente & stulto me habui.
Hinc Paulus: Si quis videtur esse aliquid, cum nihil sit: ipse se seducit. Di-
uinus quippe amor cum perfectē mentem occupat, voluptuosa desideria
protinus deuastat: & quicquid carnale inuenit, totum ad nihilat & occi-
dit. Fortis est dilectio vt mors. Tria nobis in hoc versu demonstrātur val-
de vtilia. Primo feruor charitatis: deinde mortificatio carnis: postmo-
dum perfectio humilitatis. In versu verò qui sequitur duo, id est obedi-
entia & perseuerantia, commendantur. Ait enim: *Ut iumentum factus sum apud te,*
Et ego semper tecum. Felix anima quæ potest esse iumentū Dei, vt pro eius amo-
re māsuetā & mitis omnia libenter ferat, omnia patienter sustineat: & sicut
bene cepit, ita semper proficiat, atque in proposito sancto semper cū Deo
permaneat ita, vt ab eo nullis tentationibus separetur, nullis aduersitatibus
moueat: quatinus veraciter possit dicere, & ego semper tecum. Talis erat
Paulus, cum se affirmaret nullis tribulationibus, nullis angustiis, nulla demū
creatura separari posse à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Et ne hoc
suis viribus ascribere videretur, gratiā Dei cōmendat dicens: *Tenuisti manū*
dexteram meam, Et in voluntate tua deduxisti me, Et cū gloria suscepisti me. Manum
suam dicit opera sua. Dexteram, propter æternam vitam. Non enim pro ter-
renis operabatur, sed pro æternis. Iuxta quod scriptū est: Nesciat sinistra tua
quid faciat dextera tua. Nec hoc faciebat viribus suis, sed tenebat & gu-
bernabat ille qui ait, Sine me nihil potestis facere. Quadam hīc simili-

tudine loquitur. Sicut enim aliquis puer vel infirmus per se ire non valet, nisi manu teneatur: sic tanta est imbecillitas nostra, ut in bono per se proficere minimè valeat, nisi eam diuina virtus semper teneat & trahat. Me quoque (inquit) positum in voluntate tua implenda, ut nunquam faciam nisi quod tu volueris, deduxisti de virtute in virtutem: & tandem cum gloria suscepisti me, id est suscipies me. Fœlix est illa anima, quæ voluntati Dei semper est subdita, ut illud velit, quod vult Deus: & illud reprobet, quod reprobatur Deus: & se totam ita sine vlla contradictione diuinæ committat voluntati: ut quicquid voluerit, tanquam de iumento suo faciat: quò voluerit, ducat. Ducturus est enim Deus talem animam in gloriam suam. Hæc gloria sanctis præparatur in cælo, quæ verè mira & ineffabilis est. Vnde admirans ait: *Quid enim mihi est in cælo?* Et cœpit cogitare fœlicitatē ipsam cælestē, & arguere se, quia terrena desiderauerit, dicēs: *Et à te quid volui super terram?* Cōparauit volūtati suæ terrenæ præmiū quod accepturus est cæleste. Vidit quid ibi seruaretur sibi, & cogitās & estuās in cogitatione cuiusdā rei ineffabilis, quā nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: nō dixit, Illud & illud mihi est in cælo: sed, quid mihi est in cælo? Quid illud est? Quantū est? Quale est? Et cū tantū sit quod habeo in cælo, à te quid volui super terram? Cur vnquā terrena volui? Cur vnquā transitoria cōcupiui? Seruas (inquit) mihi tu in cælo diuitias immortales, te ipsum: & ego volui à te in terra, quod habent & impij, scilicet aurum & argentum. Sic dum cælestia admiratur iste Asaph, & terrena despicit, inter vtrunq; versans animum, semetipsum pœnitendo grauer affligit, totūque se cōtemptris inferioribus ad superiora rapit. Vnde & dicit: *Defecit caro mea & cor meum.* Totum se spiritualement sanctūque spiritus igne flagrantem insinuat, dum carnis concupiscentias & pristinas cogitationes in se defecisse pronuntiat. Caro nostra deficit, quando sic per rigorem disciplinæ constringitur, ut iam spiritui reluctari non possit. Cor etiam nostrum defectum patitur, cū voluntas propria omnisque præsumptio interius resecat, & sic factus est (inquit) *Deus cordis mei possessor*, dum temporaliter viuo. Erit postmodum & pars mea Deus in æternum. Homines in hoc seculo eligunt sibi partes: alij diuitias, alij honores, alij militiam, alij negotiationem: diuersi diuersa sibi eligunt. Inter hos clamat populus Dei: *Pars mea Deus non ad tempus, sed in æternum.* Talis hæreditas bona est & vera, quæ in æternum permanere potest. Et quare elegisti hanc hæreditatem tibi? *Quia ecce*, id est manifestum est: *qui elongant se à te, peribunt*, id est damnabuntur, & verum esse perdet, & verè peribunt: quia tu *perdidisti*, id est perdes. Vel in præfinitione tua perdidisti *Omnes qui fornicantur abs te.* Omnis illicita coniunctio dici potest fornicatio. Vnde scriptum est: *Israel cum diis gentium fornicatus est.* Et bene dixit, Abs te: quia qui peccat, longe est à Deo. Quando homo incipit deficere ab amore Dei, incipit à Deo elongare. Quod si rebus temporalibus illicito amore coniungitur, iam utique fornicatur: Proprium enim virum, id est actorem suum anima deseruit, & ei qui non erat suus, se lasciuo amore copulauit. Propter hoc iure incurrit perditionis pœnam, quia sponte deseruit

Isa. 64.
1. Cor. 2.

Eph. 2.

Iudicum. 8.
1. Par. 5.

Psal. 118.

deseruit salutem suam. Illi ergo quia deseruerunt Deum, perierunt. Tu verò quid? *Mihi autem adherere Deo bonum est.* Hoc est totum bonū meum, Deo meo adherere voluntate, fide, charitate. Et quādiu in peregrinatione sum, *ponere volo in domino Deo spem meam.* Quia nondum adherere possum Deo meo per speciem, interim vel adhærebo ei per spem. Et merito: quia ipse dominus meus, qui me regit: & Deus meus, qui me creauit. Hoc bonum est mihi, hoc dulce, hoc suauē est mihi. Et quid hīc agis, ponens in Deo spem tuam? Quod erit negotium tuum, nisi ut laudes quem diligis, & facias tecum coamatores eius? Et hoc est quod sequitur: *Ut annuntiem omnes laudationes tuas*, id est ut prædicem quicquid prædicandum est de te, *In portis filie Sion*, id est, in auditu filiorum Ecclesiæ. Aures enim portæ sunt, per quas cordis interiora sanctorum penetrant prædicationes. Vel portæ sunt virtutes animæ, per quas itur ad cælestem Ierusalem. Laudes ergo Dei prædicantur in portis, quando voces doctorum sunt in apertione virtutum. In porta prædicat, cuius sermonem vita commendat.

TITVLVS PSALMI LXXIII.

D *SALMI huius titulus est: Intellectus Asaph, id est intellectus iste quem pariunt nobis voces huius psalmi, est Asaph, id est synagoga, non secundum ramos præcisos, sed secundum confirmatos. In hoc psalmo loquitur synagoga conuersa omnibus Iudæis, siue in præsentem, siue in fine mundi conuertendus: proponens intelligendum quod intelligit, scilicet ut Christum credant venisse, quemadmodum ipsa credit. Et hoc facit per hanc materiam, scilicet proponendo eis duplicem Iudæorum dispersionem, quæ à prophetis dicta fuerat post aduentum Christi futura. Merito ergo per hanc materiam eos hortatur, ut cum videant signa ista completa esse, Christum credant iam venisse. Et modo prius exponit localem dispersionem: post interiorem, Iudæorum scilicet præsentem cecitatem. Vox synagoga.*

1. Par. 6.

PSALMVS LXXIII.

V *quid Deus repulisti in finem, iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ?* Non reprehendit, sed querit. Ac si dicat: O Deus, qui eo ipso quòd Deus es, æterna dispositione gubernas omnia, qui nō modo in aliquo excedis, sed cuncta cū summa discretionē disponis: ut quid populum tuum repulisti in finem: ut nunquā amplius reducas in Ierusalem? Quasi dicat: Non sine causa hoc fecisti, nec qualicunq; modo iratus es, sed in tantum, quòd ira tua deuenit in furorem, quantū ad visum hominum. Iratus es dico, non super quoslibet, sed super oues pascuæ tuæ, id est, super Iudæos, quos velut bonus pastor per desertū duxisti, & quos manna pauiisti: ac deinde in terra lacte & mellē manāte collocasti. Ut quid hoc fecisti, nisi quia terrenis inhærebamus, & te non cognoscebamus? Ne irascaris quæso domine, sed fac quod sequitur. *Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.* Reduc ad memoriam, quòd nos ex multis gentibus & locis in vnum congregasti, atque ut propriam hæreditatem ab initio possedisti, id est, à tempore Patriarcharum quos primitus elegisti. A tempore patriarcharum possessi sunt, videlicet quia erant in lumbis

Psal. 118.
Hebr. 1.
Sapient. 8.9
& 12.Ioan. 10.
Exod. 13.
Exod. 16.
Iosue. 1.2.3.

Hebr. 7.

eorum. Ab ipsis possedit dominus populum Israeliticum, à quibus & nomen sumpsit & originem. Semper enim custodiuit eum, donec ab eis exacerbatus, eos propter peccatum suum affligi permisit. Memorare quòd nos congregaueris atque possederis: & hoc sit causa tuæ miserationis. Et ideo etiam memor esto, quia tu *redemisti virgam hereditatis tuæ*. Quid per virgam, nisi sceptrum, imperium & dominationem? Quid verò per hereditatem, nisi eundem populum intelligimus? Redemit igitur dominus virgam hereditatis suæ, quia Iudæorum regnum de Pharaonis seruitute liberauit. Vel ipsa hereditas per intransitiuam grammaticam dicitur virga, quæ per virgam Moyfi est figurata. Primò enim quando voluit Deus possidere illam hereditatem, liberans eam de Ægypto, signum dedit Moyfi. Dixerat enim Moyfes: Quod signum dabo eis, vt credant mihi, quia tu me misisti? Et dominus ad illum: Quid in manu tua portas? Virgam, ait. Proice (inquit) illam in terram. Et dimisit virgam, & serpens factus est, & expauit Moyfes & fugit ab eo. Et ait illi dominus: Apprehende caudam eius. Et apprehendit, & reuersa est in statum suum. Quid significat? Primùm à serpente mors. Ergo virga in serpente, Christus in morte. Ideo cum à serpentibus in deserto morderentur & necarentur, præcepit Deus serpentem æreum exaltari, quem intuentes morsu à serpentibus sanabantur. Quid est intiendo serpentem sanari à serpente? Credendo in mortuum sanari à morte. Et tamè expauit Moyfes & fugit. Mortuus est Christus, & expauerunt discipuli, atque ab illa spe in qua fuerant, recesserunt. Tamen apprehenderunt caudam, quia postmodum crediderunt. Hoc significat & illud: Posteriora mea videbis. Et serpens rediit in virgam, quia Christus resurrexit de morte ad vitam. In fine quoque seculi tanquam cauda redimus ad manum Dei, atque eius regnum stabilitum efficiuntur, quatinus iam in nobis impleatur, *Redemisti virgam hereditatis tuæ*. Sed quia synagoga hæc loquitur, ex verbis sequentibus determinatur, cum dicitur *Cons Sion in quo habitasti in eo*. Hanc dico hereditatem quæ est mons Sion. Ibi enim erat ciuitas eorum Ierusalem, ibi caput regni, ibi templum & sacrificium, in quo & Deum dicit habitasse. Et vt eius habitationem expressius commendaret, protinus adiecit, in eo. Nam cum in omnibus habitet vt Deus, in eo tamen specialius. In omnibus per potentiam, in eo per gratiam. Post postulatam de se à Deo misericordiam, deinde de hostibus à quibus deuastatur, postulat vindictam, cum subiungit: *Leua manus tuas in superbias eorum in finem*, id est exerce virtutem & potentiam tuam ad superbias eorum penitus destruendas. Quomodo nos repellebas in finem, sic eorum superbias opprime in finem. Et bene eleuata est manus eius in superbias eorum in finem, quia diuina virtute operante, iam gentes humiliatæ Christum cognouerunt, quæ prius superbe populum eius vastauerunt. Et bene ait, In finem: quia finis legis Christus, ad iustitiam omni credenti, quam bene illis optat. Admiratur autem Romani principis in eius deuastatione malignitatem, dicens: *Quanta malignatus est inimicus in sancto*? Id est in templo, in sacerdotio, in illis omnibus sacramentis. Et reuera inimicus. Rex enim ille & exercitus suus qui hoc faciebat, deos falsos colebat, simulachra adora

adorabat, dæmonibus seruebat. Ipsi multa mala operati sunt in sanctis Dei. Et hoc est quod subdit: *Et gloriati sunt qui oderunt te in medio solennitatis tuæ*, id est in communi Iudæorum, qui ex omnibus partibus conuenerant ad diem festum. Diligenter hoc notandum est. Dicit enim tunc eversam esse Ierusalem, cum ipsa solennitas ageretur, in qua solennitate dominum crucifixerunt. Congregati sæuierunt. Congregati perierunt. Et ostēdit quomodo gloriati sunt. *Posuerunt signa*, non domini, sed *sua signa*, vexilla sua, aquilas suas, dracones suos, statuas suas: aut fortè signa quæ audierunt à vatibus dæmonum suorum: *Et non cognouerunt sicut in exitu super summum*. Non cognouerunt esse super summum, id est apud summum Deum, sicut in exitu fiebat, id est sicut à diuina dispositione exhibat. Nisi enim potestas à summo Deo exiret, hæc malicia eorum exercere non potuisset. Sicut ergo exhibat à summo Deo, sic fiebat ab exercitu illo. Nam omnis potestas non ab homine sed à Deo. Deus quippe est dator omnium potestatum, sed non est dator omnium voluntatum. Ideo omnis potestas iusta. Voluntas autem alia iusta, alia iniusta. Si igitur potestas bona, quare actio mala? Affectus tuus imponit nomen operituo. Quapropter quod iustus Deus iustè fieri volebat, quia ipsi iniustè volebant, malum erat quod faciebant. Exhibat ergo à summo quod fecerunt, sed ipsi non cognouerunt. Exsequitur adhuc malignitatem eorum, dicens: *Quasi in sylua lignorum securibus exciderunt ianuas eius in idipsum*. Hoc totum secundum literam factum est. Sicut enim in sylua lignaria exciduntur ligna, ita vtiliter sine omni reuerentia temporali ianuas exciderunt securibus, omnes tēdentes in idipsum: quia vno corde & vna voluntate simul omnes conueniebant in malum. *In securi & ascia deiecerunt eam*. Securis ad excidendum, Ascia ad comminuendum. Non enim tantum exciderunt, sed etiam deiecerunt. *Incenderunt igni sanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui*. Etiam ipsum tabernaculum, quod fuerat sancto nomini tuo dedicatum, ipsum polluerunt. Aras, mensas, libros, vestes & similia proiecerunt, pedibusque conculcauerunt. *Dixerunt in corde suo*, quod vtiq̄ plus est, quam si dixissent in ore suo. Nam in hoc quod in corde dixisse perhibentur, voluntas, affectus & intentio denotatur. Dixerunt autem nō quatuor aut quinque, sed tota cognatio eorum, nec diuisa per partes, sed *simul*. Quid dixerunt? *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra*. Ita dispergamus omnia, quod nunquam amplius possint conuenire, aut festum facere in terra. Huc vsque ostensum est quanta malignatus est inimicus in sancto. Ostensum est quanta ab hostibus illata sint mala. Deinde insinuat quæ ab ipso Deo subtracta sint eis beneficia, dicens: *Signa nostra non vidimus*. Nostræ (inquit) ciuitatis destructionem vidimus. Signum tamen à Deo nullum accepimus, sicut olim Ge-

Exod. 23.
Leuit. 23.

Matth. 26.

Roma. 13.
Iaco. 1.

Iudicum. 7.

Atten

Attendat hæc verba quisquis pro peccato suo affligitur, quisquis à Deo tanquam irato deseritur. Non desperet, gemat, miseriam suam medico ostendat. Ad hoc enim ferit, ut parcat: ad hoc irascitur, ne irascatur. Vnde iste Asaph adhuc subiungit: *Ut quid auertis manum tuam*, id est Iudæam, per manum Moyfi designatam: *& dexteram tuam*, scilicet prædictam Iudæam, cui magis fauere solebas quàm genti, eam educendo prius per mare rubrū, quam etiam manna pauisti: ut quid auertis *de medio sinu tuo*, id est de communi sanctorum consortio, qui ideo dicuntur sinus tui, quia spiritualibus sacramentis sunt repleti. Facis hoc *in finem*, vel ad quem finem tendis per hoc? Tangit hic historiam de manu Moyfi, quæ quandiu fuit in sinu suo, munda fuit: cum abstraxit eam, inuenit leprosam. Deinde in sinu remisit, & sic priorem munditiam recepit: in hoc præfigurans Iudaicum populum, qui quandiu in sinu & custodia domini fuit, mundus exitit: quando verò egressus est, immūsus & plenus peccatis effectus est. Iterum in fine mundi ad dominicum sinum redibit, atque in pristina sanitate permanebit. Ut quid (ait) auertis dexteram manum tuam à sinu tuo, ut foris immunda remaneat: reuoca eam quæso ad sinum tuum. Redeat ad colorem suum, agnoscat saluato rem suum. Quærebat ut quid, & iam intellexit: sicut intitulatum est, intellectus Asaph. Et ideo subdit: *Deus autem rex noster ante secula*, qui est in principio verbum, per quod facta sunt omnia: ipse rex homo factus, *operatus est salutem in medio terræ*. Ad hoc enim ad tempus auertit manum suam à sinu suo, id est gentem Iudaicam à protectione sua: ad hoc cæcitas ex parte contigit in Israel, ut plenitudo gentium intraret, ut sic rex Deus operaretur salutem in medio terræ, id est in medio gentium. Vel in medio terræ, id est in assumpta carne: vel in ciuitate Ierusalē, quæ in medio terræ sita est, vbi dominus pro totius mundi salute est crucifixus. Deinde ostendit qualiter salutem operatus sit, conuertendo se ad ipsum operatorem Deum, & dicendo: *Tu confirmasti in virtute tua mare*. Per mare significat gentes, propter vitiorum affluentiam & morum amaritudinem. Christus autem est Dei virtus, & Dei sapientia. In virtute hac confirmatæ sunt gentes per fidem, spem, & charitatem. In tantum autem confirmauit Deus hoc mare, ut faceret terram, sicut alibi dicitur: *Qui conuertit mare in aridam*. Et quo ordine factum sit, secutus adiunxit: *Contribulasti capita draconum in aquis*. Comminuisti vitia & peccata, quæ à draconibus suggeruntur, id est à malignis spiritibus qui sanctis insidiantur animabus. Ipsum quoque principem diabolum, atque vniuersas eius altitudines & pompas pariter omnipotentem Deū destruxisse ostendit, cum subiungit: *Tu confregisti capita draconis*. Capita draconis dici possunt prauæ suggestiones, quæ à diabolo procedunt. Multa capita habet iste inimicus draco. Capita eius sunt octo principalia vitia. Sed primum horum caput est superbiæ vitium, de quo oriuntur cætera. Nam initium omnis peccati superbia. Hinc præceptum est ut semen Euæ caput serpentis debeat obseruare. Admonita est enim Ecclesia peccati initium deuitare. Confracta sunt ergo capita draconis, destructa sunt diabolica vitia. Nam vbi regnat Deus, non potest regnare superbia, non vana gloria, non inuidia, non ira, non tristitia, non acci

accidia, non ventris ingluuies, non luxuria. Talia sunt capita huius versuti draconis, quæ in virtute sua confregit rex noster. Et sic ea confringendo operatus est salutem in medio terræ, quæ prius corrupta erat, & elanguerat talium hostium inuasionem. Et quid de illo fecit, cuius capita confregit? *Dedisti eum escam populis Æthiopum*. Ipsi vocantur ad fidem, qui nigri fuerunt. Dicitur que eis: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino*. De his enim fit Ecclesia, cui dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit dealbata? Nigra sum (inquit) sed formosa, filia Ierusalem*. Isti sunt Æthiopum populi, quibus draco iste in escâ datus est. Hoc significat vitulus ille, quem adorauit populus infidelis, quem comminuit Moyfes, missumque in aqua populo bibere dedit. Quid est hoc, nisi quia adoratores diaboli corpus facti sunt Christi? Hinc Petro dictum est de gentibus: *Macra & manduca, id est, occide quod sunt, & fac quodes*. Ac si dicatur: *Comminue & bibe*. Oportebat utique ut corpus quod erat diaboli, credendo transfret in corpus Christi: & sic draco comminueretur, amissis membris suis. Hoc etiam figuratum est in serpente Moyfi. Nam fecerunt magi similiter, proiectisque virgis exhibuerunt dracones. Sed draco Moyfi omnium magorum virgas absorbit. Intelligatur ergo corpus diaboli à credentibus absorberi. Et dicatur rectè, *Dedisti eum escam populis Æthiopum*. Vel hoc modo: *Dedisti escam*, quia modo omnes mordent eum, redarguendo, accusando, maledicendo. Et quo ordine hoc factum sit, secutus ostendit: *Tu dirupisti fontes & torrentes*, ut manaret liquores sapientiæ & fidei, ut irrigarent salitatem gentium, ut sua dulcedine atque irrigatione cæteros conuerterent. Et notandum quod in aliis fit verbum Dei fons, in aliis torrens. Torrentes propriè dicuntur fluuij qui æstate defluunt, aquis autem hiemalibus inundantur & currunt. Vides hominem fidelem perseveraturum vsque in finem, non relicturum Deum in omni tentatione, cunctisque molestias sustinentem. Hic vnde viget, nisi quia verbum Dei factum est in eo fons aquæ salientis in vitam æternam? Alius accepit verbum, prædicat, non tacet & currit. Aliqua fortassis tentatione tangitur: non potest ferre æstum, deficit, exsiccatur. Æstus ergo probat fontes & torrentes. Tamen ex utroque rigetur terra, ab eo qui operatus est salutem in medio terræ. *Tu siccasti fluuios Ethan*. Alibi rumpit Deus fontes, ut currant: alibi siccatur fluuios, ut non fluant: sed fluuios (inquit) Ethan, quod interpretatur robustus. Quasi robusti sunt, qui de virtute sua præsumunt. Siccentur flumina eorum: non proficiant doctrinæ gentium. Non artes philosophorum, arescat omnis inanis & tumens doctrina. Inundentur dulci & suauis fonte, Euangelio veritatis. *Tuus est dies, & tua est nox*. Quis hoc ignorat, quia ipse fecit hæc omnia? Sed aliquid intelligere debemus, quod pertineat ad salutem, quam operatus est in medio terræ. Qui sunt dies, nisi spirituales? Qui sunt nox, nisi carnales? Non potui (inquit) vobis loqui tanquàm spiritualibus, sed tanquàm carnalibus. Quando spirituales spiritualia loquuntur, dies diei eructat verbum. Cum verò & ipsi carnales non tacent fidem, nox nocti indicat scientiam. Ergo tuus est dies, & tua nox. Tui sunt spirituales, tui sunt carnales. Illos illustras, incommutabilis sapientiæ veritate:

Istos consolari, carnis manifestatione. *Tu fabricatus es auroram & solem*, id est, tu fecisti gratiam & sapientiam. Quomodo enim post noctem aurora, sic post culpam gratia. Et sicut post auroram sol inardescit, ita & per effectum gratiæ Dei sapientia in cordibus electorum per charitatem fervescit. Et sicut non est dies nisi per illuminationem solis, sic non est iustus, nisi sit illuminatus luce diuinitatis. *Tu fecisti omnes terminos terræ*. Terminat enim Deus gratiam suam, quam dat Ecclesiæ suæ ad mensuram. Non enim proficit in virtute & gratia vnusquisque quantum cupit, sed quantum placet ei diuidere terræ suæ, qui terminos ponit. Volo (inquit Apostolus) omnes tanquam me esse, sed vnusquisque proprium habet donum à Deo: alius sic, & alius sic.

1. Cor. 7. *Æstatem & uer tu plasmaſti ea*, id est maturos moribus: quia in ætate sunt maturi fructus, & florentes, scilicet primordia virtutum emittentes, quia in vere nascuntur flores. Tu plasmaſti ea, neutraliter dictum est: ac si diceretur: Et perfectos & nouellos omnes tu fecisti. Tu es qui das terram, & tu eam terminas, & quantum vis & quomodo vis, tu eam fructificare facis. Non ergo gloriètur, quasi non acceperint: tu plasmaſti ea. Magna commendatio gratiæ Dei est in Ecclesia Christi. Deinde & pro suis orat, dicens: *Memor esto huius*, videlicet congregationis tuæ pro qua orauit superius. Ponit etiam cæcitatem eius, tanquam intelligens & gemens, cum subdit: *Inimicus improperebit domino*. Populus enim Iudaicus iniquitate & inimicitia plenus dixit Christo, Samaritanus es, & dæmonium habes: & alia multa opprobria illi intulit. Vnde adhuc subditur: *Et populus insipiens incitauit nomen tuum*, id est, à te.

Exod. 23. Verè insipiens, verè stultus, verè duræ ceruicis, qui tot miracula vidit, & non credidit: insuper quem adorare debuerat, occidit. Sed quia quidam ex illis qui Christum erant occisuri, & postmodum ad confessionem & pœnitentiam de tanto peccato fuerant redituri, postulat pro eis, & dicit: *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi*. Quibus bestiis, nisi quorum capita contrita sunt in aquis? Nam dictus est bestia, leo, serpens, draco, ipse diabolus. Noli malignis spiritibus dare animam confitentem tibi. Locutus est enim Petrus Israëlitis, quoniam ipsi occidissent Christum. Qui compuncti corde dixerunt: *Quid faciemus? Agite* (inquit) pœnitentiam, & baptizetur vnusquisque in nomine Christi: & dimittentur vobis peccata vestra. Dicatur ergo:

1. Acto. 2. *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi*. Nam serpenti illi in paradiso concessa est peccatrix terra, non confitens anima. *Et animas pauperum tuorum*, id est contemptorum mundi, *ne obliuiscaris in finem*. Modò enim quasi oblita à te videntur, dum esuriunt, dum sitiunt, dum consolationem terrenam à te non accipiunt, dum tribulantur, dum despiciuntur: sed in finem non obliuisceris, quando æternaliter remunerabuntur. *Respice in testamentum tuum*. Redde quod promisisti. Tabulas tenemus, hæreditatē expectamus. Et necesse est vt respicias: *Quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum*. Domus nostræ, corda nostra. Ibi libenter habitant beati mundo corde. Respice ergo in testamentum tuum, vt reliquiæ salutis fiant, quia multi qui attendunt ad terram, obscurati sunt & repleti terra. Intrauit in oculos eorum puluis, & excæcauit eos. Et factum est quod alibi dicitur, Obscurentur oculi eorum ne videant

deant. Quare hoc? Quia repleti sunt domibus iniquitatum, id est, cordibus malis, illi qui obscurati sunt, adhærendo terræ. Et ideo dico respice, *Ne auertatur humilis factus confusus*. De illo hoc dicit, de quo paulò antè ait, *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi*. Postulat vt ille qui peccata sua confitens humilis factus est, non auertatur à misericordia Dei, à respectu suæ clementiæ: quia si auerteretur, confunderetur & bestiis traderetur. Deinde de paupere illo, de quo ibidem subdidit, hîc etiam mentionem facit, subdens: *Pauper & inops laudabunt nomen tuum*. Pauper Dei est, qui nihil in hoc mundo appetit, qui de seipso non præsumit, qui bona cælestia ardentè cõcupiscit. Inops est qui omni ope humana destitutus, non quarit aliunde opem, nisi à Deo solo, in quo & totam spem suam constituit. Tales (inquit) pauperes & inopes laudabant nomen tuum. Tales enim idonei sunt ad laudandũ Deum quos cupiditas non angustat, quos charitas dilatat, quos vita cõmendat. Et sicut pro confitentibus postulat veniam, ita nunc pro perseuerantibus in peccato Deum excitat ad vindictam. Vnde non tam orando, quàm propheta subiungit: *Exurge Deus, iudica causam tuam*. Causam quam nos suscepimus defendendam, fac eis apparere iustam, scilicet quia sic oportuit pati Christum & resurgere à mortuis, & sic intrare in gloriam suam. Exurge, vt iudices. Nisi enim prius resurgas à mortuis, minime iudicabis. Nam non venturus esset ad iudicium, nisi quia surrexit à mortuis. Christus vêturus prænuntiabatur, venit sicut scriptura prædixit. Impleuit iustitiam, prædicauit vitam æternã. Et tamen contemptus est in terris, & adhuc contemnitur in cælis. Hoc est propter quod venturus est ad iudicium omnipotens Deus, ibiq; causam suam demonstraturus & iudicaturus, ostendet quàm iustã causam habuit, quàm iniustam pœnã sustinuit: & in quibus culpã inueniet, districtè iudicabit. Vnde & subiunctum est: *Memor esto impropiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die*. Insipiens est quidã, non cognouit, aut cognoscens peruersè viuit. Tales impropere domino Deo & mēbris eius, modò blasphemando, modò deridendo, modò minando, modò adulando. Et taliũ memor erit Deus iudicio, vt iudicet & damnet: non omnium tamen, nisi eorũ tantũ qui in hoc peccato sunt tota die, id est assidue. Eorum enim Deus nõ reminiscitur, quæ ante finem per pœnitentiam emendantur. Valde autem notandum est quod subditur: *Ne obliuiscaris voces inimicorum tuorum*. Voces quidẽ eorum erant illa impropria quæ Deo inferebant. Quare ergo repetit? quia iudex in causa vtrunque diligenter debet attendere: eum scilicet cui improprium inferitur, & eum similiter à quo inferitur. Nam quia insipientes illi non homini, sed ipsi Deo, ipsi creatori suo illa impropria intulerunt, magis proculdubio damnandi fuerunt. Rursus etiam in hoc culpa grauior extitit, quia non solum ab insipientibus, sed etiam ab inimicis illata sunt. Longè enim culpabilius est per inimicitiam peccare, quàm per ignorantiam: tamẽ vtrumque peccatum eos obligauit. Valde etiam dignum reprobatione est, quod subditur: *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper*. Nolunt resipiscere, sed magis ac magis proficiunt in malum.

RVFFINI PRESB. IN
TITVLVS PSALMI LXXIIII.

P S A L M V S iste qui sequitur, hoc modo intitlatur: In finem, ne corrumpas
Psalmus cantici Asaph. Psalmus iste qui est nobis causa cantici, id est ma-
gna iocunditatis & delectationis (quia humilibus remunerationem beaticu-
dinis aeterna promittit) proponitur Asaph, id est infideli synagoga, ad hoc
ut tendat in finem, id est in Christi conformitatem. Proponitur dico Asaph Christo eam sy-
nagogam exhortante, ne corrumpas te, id est superbas. Sicut enim humilitas custos est omnium
virtutum, ita e contrario superbia corruptio. Materia est in hoc psalmo ipse Christus, & ea
quam hic exhortatur, synagoga. Loquuntur autem modo per se, modo in persona membro-
rum, superbos exhortans ad humilitatem. Et hoc facit proponendo eis damnationem quam
superbi in futuro sunt habituri, & exaltationem quam humiles sunt assecuturi. Intentio est
omnes ad humilitatem inuitare, ut sic omnipotentis Dei districtum iudicium valeat eui-
tare. Unde & seipsum in exemplum proponit, atque ex voce membrorum suorum humi-
lium dicit.

Mat. 11
& 23.

Matth. 23.

Luc. 18.

P S A L M V S L X X I I I I.

O N F I T E B I M V R tibi Deus, confitebimur, & inuocabimus nomen tuum.
Initium bonorum est confessio peccatorum. Iustus enim in prin-
cipio accusator est sui. Primum ergo peccata tua confitere Deo.
Hæc est enim inchoatio iustitiæ. Et non semel, sed iterum, & quo-
tiens peccaueris, totiens confitere. Verbi repetitio perseverantiæ commen-
datio est. Non potes iterum recurrere ad baptismum. Si peccaueris, recurre
ad confessionem. Quare confitemur Deo, cum ipse sciat peccata nostra, etiam
si non confiteamur? Quia confessio generat compunctionem. Parit humilita-
tem, quæ grata est Deo, per quam reconciliatur homini conuerso. Sic confi-
tere peccatum, & deinde inuoca Deum. Nam si prius inuocaueris, non exau-
dieris. Quid est inuocare, nisi intus vocare? Prius ergo expelle peccatum, & sic
Deum inuita ad cor tuum. Iam enim dignus eris domini nomen inuocare,
atque ipsius opera cæteris prædicare. Unde & subditur: Narrabimus mirabi-
lia tua. Quid tam mirabile, quam quod creator creatura efficitur, quod im-
mortalis inoritur, quod mors morte destruitur, quod peccator ad gratiam,
damnatus ad gloriam reuocatur? Hæc sunt mirabilia Dei, quæ non cessant
narrare membra Christi. Sed quia deinde futurum est iudicium, iam ipse do-
minus loquitur per semetipsum. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Non-
dum est ipsum tempus. Gratias misericordiam suam, prius prædicat iustitias, & sic
iudicat iustitiam. Nam si ante vellet iudicare quàm prædicare, non inueniret quæ
liberaret. Cum accepero (inquit) tempus. Non potuit tempus accipere in eo quod
est filius Dei, sed in eo quod est filius hominis. Hinc Euangelista ait: Dedit ei
potestatem & iudicium facere, quia filius hominis est. Modò ergo est tempus præ-
dicationis. Unde ait: Narrabo mirabilia tua. Audi narratam. Audi prædicatam.
Nam si contempseris, ipse iudex minatur tibi iudicium, dicens: Cum accepero tem-
pus, ego iustitias iudicabo. Iustitias iudicare, est vnicuique iuxta merita sua red-
dere. Narrabimus (inquit) mirabilia tua. Et hoc quantum opus sit, ostenditur cum
subinfertur: Liquefacta est terra. Et quid dicit terra: omnes (inquit) qui habitant in ea
id est qui studio & voluntate in terrenis perseverant: hoc est enim vnusquisque
quod

Prou. 18.

Ioan. 1.

1. Timo. 6.

1. Cor. 15.

Isa. 3.

Hebr. 13.

Philip. 2.

Ioan. 5.

PSALMVM LXXIIII. COMMENT. 177

quod amat. Si terram amas, terra es: si Deum amas, ex illis es de quibus ipse
dominus ait: Ego dixi dii estis. Terra est liquefacta, quando vitiiis & concu-
piscentiis defluunt terrena corda. Inde dicitur delinquere, tanquam de li-
quido quodam defluere à stabilitate firmamenti virtutis atque iustitiæ. Cupi-
ditate enim inferiorum quisquis peccat: & sicut roboratur charitate superio-
rum, ita deficit & quasi liquefcit cupiditate inferiorum. Sic ergo terra lique-
facta, Ego (ait dominus) confirmaui columnas eius. Columnas dicit Apostolos. Un-
de Paulus de coapostolis suis: Qui videbantur (inquit) columnæ esse. Et quid
essent illæ columnæ nisi ab illo firmarentur? Nam quodam terræ motu & ipse
nutauerunt, quando dominum occidi viderunt. Sed resurrexit: mortem non
esse timendam demonstrauit: spiritu ab alto misso corda discipulorum inflam-
mauit: & sic columnas terræ confirmauit. Dicat ergo, Ego confirmauit colum-
nas eius. Quibus confirmatis, quia ad prædicandum misit, rectè adhuc sub-
iungit, Dixi iniquis, Nolite iniquè agere. Non dixerunt illi, sed ille. Non enim vos
estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Nec dixit
iustis, sed iniquis. Non enim venit vocare iustos, sed peccatores in pœniten-
tiam. Non est, ait, opus sanis medicus, sed male habentibus. Lex dicebat, Qui
fecerit hoc vel illud, morte moriatur. Ego dixi iniquis, Nolite iniquè agere.
Sic & adulteræ dixit: Vade & iam amplius noli peccare. Ergo quos occidit
iustitia reseruat gratia: tantum est, ut respiciant atque se in humilitate proster-
nant. Ideo adhuc subdit: Et delinquentibus, Nolite exaltare cornu. Nolite eleuari
in superbia. Nolite elatè defendere peccata. Duo in hoc versu admonet
Deus peccatorem. Primum ut recedat à malo: deinde ne superbiat in peccato.
Primo, ut de futuro caueat: altero ut de præterito pœniteat. Sequitur alia
prohibitio. Nolite extollere in altum cornu vestrum, id est nolite vos erigere con-
tra Deum: intantum nolite superbire, ut culpam peccatorum reflectatis in
auctorem vestrum. Non enim defuerunt qui dicerent, Non est nostra culpa
si peccamus, quoniam tales nos creauit Deus. Si Deus vellet, nullus homo
peccaret. Sic duobus modis solent iniqui exaltare cornu suum: videlicet aut
seipfos defendendo, aut ipsum Altissimum accusando. Propterea subdit: No-
lite loqui aduersus Deum iniquitatem. Dicendo, Non iudicat Deus de rebus hu-
manis: non curat quid agatur in terris. Neque hoc, neque illo modo debetis
loqui aduersus Deum iniquitatem ô Iudæi. Quia neque ab Oriente, neque ab Occi-
dente, neque à desertis montibus, subaudis, loquuntur aduersus Deum iniquita-
tem. Iam gentes quæ in his tribus mundi partibus habitant, coeperunt de a-
ctore suo bene & rationabiliter sentire. Vos soli, quibus meridiana plaga
ad habitandum cõcessa fuit, nolite blasphemare. Vel ita dici potest: Iudæi, no-
lite loqui aduersus Deum iniquitatem: quod quidem fecerunt qui, Reus est
mortis, & Crucifige clamauerunt: quia neque ab oriente, neque ab occiden-
te, neque à desertis montibus (subintelligitur) est aliquis expers iudicij Dei.
Quoniam Deus Iudex est. Desertos montes dixit, propter inhabitabilem pla-
gam quæ est in Septentrione. Si homo Iudex esset, minus fortassis timeri po-
tuisset. Sed quoniam Deus Iudex est, iam nullus cõtra eum loquatur, sed po-
tius ab omnibus scruiatur. Et commendat Deum iudicem, cum subiungit:
G iij

Psal. 81.
Ioan. 10.

Gal. 2.

Mar. 16.
Luc. 24.
Acto. 2.

Matth. 28.
Mar. 16.
Matth. 10.
Matth. 9.
Luc. 5.
Ibidem.

Ioan. 8.
2. Timo. 2.

Matth. 26.
27.

hunc humiliat, id est Iudaicum populum: & hunc exultat, id est gentilem: quia calix in manu domini. Quia scriptura sacra in potestate domini. Quia ipse solus tenet clauem scientiæ. Calix dico, *Vini meri plenus mixto* in dominico quippe calice vinum merum, mixtæque & fæx continetur. Et quasi ex calice sumunt merum vinum, qui ex sacro eloquio diuinum capiunt intellectum. Mixtunt bibunt, qui quædam purè intelligunt, quædam adhuc minimè discernunt. Bibunt fæcem, qui ex eodem capiunt errorem. Iudæi, hæretici, & pagani fæcem bibunt, quorum turbulenta fœtidæque doctrina nunquam ab errore separatur. *Et inclinavit ex hoc, à Iudaico populo, in hoc, gentili.* Eliquatus est inde intellectus: *Ueruntamen fæx eius non est exinanita.* Quoniam nec Iudæorum infidelitas, nec hæreticorum error, nec paganorum stultitia est penitus diminuta. *Bibent omnes peccatores terræ prius fæcem, deinde mortem.* Siue fæx eius non est exinanita, quoniam apud Iudæos remanent carnalia sacramenta. Bibent omnes peccatores terræ, quoniam omnes in terrenis promissionibus delectantur. Mirabilis est iste calix, de quo bibent omnes & boni & mali: & in quo sumunt boni unde viuunt, mali unde percant. Tale erat & Verbum patris dominus noster Iesus Christus, de quo sanctus Symeon perhibet dicens: Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum, & in signum cui contradicetur. Sic etiam in superiore psalmo ipsam scripturam vocans arcum, Parauit (inquit) in eo vasa mortis, id est sententias quæ malè intellectæ mortem propinant multis. Sic de isto calice quidam viuunt, quidam pereunt. Inter hæc quid ait Christus? *Ego autem annuntiabo in seculum.* Quamdiu enim durabit hoc seculum, Christus & sui prædicabunt Euangelium. *Cantabo Deo Iacob cum gaudio.* Laudabo illum, qui specialiter est Deus illorum qui spiritualiter sunt Iacob. Deinde prænuntiat iudicium, vbi prædicat malos humiliari, bonos exaltari. Vnde & subdit: *Et omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iusti.* Habent cornua sua peccatores in hoc seculo, scilicet imperium, dominationem, honores, diuitias, ipsam quoque quæ præminet superbiam: quibus cornibus tanquam indomiti tauri alios impetunt, alios inferunt & impellunt. Sed omnipotens Deus iudicio suo omnia cornua peccatorum confringet, & omnem illorum potentiam & superbiam ad nihilum rediget. Habent etiam iusti cornua sua duo testamenta, siue fidem & charitatem, ceterasque virtutes, quibus se ab inimicis Ecclesiæ defendunt: ipsos etiam valenter impetunt & prosternunt. Quæ mirabilis Deus cum ad iudicium venerit in gloria sua, mirificè exaltabit. Colligat ergo ex his verbis, vnusquisque qualem se debeat exhibere. Cauèatque sicut in titulo præmissum est, ne seipsum corrumpat & pereat, peccatores superbos imitando, & domino resistendo. Sed potius humiles, iustos studeat imitari: quatinus in futuro regno mereatur à domino exaltari. Hæc est quippe intentio & utilitas psalmi.

TITV

TITVLVS PSALMI LXXV.

ITVLIPsalmore manifestant sensus eorum: propterea iste psalmus intitulatur sic: *In finem in laudibus, psalmus Asaph, Canticum ad Assyrios.* Psalmus iste proponitur Asaph, id est, *fideli synagoga, ut non ex tristitia aut ex necessitate, sed in laudibus & in exultatione perseueret usque in finem vite sue.* Qui psalmus est canticum synagoga, id est, *causa cantici & iocunditatis: quia in principio dicit eam esse Iudæam & Israël ex Sion.* Qui psalmus non tantum propositus est Asaph, sed etiam ad Assyrios, id est, *ad omnes rectè viuentes.* Assyrius enim interpretatur dirigens. Materia psalmi huius est synagoga. Intentio est, *omnes fideles qui se Deo vouerunt, tam Iudæos quàm gentes exhortari: quatinus in voto perseuerent, ut seipsos quos hic Deo vouerunt, in futuro reddant.* In prima parte dicitur *Deus notus esse in sanctis, & quod habitet in ipsis, & quod ibi cuncta confringat arma diabolica.* In secunda parte (qua dicitur: *Dormierunt somnum suum,)* duritia reproborum atque terribile Dei iudicium commendatur. Unde in fine exhortatur, *ut sua vota persoluat quisque, ne à terribili rege puniatur.* Aut ergo.

P S A L M V S L X X V.

NOTVS in Iudæa Deus, in Israël magnum nomen eius. Fuit aliquando ut gens ista sola, scilicet Iudæa, verum Deum agnosceret atque adoraret, & ceteræ gentes idola colerent, & Deum cæli penitus ignorarent. Sed per ipsius gratiam prædicatus est gentibus: & nomen suum quod tantummodo notum erat in Iudæa, iam admirabile factum est in vniuersa terra. Nec iam gloriantur Iudæi, quia si apud eos magnum nomen domini dicitur, apud nos etiam admirabile prædicatur. Sed quoniam illa gens à cognitione Dei errando cecidit, & magnum nomen domini blasphemauit: iam quod in Iudæa & Israël notus & magnus dicitur, necesse est ut tantummodo spiritualiter intelligatur. Iudæa quippe confessio interpretatur: Israël verò vir videns Deum. Bene igitur notus in Iudæa Deus dicitur, quia ex confessione peccati habetur notitia Dei. Apertè etiam Iudæa ante Israël est memorata, quia per confessionem ad omnipotentis Dei peruenitur visionem. Neque quia dictum est, *In Israël magnum nomen eius: sic accipiendum est, ut alibi maior, alibi minor sit Deus: sed ibi profectò magnum nomen Dei dicitur, vbi pro suæ maiestatis magnitudine nominatur.* Sic etiam in oratione petimus, *Sâctificetur nomen tuum.* Quod non sic petitur, quasi non sit nomen sanctum Dei: sed ut sanctum habeatur ab hominibus, id est, ita illis innotescat Deus, ut non existimèt aliquid sanctius, quod magis offendere timeant. Dixit nobis vbi sit notus, vbi sit magnus. Dicat nobis etiam vbi habitet Deus. *Factus est (inquit) in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.* Quamdiu non confiteris peccata, quodammodo rixaris cum Deo. Sed confitendo incipis pacem habere cum eo, & ita fit ei locus in corde tuo. In pace perfectio est, vbi nihil repugnat. Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes motus animi sui componunt & subiiciunt rationi, carnalésque concupiscentias habent edomitas. In quibus ita sunt

G iij

ordinata omnia, ut id quod est in homine præcipuum, id est, ratio, imperet cæteris non reluctantibus & subiiciatur potiori, id est, Deo. Luc. 2. Hæc est pax quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis. Hæc est Ioan. 12. vita consummata, perfectique sapientis. De huiusmodi regno pacatissimo atque ordinatissimo princeps seculi huius foras mittitur, qui peruersis inordinatisque dominatur. Sion verò interpretatur speculatio. Ipsa est Ecclesia, quæ in altitudine moratur diuinæ contemplationis, postmodum fruitura beatitudine ipsius apertæ visionis. In ista Sion est habitatio eius, Exech. 43. sicut ipse dicit: Et inhabitabo, & inambulabo in eis. *Ibi confregit potentias* (scilicet) *arcum, scutum, & gladium, & bellum.* In Sion vel in pace confregit quicquid pro magno habebant, unde se temporaliter protegebant, & bellum quod aduersus Deum defendendo peccata sua gerebant. Est etiam arcus deceptionis in hæreticis, scutum duritiæ in incredulis, gladius in tyrannis, bellum in vitiis. Hæc sunt diabolicæ potentia, quas omnipotens Deus destruit & confringit in pacifico corde. Deinde conuertit se ad ipsum Deum, quasi dicens: Tu domine qui confringis tantas potentias, hoc ordine facis. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Verè tu & non alius. Magno pondere dictum est, Tu: ut videlicet nullum alium intelligas illuminatorem, nisi solum Deum. Homo prædicat, Deus illuminat. Nec exterius sermo proficit prædicantis, nisi interius gratia operetur illuminantis. Et qui sunt isti montes æterni, nisi prædicatores sancti? Montes propter altitudinem iustitiæ, æterni, quia semper cum domino mansuri. Istos montes prius illuminauit æternus sol, ut per eos postmodum terram suam illuminaret, id est, Ecclesiam: & hoc mirabiliter, quia spiritualiter. Vel mirabiliter, id est, cum signis & prodigiis, sicut scriptum est: Marco. 16. Illi autem profecti prædicauerunt ubique, domino cooperante & sermonem confirmante, sequentibus signis. Quibus prædicantibus, *Turbati sunt omnes insipientes corde.* Prædicata est veritas. Dicta est æterna vita, quæ non est de ista terra. Contempserunt homines vitam præsentem: amauerunt futuram. Illuminasti per illuminatos montes. Insipientes autem conturbati sunt. Inde illa persecutio martyrum. Inde strepitus hæreticorum. Inde dissensio carnalium. Inde inimici Ecclesiæ. Adhuc dum prædicat sapiens, turbatur insipiens. Ille vult corrigere, iste indignatur & irascitur. Corripe (inquit) stultum, & odibit te. Corripe sapientem, & amabit te. Prover. 9. Quid fecerunt turbati illi? *Dormierunt somnum suum.* Amauerunt præsentia, & dormierunt, id est, delectati sunt ipsis præsentibus. Somnus eorum est vita præsens. Ibi dormierunt, ibi delectando quieuerunt. Et sic illis facta sunt ista præsentia delitiosa. Quomodo qui videt per somnium inuenisse se thesaurum: somnium fecit illum diuitem, euigilatio fecit pauperem. Transit somnus iste, transit vita ista. *Et nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Quia nihil posuerunt in manibus Christi. Tales sunt terrenæ diuitiæ. Talis est somnus præsentis vitæ. In præsentia florent & delectantur, in præsentia aliquid promittunt: sed in fine ad nihilum tendunt. Deinde commendat duritiæ cordis eorum, quia cum terrena diliguntur, cor à supernis induratur. Vnde & subditur: *Ab increpatione*

crepatione tua, Deus Iacob, dormitauerunt omnes qui ascenderunt equos. Intantum sopiti sunt in terrenis, ut miras omnipotentis Dei increpationes non audierunt. Non vigilauerunt in corde, quia de increpatione durum cor habuerunt. Duritia enim cordis obdormitio est. Ecce ipse Deus Iacob, non recens Deus, sed qui tanta mirabilia fecit in domo Iacob: ipse nunc increpat peccatores, insonat iras suas, sonat euangelica tuba, minatur iudicium, minatur æternales pœnas. Inter tanta tonitrua adhuc dormiunt superbi, adhuc vitam veterem nolunt damnare, neque in nouam vigilare. Quare hoc, nisi quia ascenderunt equos, id est, extulerunt se in superbia, in honoribus, in potestatibus, in incerto diuitiarum? Tales sunt equi eorum, quibus tanquam indomitis in æternum feruntur supplicium. Et bene ait, Dormitauerunt: quia hîc incipiunt dormire. Nam perpetuus eorum somnus erit in æterna morte. Siue ab increpatione tua, qua dicturus es: Matth. 25. *Ite in ignem æternum: incipient dormire, id est, ire in æternum somnum mortis, illi qui ascenderunt equos, id est, qui fuerunt superbi. Qui hîc modò dormiunt in diuitiis, ibi postmodum sepelientur in tormentis. Tu Deus qui hoc facies, terribilis es, Id est, terribilis apparebis: & quis resistet tibi?* in tanto tuo terrore quis homo poterit contraire? Nec tunc ibi primum incipies irasci. *Ex tunc, cum ascenderunt equos, ira tua* fuit in eis. Irascebaris tunc & minabar: increpabas, quia conuerti desiderabas. Et quia iratum contempserunt, postmodum terribilem inuenturi sunt. Vnde & subditur: *De celo auditum fecisti iudicium.* Nullam habent excusationem. Nam audiri antè fecisti iudicium tuum, etiam de celo fuit eis prænuntiatum. Cæli enarrant gloriam Dei. Cæli pronuntiant iudicium Dei. Vel de celo descensus es, ut audiri facias iudicium tuum. Sic enim testatur Euangelium: Tunc videbunt filium hominis descendentem in nubibus, cum potestate magna & maiestate. Nam virtutes cælorum mouebuntur. Tunc fiet quod subiunctum est. *Terra tremuit & quieuit.* Terrena conscientia, quæ modò se turbat & laborat, tunc tremere habet & quiescere. Iam non inueniet quæ faciat mala: sed multa sentiet unde contremiscat tormenta. Hinc erunt accusantia peccata, inde terrenis iustitia, subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus iudex: 1. Pet. 4. *intus vrens conscientia, foris ardens mundus. Iustus vix saluabitur, peccator ubi parebit?* *Cum exurgeret in iudicium Deus, ut saluos faceret omnes mansuetos terræ.* Non eos qui ascenderunt equos, sed omnes qui in hac terra propter Deum fuerunt mansueti, simplices, patientes, in iudicio suo saluos faciet Deus. Hoc ipsa veritas in Euangelio testatur, dicens: Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram. Mites sunt, qui cedunt improbitatibus, & non resistunt in malo, sed vincunt in bono malum. Ipsi hæreditabunt illam terram, de qua alibi dicitur: Matth. 5. *Portio mea Deus in terra viuentium.* Ipsa est vti que requies & vita sanctorum, quoniam mansueti fuerunt, quoniam bonam & humilem confessionem habuerunt: propterea in domino gaudebunt. Hoc est quod subiungit: *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquæ cogitationis diem festum agent tibi.* Primum quippe quando homo conuertitur ad Deum, & recogitat omnia mala quæ fecit, quæ locutus est,

tus est, quæ cogitavit, atque ea per confessionem humiliter aperit: habet confusionem, habet tristitiam, & compunctionem. Sed deinde post actam pœnitentiam, post consecutam à Deo remissionem & gratiam, cum incipit recogitare quæ cogitavit, & pensare de quantis sordibus & vitiis & peccatis pius dominus eum liberauerit, quanta insuper ei bona spiritualia contulerit: incipit intra se gaudere, diuinæ bonitati gratias agere: sicque gaudens in seipsum domino diem festum agit Deo. Prima ergo cogitatio confessionem habet & recessione à veteri vita. Reliquiæ cogitationum celebrant Deo solennia, si liberatus à peccato meminerit quod fuerit, nec excidat à memoria qui sanauit. Deinde postquam ostendit qualiter propter superbiam & mundi delectationem damnentur reprobi, & quomodo per humilitatem & bonam confessionem saluentur mansueti: sequitur utilis admonitio omnibus, cum dicitur: *Vouete, & reddite domino Deo vestro: omnes qui in circuitu eius offertis munera.* Iustum est quidem & vtile nobis, ne similiter pereamus cum reprobis, sed potius saluemur cum iustis, ut terribilem Deum quibus possumus votis & muneribus placare studeamus. Vouere autem nostri arbitrij est: sed persolvere non est nostrarum virium, sed gratiæ Dei. Nec tamen propter hoc debemus diffidere, quia si incipiamus quod nostrum est, dabit vires ille qui iussit ut voueremus, & supplebit quod suum est. Sed cum incircumscriptum lumen sit Deus, & maiestate sua omnia impleat, cuncta contineat, quomodo omnes esse possunt in circuitu eius? Sed Deus est veritas, & ipsa omnibus communis est, nec mea, nec tua, nec istius, aut illius. Non est (inquit Paulus) distinctio Iudæi, Græci, aut barbari: sed quicumque inuocauerit nomen domini, saluus erit. Quia ergo omnibus communis est veritas, ideo media, ut in circuitu eius sint omnes qui diligunt veritatem. Qui sic de Deo intelligunt, eiusque ut dignum est, seruituti seipsum subiiciunt, in circuitu eius munera offerunt. Et sciendum quod votum aliud est commune, aliud singulare. Credere in Deum, sperare in illo vitam æternam, ipsum diligere & secundum Deum viuere, omnibus communis est modus. Non superbire, non occidere hominem, non odire fratrem, non violare in se templum Dei præcipitur omnibus. Hoc totum omnes communiter vouere & reddere debemus. Sunt etiam vota propria singulorum, cum alius vouet Deo ieiunium, alius castitatem, alius virginitatem, alius relinquere omnia & ire in communem vitam. Voueant ergo omnes votum domino, aut hoc, aut illud, sicut diuina gratia unicuique donauerit: & sic in circuitu eius omnes offerant munera. Cui? *Terribili & ei qui aufert spiritum principum.* Quia psalmus synagogæ, id est, carnali populo loquitur: rectè illis Deus terribilis commendatur, ut qui adhuc dominum tanquam piæ, tanquam clementem nesciunt amare, audientes terribilem vel discant formidare. Et notandum quod non ait, *Qui aufert spiritum hominum*, sed ipsorum etiam principum: ut intelligatur Deus princeps esse super principes, potestas super potestates: tanquam rex regum & dominus dominantium. Rectè ergo subditur: *Terribili apud reges terræ.* Nec dicit, qui aufert vitam, quod utique & illi faciunt qui occidunt corpus, sed & ipsum spiritum auferre

Timot. 6.
Ierem. 23.
Rom. 11.
Ioan. 14.
Rom. 10.
Iobcl. 2.

Matth. 19.

Apoc. 1.
19.

Matth. 10.

auferre dicitur: ut tãto magis ille timeatur, qui potestatem habet & corpus & animam perdere in gehennam. Vel quia spiritus principum est spiritus superbiæ, potest ita legi, *Qui aufert spiritum principum*, id est, audaciam superbiorum. Est & alius intellectus quare in hoc loco terribilis dicitur Deus. Sancti etenim & perfecti viri ut mirabilem Deum in iudicio suo placatum inueniant, semper hinc apud se terribilem pensant suasque culpas distinctè iudicant: quatinus in illo districto iudicio iniudicabiles fiant. Dicitur ergo rectè, *Terribili apud reges terræ sunt, qui carnem suam spiritu-*

liter regunt. Rex terræ erat Paulus, cum diceret: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne fortè aliis prædicans ipse reprobus efficiar.* Esto rex terræ, & erit tibi terribilis Deus.

* *
*

FINIS.

LECTORI.

Hæc sunt igitur, candide Lector, quæ de Ruffini Commentariis in Psalmos, è tenebris eruta, modo in lucem proferimus. Quod si quis operis reliquum inuenire potuerit, id auius bonis felicitique successu in lucem edat. Id enim & nobis gratum, & reipublicæ civile futurum esse sibi persuadeat. VALE.

